1654

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
16 D
27

A III C 25

TRACTATVS
DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET ALIQVIBVS IN SPECIE.

IN DOCTRINA SVBTILIS DOCTORIS SCOTI.

AVCTORE P. FRATRE CHRISTOPHORO Delgadillo Matritenſi Regularis Obſervantiæ Ordinis Minorum Lectore Complutēſi Iubilato, atque in almo S. Didaci (aliàs Sanctæ Mariæ à Ieſu) Conventu Guardiano.

Spectat ad Bibliothecam S. Mariae Trans Tiberim

Anno.  1654.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti, Apud MARIAM FERNANDEZ Typographam Vniverſitatis.

Suma del privilegio.

TIene privilegio el Padre Fr. Chriſtoval Delgadillo Lector Iubilado, y Guardian del Convẽto de San Diego de Alcalà de la Orden del Seraphico Padre S. Franciſco, para que por tiempo de diez años pueda imprimir vn libro, que ha compueſto intitulado *Tractatus de Sacramentis in genere, & aliquibus in ſpecie*, como parece por vna cedula de ſu Mageſtad, ſu fecha en S. Lorencio el Real à dos dias de el mes de Nobiembre de mil y ſeiſcientos y cinquenta y tres años. Deſpachada en el oficio de Martin de Villela.

Suma de la Taſa.

LOS Señores del Conſejo Real taſaron eſte libro intitulado *Tractatus de Sacramentis in genere, & aliquibus in ſpecie*, compueſto por el Padre Fr. Chriſtoval Delgadillo Lector Iubilado, y Guardian del Convento de San Diego de Alcalà de la Orden de el Serafico Padre S. Franciſco, à quatro maravedis el pliego, como conſta por teſtimonio de Pedro Hurtiz de Ypina en ſiete de Iulio de mil y ſeiſcientos y cinquenta y quatro años.

MENDAS SIC CORRIGE.

Pagina	*Columna*	*Linea*	*Erratum.*	*Correctum.*
33	2	10	conſonam.	conſonum
43	2	29	conotur	conatur
69	2	28.	viuum.	virum
127	1	41	quæ.	quod
146	2.	8	expreſsà	expreſſam.
147	1	1	deſumptis	deſumpſit
196	1	12	iuſtituuntur	inſtituuntur
196	1	24.	modo	modum
205	1	36	alterum	altero
206	2	vlt.	luctoſam	lutoſam
209	2	28	eſte	eſſe
213	1	3	Scotus	Sotus
215	2	8	ablur e.	abluere
215	2	21	Scot.	Sot.
235	1	26.	Clemus	Clemens
263	2	13	inſtituit à	inſtituta
269	1	vlt.	deobligat	deobliget
269	2	25	intima	intimata
298	1	32	hunt	hunc
350	2	vlt.	quroum	quorum
368	2	26	requiriretur	requireretur
417	2	23	prodigaletatis	prodigalitas
418	1	5	acqurt	acquirit

Dr. D. Franciſcus Ignatius
de Porres.
Corrector Univerſitatis.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor D. Iuan de Narbona Cõſultor del Santo Oficio de la Inquiſicion, Dignidad de Theſorero en la Santa Igleſia Magiſtral de S. Iuſto y Paſtor deſta villa de Alcalà de Henares Oficial Toledano, y Vicario General en todo el Arçobiſpado de Toledo, reſidente en la Audiencia y Corte Arçobiſpal deſta villa, &c. Por las preſentes, y por lo q̃ nos toca, damos licencia al P. Maeſtro Fr. Chriſtoval Delgadillo, Lector Iubilado y Guardian del Convento de S. Diego de la Orden de San Franciſco deſta dicha villa, para que pueda imprimir vn libro que ha compueſto intitulado *de Sacramentis in genere, & aliquibus in ſpecie*, atento ha ſido viſto, y examinado por nueſtro mandado, y no ay coſa que tildar, ni enmendar en el. Dada en Alcalà en ſiete dias del mes de Octubre de mil y ſeiſcientos y cinquenta y tres años.

Doctor D. Iuan de Narbona

Por ſu mandado
El Maeſtro Franciſco de Malagon Notario.

FACVLTAS ORDINIS.

FRater Gaſpar de la Fuente Lector Iubilatus, Supremæ, ac Generalis Inquiſitionis Qualificator, totius Ordinis quondã Definitor Generalis, & huius almæ Provinciæ in Regular. Obſervantia Seraphici Parentis noſtri Frãciſci ſemel, & iterum Miniſter Provincialis, &c. Dilecto nobis in Chriſto P. Fr. Chriſtophoro Delgadillo eiuſdẽ noſtræ Provinciæ filio, atque in Cõplutenſi noſtro S. Didaci a la S Mariæ à Ieſu) Cœnobio, & olim publico interpreti, Lectorique Iubilato, & nunc Guardiano, ſalutem in Domino ſempiternam. Præſentiarũ exemplo ubi ad meritũ ſalutaris obedientia facultatẽ elargimur, vt elaboratas a te, & de hac noſtra Provincia ſpeciali diſpoſitione, & de noſtra cõmiſsione ab erudiriſsimis noſtri Ordinis viris iam approbatas lucubraciones, quibus inſcriptio eſt, *Tractatus de Sacramentis in genere, & aliquibus in ſpecie*, (nempè de Baptiſmo, de Confirmatione, de Ordine, & de Extrema vnctione) ipſi tè, & publico totius Eccleſiæ emolumento, & Scholaſticæ Theologię profeſſoribus (Scoticæ doctrinæ præſertim) apprimè vtiles ad Apoſtolicarũ, Regaliũque præſcriptũ, prælo tradere poſsis, & valeas. Datis Matriti in noſtro Cœnobio die vigeſima quarta menſis Septembris. Anno 1653.

De mandato ſuæ P. A. R.

Fr. Gaſpar de la Fuente Miniſter Provincialis.

Fr. Didacus Zapata Secretarius.

SAPIENTISSIMORVM PP. LECTORVM Sancti Didaci (aliàs S. Mariæ à Ieſu) conventus Complutenſis.

PROBAVIMVS ſemel, & iterùm ſcripta mirabilia R. P. Fr. Chriſtophori Delgadillo Theologici Lectoris iam dudum emeriti, & in hoc Sanctæ Mariæ a Ieſu cõventu Præſulis vigilantiſsimi: nunc tertio Reverendi admodum Patris noſtri Fr. Gaſparis de la Fuente Sacræ Theoſophiæ lauro pridem inſigniti; Sanctæ Generalis Inquiſitionis Qualificatoris ſapientiſsimi; necnon & almæ Caſtellæ Provinciæ ſecundo nunc meritiſsimi Gubernatoris mandato adſtringimur admirandum hoc de Sacramentis opus Authoris eiuſdem. De cuius ingenij fructibus dicendum cum Caſſiodoro *tot probati, quot geniti*: ſeu aptius ex divino Servatoris noſtri ore *non poteſt arbor bona malos fructus facere*. Quãobrem quid denuò probemus, non invenimus: miramur quidem denuo probatiſsimi viri indefeſſos labores; in docẽdo methodũ perſpicuam; in differendo acutiam efficacem; in Scotica doctrina ſuavem fragantiam; in Sacris dogmatibus, Catholicis inſtitutis, & pijs moribus conſonantiam acordem. Digniſsimumque iudicamus opus, quod in communem omnium nedum vtilitatem, ſed & voluptatem, & in perpetuam tanti viri iteratam memoriam typis mandetur, vt optata luce fruatur. Ita ſentimus. In hoc Complutenſi Franciſciado Lycæo Sanctæ Mariæ a Ieſu, die decima tertia menſis Septembris, anno 1653.

Fr. Michael Valles
Lector Iubilatus.

Fr. Franciſcus de Montealegre
Lector Theologiæ.

Fr. Michael de Villaverde
Lector Iubilatus.

Fr. Ioſephus de la Cruz
Lector Theologiæ.

Fr. Gregorius Sanchez
Lector Theologiæ.

CENSVRA

SPECTABILIS VIRI, ERVDITISSIMIQVE

Doctoris Domini D. Ioannis Garçon de Buendia quondam & Divi Ildephonſi Maioris Collegij fulgenti toga inſigniti, & Auguſtæ Complutenſis Academiæ Rectoris integerrimi: quondam item Veſpertinæ Cathedræ, iam vero Primariæ Sacræ Scripturæ moderatoris emeriti; in toto terrarum orbe celeberrima, litteratiſsima SS. Iuſti, & Paſtoris Collegiali Eccleſia Canonici venerandi; atque perilluſtris Regalis Collegij Rectoris prudentiſsimi.

EXIMIAM hanc elucubrationem, quæ de Sacramẽtis in genere, & de aliquibus in ſpecie inſcribitur, accurata meditatione peregi, ſæpiuſque recenſui, vt pote in qua nil non ſumma lance dignũ invenerim; ſi fidem ſpectes, hic ſtatuitur; ſi mores, optimi efficiuntur: ſanè meum erit id opus ſenerari; nam, vt cum Chriſoſtomo loquar homil. 29. in Matth. *nemo poteſt vere iudicare de opere aliquo, niſi perſonã operantis cognoverit, quis eſt*; cui autem notior, quã mihi Author? cuius tametſi ſapientia inſignis, quę longè, latèque diffunditur, vel exteris notiſsima ſit, cuius ſuaviſsimi mores, etſi primũ ſibi apud plurimos locum vendicent; mihi tamen potiori iure omnia debentur; cui cum eo ſtrictiſsima intervenit neceſsitudo, tum ob ſingularẽ animi gratitudinem, tum ob perfectam bonarũ artium, ac litterarũ idæam, quã in illo, ſi avidè exquiras, fructuoſius invenies. Hæc, quæ de Sacramentis oſtendit, ſigna ſunt fœcundi, atq; exculti animi, magna, ſi materiem attendas, minima, ſi artificem iudices. Vnde opus hoc, quod reliquis miraculum erit; mihi tamen, & ſi vtilitati, non admirationi; *Quod enim magnũ eſt* (præeũte Chriſoſtomo in eadẽ Homilia) *vt exercitatiſsimus Magiſter faciat opus magnum*? Verum, vt cum Hieronymo loquar in cap. 3. Matth. *Mihi videntur Beati oculi, qui poßunt Chriſti cognoſcere Sacramenta, & quos levari læſus in ſublime præcepit.* Sententia tanto digno Doctori, tanto Magiſtro apta. Vnde librum hunc dignum prælo, quin Catholicis animis iudico digniorem, fidei lucem, ſcientiæ robur, mentis clipeum, & Religionis aſylum. In hoc Regali Complutenſi lycæo, die 7. menſis Octobris anno 1653.

Dr. D. Ioannes Garçon de Buendia.

R. ADMODVM SAPIENTISSIMIQVE P. SEBASTIANI Izquierdo Sacræ Theologiæ aliàs in Complutenſi nunc autem Madriti Societatis Ieſu in Regali Collegio primarij moderatoris, Sanctæ Inquiſitionis Supremi Senatus Qualificatoris ex munere.

SVPREMI Senatus iuſſu perlegi tractatus de Sacramentis in genere, & aliquibus in ſpecie, nempè de Baptiſmo, de Confirmatione, de Ordine, & Extrema vnctione in doctrina Scoti elaboratos à R. P. Fr. Chriſtophoro Delgadillo Sacræ Religionis Franciſcanæ alumno, Subtiliſque Doctoris Scoti, & periIluſtri Interprete; & validò propugnatore. Igitur in hoc opere aureo nihil inveni, aut contra Catholicam fidem, aut contra bonos mores diſſonum: immò cuncta omnia docta, ſolida, clara, & paſsim multa eruditione plena. Quare dignum iudico, vt in lucem pro publica vtilitate prodeat. Datis in hoc noſtro Regali Societatis Collegio, die decima nona menſis Octobris anno 1653.

Sebaſtianus Izquierdo.

VIGILANTISSIMO

ANTISTI, AC REVERENDISSIMO Domino meo D. Fr. Ioanni Merinero è Seraphicæ Reipublicæ Digniſſimo Moderatore, Generali Miniſtro, Mirobricenſis primùm, deinde Valliſoletanæ Diœceſeos Epiſcopo aſſumpto

ÆTERNAM PRECATVR FOELICITATEM

P. Fr. CHRISTOPHORVS DELGAdillo Lector Theologiæ emeritus, atque in præſentiarum S. Didaci Complutenſis Guardianus.

PRODIT in lucem, Orbiſque theatrum (Reuerendiſsime, atque Illuſtriſsime Præſul) laborum meorum fructus, ordine iam tertius, (vtinam maturior, ac fertilior) qui ſub tui nominis clariſsimo, atque ardentiſsimo ſplendore egeat maturescere; atque illuſtrari. Rectè ſane, ac ordinatè, antiquo iure ſancitum eſt, vt cederet terræ arbor, in qua primùm emiſit planta radices. Qua ratione ius aliquod tibi quæſitum eſſe in noſtris opellis vendicandis æquè ſentio. Etenim quas modò vides in arbores excreviſſe, olim extitere puſilli ſurculi in tuo ſolo plantati; cùm apud te degerem iuvenis ſub cultura doctrinæ tuæ iuxta muſæum Complutenſe. Verum cùm tempus adſit, vt & tu exigas, & ego reddam fructus ex arbore: ecce tertium affero lucubrationum mearum tomum.

In

In cuius oblatione intelligas, velim, vel ex hac parte nihil eſſe, quod queri poſsis, eos, qui ante cujos acceperunt, tibi eſſe prælatos: cum divina lege conſtet, quarti anni arborum fructus eſſe omnium præſtantiſsimos, dignoſque ſolos habitos, qui Deo darentur, inferrenturq; divino conſpectui. Quarto autem anno (*ſtatuit ſupremus legislator*) omnis

Levit. 19 num. 24. fructus eorum ſanctificabitur, laudabilis Domino. *Vt hanc etiam ob cauſam, cum exhibeam potiora, cunctationem hanc non ingrati animi, ſed propenſioris ſtudij indicem eſſe ſentias. Hic repetam illud Ennianum de Fabio Romano.* Vnus nobis cunctando reſtituit rem, *meliorem videlicet. Et animadvertas, obſecro, quarti anni proventus noſtrum putaſſe legislatorem primitiarum frugibus longè præſtantiores, dulcioreſque ad palati ſaporem, atque ſuavitatem. Ego verò dum quarti labentis anni à primis typis certitudinem mihi non auſim promittere, mente*

Horat. lib. 1. *revolvens illud Horatiani verſiculi,* Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremam; *tertij anni proventus, quaſi præventa, anticipataque ſolutione reſt tuo Domino, ac creditori meo, ſuæ benedictionis gratia, & incremento cumulandos. Iam vero fructum iſtum, laudabilem compellat;*

Oleaſter ad literá. *hoc eſt,* laudabatur Dominus huiuſmodi munere. *Et Hercle iure merito: & quia Dominus agri, atque dignus, cui offerrentur pro meritis. Is itidem, cui litterarum fructus conſecrantur, & ſummæ auctoritatis, & ingentis doctrinæ ornamentis debet longè, latèque ſplendeſcere, atque è millibus eligi conſequenterque laudari ob ſimilem rationem.*

Ingens plane hic ſe ſe offert occaſio orationi meæ, ſi vellem eam per ampliſsimum campum virtutum tuarum, laxatis quaſi habenis immittere: ſed illas, vt contraham, effi-

cit

cit perpetua, atque admirabilis modeſtia tua, qua ſoles laudes exiſtimare iacula, & hoſtes credere laudatores. Sed quando hoc mihi nulla ratione conceditur; reliquum eſt, (ſecundum illud Apoſtoli: ſive excedimus; Deo: ſive ſobrij ſumus, vobis) *quoniam cogitur oratio per tuas laudes tranſilire ieiuna, eandem concitatam ſemel, ſinam; effuſo curſu prorumpere in laudes Dei, & vberes gratiarum actiones, in quibus nullam timere poſsit invidiam, nec ſuſpitionem adulationis incurrere; cum, & impellatur religione; atque vrgeatur ex debito. Etenim quis impiè, & ingratè nimis tot, tantaque Dei dona pro ſalute omnium attributa duxerit eſſe obvolvenda ſilentio, & iniqua oblivionis veluti nube obſcuranda; ac non potiùs pro illis Deo Opt. Maximo, omnium bonorum auctori immortales, immenſaſque gratias, & agendas, & habendas eſſe cenſuerit?* 2. Chor. 5 num. 13.

Omne animi bonum (*aiebat olim Tertulianus*) aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur. *Quàm bellè, quàm verè ad rem præſentem! Cum florentes virtutum culmos radicitùs infixos, atque ſolidiſsimè apprehenſos in animo tuo ſæpe numero contemplor, ſubit mihi in mentem, egregias iſtas, atque admirabiles virtutes tuas, veluti ſpōte ſua innatas in te, cœlituſque ſatas videri in optimo cordis tui ſolo. Ita te aptum, paratum, facilem, atque expeditum, ad virtutum munia exercenda exhibes, vt vel ipſa ad te nata, vel tu natus ad virtutem queas iure non immerito compellari. Præ cæteris verò eximijs ornamētis, quorum quodlibet alium excellentem, præſtantiſsimumque efficere poſſet, lubet curſim commemorare mirabilem tuam affabilitatem, comitatem verè ſingularem, propenſiſsimam ad bene de omnibus merendum voluntatem. Hæc nimirum egregia beneficentia,*

ſcentia, hæc humanitas, hæc facilitas omnium tibi mortalium voluntates adamantinis quibuſdam catenis, & arctiſsimo beneuolentiæ nodo deuincit, ac non beneuolentiam modo, ſed ſummam etiam venerationem parit. Nihil eſt hac humanitate, qua plurimum excellis, amabilius; nihil, quod magis alliciat, & conciliet animos ad te diligẽdum, vel eorum, qui te de facie non nouerunt: quid nos facere æquum eſt, quos eximia beneuolentia ſemper complexus eſt? In cuius ore acerbum nihil, cuius indoles tota lenitas, clementia, benignitas, & vrbanitas ipſa eſt cum admiranda animi demiſsione, cæteriſque monaſticis virtutibus, quibus apud omnes mirificè clares. Aſſumptus, & translatus de Monachatu ad Epiſcopatum, mirum valde eſt, quantum perfeceris laudem tuam. Vt enim erant velut innatæ, inſitæque à natura hæ præclaræ, præſtantiſsimæque dotes, excidere animo, & excuti difficilè poſſent: immò verò in dies mirificè coaleſcunt, & perficiuntur admirandis incrementis. In altiſsimo dignitatis gradu collocatum te ſuſpiciunt, & inſpiciunt accuratè multi, qui de more te nouerunt, & crebrò conuerſati ſunt in angulis cænobij incluſum, atque latitantem; & admirari ſatis nunquam poterunt, quàm parum, verius dicam, quàm nihil non omnino noui honores mutauerint mores tuos. & equidem maior omni theatro dignitatis, & honoris. Apud nos vitam egiſti ita laudabilem, vtroque perfecto dignam, vt & auctoritate, & moribus, & virtutibus; qualem exoptabat numeris omnibus abſolutam Apoſtolus, eximium, irreprehẽſibilemque Epiſcopum iam tunc exprimeres abunde. At modo ad culmen honoris euectus perſonam agere videris ſingularis, præcipuique viri religioſi, ad metam, ſcopumque perfectionis impigre, ſtrenue, atque indefeſſe currentis. Haud immerito

rito dubitare poſsint qui te attẽtè intuentur, an Epiſcopi perſonam agas? Nemo tamen, vitæ præſentis actus, morum exercitationes, conuictum, & conuerſationem penſitans, & inſpiciens dubitare vnquam poſsit, quòd ſis profeſsione, & inſtituto verus, legitimuſque clauſtri cultor exactus. Ergo quàm veriſsimè de te prædicare poſſumus illud primum Florentis Tertuliani, Omne bonum aut naſcitur; aut eruditur *(proſequitur idemmet.) Bona, quæ alios exornant ſatis, ſuperque eſt, ſi vel naſcantur, aut erudiantur: illuſtria verò, heroicaque ornamenta, quibus clareſcis, quàm latiſsimè, & nata ſunt in te, & coniunctim erudita. Illud, optimis à natura, gratiaque donis inſitum debeatur: hoc verò poſtremum labori, vigilantiæ, indefeſſæque induſtriæ tuæ, iuſto ac cœleſti fluxui omninò attribuatur. Boni mores, naturæque, ac gratiæ ornamenta permagni æſtimanda ſunt omni euentu: ſi tamen cultu doctrinæ, & exercitatione eruditionis deſtituta proponantur; imperfecta ſunt, rudia, & iniucunda. De ſubtili, profundo, ac ſolido acumine ingenij tui; de ipſius rara perſpicacitate; de ſingulari, & exquiſita ſolertia; de tuo limatiſsimo iudicio; de eleganti, luceque clariori methodo ſatius duxi perſtringere tantum, quàm exili, ſterilique oratione infantilem meam oſtentare balbuciem. Hoc vnum hac de re affirmarim. Vix credibile videbatur cũ tã recondita, exquiſitaque doctrina coniungi potuiſſe tàm cãdidã, & apertam columbæ ſinceritatẽ; cum tanta omnium ordinum æſtimatione tam raram ſui deſpiciẽtiã, & animi ſubmiſsionẽ.*

Hic autem iam quæritur inter diſpenſatores talentorum, vt vnuſquiſque fidelis inueniatur in adminiſtrando dona gratiarum Dominico Gregi, reipublicæque litterariæ. Inter cœtera, quæ me vrgentiſsimè impulerunt, vt ad te 1. Chor. 4. num. 2.

noſtros

noſtros de Sacramentorum tractatione commentarios transmitterem, hoc vnum fuit præcipuè, vt ægregia tua litterarum monumenta, iam perfectè elaborata, quæ in ſcrinijs latitantia, veluti in iniuſto carcere vinculis conſtricta, ac mãcipata tenes, lucem aſpicere, atque in theatum Orbis Chriſtiani proſilire non dedignere: hoc vehementer à te expoſco, hoc efflagito, vt quàm primùm præſtes, vel hac mea editione, domeſticoque exemplo excitatus, ſumpto argumento à minori, vel minimo ad vſque maximum. Finge tibi, quot in hoc noſtro volumine ſunt chartæ, quot verſus, dictiones, ſyllabæ, lyteræ, ac denique apices, tot eſſe ora clamantia, ac repetentia Bilbilitani vatis illa non iniucundæ carmina.

Martial. 22.

Ede tuos tandem pópulo (Merincre) libellos;
Et cultum docto pectore profer opus;
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces;
Nec ſileant noſtri, prætereantque ſenes.
Ante fores ſtante n dubitaſne admittere famam?
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Poſt te victuræ, per te quoque viuere chartæ
Incipiant: cineri gloria ſera venit.

Suſcipe igitur, Præſul humaniſsimè, hunc noſtrum qualemcunque fœtum, quem quàm primogenitos impenſiùs, & chariùs diligimus. Sed cui chariora, potioraque de induſtria ſeruentur? Quàm aptè ad rem ipſemet eruditus vates!

Cum tibi ſit ſophiæ par cura, & fama laborum
Ingenio pietas, nec minor ipſa ſuos
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum;
Et qui miratur, Regule, thura dari.

Tibi, animarum vigilantiſsimo Paſtori, non reconditas illas, piloque ſubtiliores quæſtiones; ſed practicas iſtas, ſalutareſque

reſque

reſque de moribus analyſes, tāquam propinquiora, propriiſque accedentia media, & ad finem immortalem perducentia, ex animo ſacramus. Accipe ergo grato corde, quod pio affectu perſolvitur. Dicam quàm veriſsimè; doctrina mea, non eſt mea, ſed eius, qui docuit me à iuuentute, Sapientiſsimus Magiſter, cuius ego mentem avidiſsimè imbibebam animo, quātum in me fuit: mores verò ſummo honore, ac reverentia ſemper proſequutus ſum. Hoc autem opus ſi tibi non ingratū intellexero; ad maiora in dies elaboranda, ac premēda, quaſi calcare adhibito, excitabor. Precor Deum immortalem, vt amplitudinem tuam in ſui nominis gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ ſplendorem quàm diutiſsimè tueatur incolumen. Ex Cœnobio Minorum S. Didaci Complutenſi, ſeptimo Idus Iulij, anni 1654.

Tuo obſequio deditiſsimus.

Fr. Chriſtophorus Delgadillo.

INDEX

CAPITVM, ET DVBIORVM huius tractatus.

Procœmium p. 1.

CAP. I.

De poſsibilitate, & eſſentia Sacramenti. 2

Dub. 1. Vtrùm Sacramentum ſit poſsibile? 2

Dub. 2. An Sacramentum poſsit definiri? 3

De partibus metaphyſicis Sacramenti, ſeu de Sacramento metaphyſicè conſiderato. 5

Dub. 3. Quid ſit Sacramentum? 5

Dub. 4. An Sacramentum neceſſariò debeat eſſe ſignum ſenſibile? 7

Dub. 5. An Sacramentum debeat eſſe ſignum practicum? 9

Dub. 6. An gratia ſignata per Sacramentum debeat eſſe ſanctificans? 13

Dub. 7. An cuiuſcumque legis Sacramenta propriè dicta vnivocè conveniant in ratione Sacramenti? 15

Dub. 8. An ad rationem Sacramenti requiratur, quod ſit ſignum demonſtrativum ſanctitatis præſentis? 16

De partibus phyſicis Sacramentorum, ſeu de Sacramentis phyſicè conſideratis. 17

De Sacramentis novæ legis. ibi

Dub. 9. An Sacramenta novæ legis conſtent rebus, & verbis tamquã materia, & forma? 17.

Dub. 10. An ſit neceſſariũ, quòd in ſingulis Sacramentis reperiantur res propriæ, & verba propria? 18.

Dub. 11. An relatio ſigni, quam Sacramentum dicit ad ſuum ſignatum, neceſſariò requirat tàm res, quam verba propria? An ſufficiant res, & verba per æquivalentiam? 19.

Dub. 12. An in quocumque Sacramento legis novæ relatio ſigni ad gratiam neceſſariò fundetur ſimul in rebus, & verbis? 19

Dub. 13. An, quando relatio ſigni Sacramentalis fundatur in materia, & forma ſimul, ibi ſit vna tãtùm relatio ad gratiam? An duplex, quarum altera fundetur in rebus, altera in verbis? 21.

Dub. 14. An verba, quibus conficitur Sacramentum, debeãt eſſe conſecratoria? 23.

Dub. 15. An res, & verba, quibus conficitur Sacramentum, debeant eſſe determinata? 25.

Dub. 16. An mutatio materiæ, aut formæ invalidet Sacramentum? 26
Dub. 17. Quale peccatum ſit mutare materias, aut formas Sacramentorum? 27.
Dub. 18. An variatio accidentalis verborum formæ, cum intentione introducendi aliquem errorem invalidet Sacramentum? 28.
Dub. 19. An validè baptizaret Arian⁹, ſi ita proceſſiſſet: Ego firmiter ſtatuo, non eſſe Trinitatem; volo tamen facere, quod facit Eccleſia Catholicorum? 29
Dub. 20. An Græci verè conſecrent volendo conſecrare addendo illa verba, *quod pro vobis tradetur?* 30.
De Sacramentis antiquæ legis. ibi.
Dub. 21. De diviſione antiquæ legis. ibi.
Dub. 22. An in lege antiqua fuerint aliqua propria Sacramenta? ibi.

CAPVT II.

De Sacramentorum convenientia; atque de illorum exiſtentia pro aliquibus ſtatibus. 31
Dub. 1. An inſtituere Sacramenta fuerit conveniens? 31.
De Sacramentorum exiſtentia in lege naturæ. 32.
Dub. 2. An in lege naturæ fuerit aliquod Sacramentum? 32.
Dub. 3. An in lege naturæ ad iuſtificationē parvulorum fuerit ſufficiens oblatio interna ex fide iuſtificatoris, & mediatoris venturi facta? 33
De Sacramentis legis ſcriptæ. 34.
Dub 4. An in lege ſcripta fuerit aliquod proprium Sacramentum? 34.
Dub 5. Quodnam fuerit hoc Sacramentum? 35.
Dub. 6. Quod nam remedium, ſeu Sacramentum fuerit inſtitutum in lege ſcripta contra originale malum? ibi.
Dub. 7. an ex ſuppoſitione, quod circumciſio delebat peccatum originale, ſequatur neceſſario ponendam eſſe gratiam ſanctificantem ad talem deletionem? ibi.
De Sacramentis pro ſtatu innocentiæ. 41.
Dub. 8. An in ſtatu innocentiæ de facto fuerit aliquod Sacramentum? 42.
Dub. 9. An, ſi ſtatus Innocentiæ perduraſſet, fuiſſent Sacramenta? 43.
Dub. 10. (incidens) An, perſeverante ſtatu innocentiæ, foret aliquis cultus erga Deum? 45.
Dub. 11. (incidens) An in ſtatu innocentiæ perſeverante futurum eſſet aliquod ſacrificium? ibi.
Dub. 12. Quænam forent ſacramenta, ſi ſtatus innocentiæ

dæ perduraſſet? ibi.

Dub. 13. An omninò innocentes illius ſtatus poſſent vti Sacramentis mortuorum, nempè Baptiſmo, & pœnitentia? 48.

CAPVT III.

De cauſa Sacramentorum. 51

De cauſa principali Sacramentorum. ibi.

Dub. 1. A quo ſunt inſtituta Sacramenta novæ legis? ibi.

Dub. 2. An à Chriſto Domino fuerint immediatè inſtituta omnia, & ſingula Sacramenta legis gratiæ? 52.

Dub. 3. An ſit de fide certum, Chriſtum Dominum per ſe, & immediatè inſtituiſſe omnia, & ſingula Sacramenta legis gratiæ? 54.

Dub. 4. An Chriſtus Dominus inſtituerit Sacramenta legis gratiæ, quatenus Deus? An quatenus homo? ibi.

Dub. 5. An Chriſtus Dominus, quatenus homo, fuerit cauſa meritoria inſtitutionis Sacramentorum, adhuc vt includunt gratiam ſanctificantem? 55.

Dub. 6. An Chriſtus Dominus, quatenus homo eſt, habuerit aliquam cauſalitatem phyſicam circa gratiam collatam vi Sacramentorum? ibi.

Dub. 7. An Chriſtus Dominus, quatenus homo, habuerit poteſtatem determinandi ſigna, ad quorum poſitionem Deus infallibiliter ponat gratiã ſanctificantem? 57.

Dub. 8. An poteſtas inſtituendi Sacramenta poſsit communicari puræ creaturæ? 59.

Dub. 9. An creatura, cui commiſerit Deus, aſsignare ſigna ſenſibilia gratiæ, aut effectus gratuiti, propriè dicatur inſtituere Sacramenta? 60.

Dub. 10. A quo fuerint inſtituta Sacramenta novæ legis? 62.

De cauſa miniſteriali Sacramentorum. 63.

Dub. 11. An miniſtri Sacramentorum ſint cauſa gratiæ per ipſa ſacramenta collatæ? 63.

Dub. 12. An miniſter propriè, aut proximè ſit cauſa gratiæ vi ſacramentorum collatæ? 64.

Dub. 13. Quot fuerint errores circa Sacramentorum miniſtros? 65.

Dub. 14. Quid contra prædictos errores ſit tenendum? 67.

Dub. 15. Quis ſit miniſter Sacramenti Baptiſmi? 69.

Dub. 16. Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonij? 70

Dub. 17. Qualiter vterque contrahens poſsit eſſe vnus miniſter Sacramenti? 72.

Dub. 18. Qui ſint miniſtri aliorum Sacramentorum? ibi.

Dub. 19. In quo ponuntur ſolutiones argumentorum, quæ probare videntur hære-

ticum, non poſſe validè, aut licitum, fructuoſe conficere Sacramenta. 77.

De intentione in miniſtro requiſita. 78.

Dub. 20. Quid debeat intendere miniſter ad validè conficiendam Sacramenta? ibi.

Dub. 21. An conficeret Sacramentum, qui haberet intentionem faciendi, quod Chriſtus Dominus fecit, & ſimul poſitive nollet facere, quod facit Eccleſia? 83.

Dub. 22. An, ſi quis intendat cõtrahere matrimonium, & ſimul intendat non facere Sacramentum, verè contrahat & non faciat Sacramentum? 84.

Dub. 23. Qualis intentio requiratur in miniſtro? 85.

Dub. 24. (incidens) Quæ intentio requiratur ad applicandum ſacrificium miſſæ pro aliquo particulari? 88.

Dub. 25. An intentio miniſtri poſſit fruſtrari ex incertitudine perſonæ? 89.

Dub. 26. An intentio conditionata efficiendi Sacramentum ſufficiat ad eius valorem? 92.

De diſpoſitione miniſtri Sacramentorum. 94.

Dub. 27. An ad valorem Sacramentorum ſit neceſſaria fides, aut ſanctitas in miniſtro? ibi.

Dub. 28. an in miniſtro requiſita ſit ſanctitas, vt licitè adminiſtret Sacramenta? 95

Dub. 29. An in miniſtro non deputato etiam requiratur ſanctitas, vt licite adminiſtret? 96.

Dub. 30. Quomodo debeat ſe præparare ad dignè adminiſtrandum Sacramenta miniſter, qui ſentit, ſe eſſe ſub mortali? 97.

Dubia incidentia. 98.

Dub. 31. An peccent mortaliter Diaconus, & Subdiaconus, qui exiſtentes ſub mortali ſolemniter cantant Evangelium, & Epiſtolam? 98.

Dub. 32. An Epiſcopus, aut Sacerdos, qui exiſtens ſub mortali exercet Sacramentalia, peccet mortaliter? 99.

Dub. 33. An ſit mortale prædictas actiones ſæpius, longoque tempore exercere? 100.

Dub. 34. An concionari in ſtatu peccati mortalis ſit peccatum mortale? ibi.

Dub. 35. An contrahentes in ſtatu peccati mortalis peccent mortaliter, quatenùs adminiſtrant matrimonium? 101

Dub. 36. An ille, qui dubitat, ſe eſſe miniſtrum alicuius Sacramenti, peccet illud adminiſtrando? ibi.

Dub. 37. An liceat miniſtrare eum, qui tantùm habet iudicium probabile, ſe eſſe miniſtrum? 102.

De

De ministro, qui peccaminosè administrat: 105.

Dub. 38. An ſit licitum accipere Sacramentum ab eo, quem ſcio in adminiſtratione peccaturum? ibi.

Dub. 39. An ab excommunicato non tolerato licitè poſsit peti, & recipi Sacramentum? 107.

Dub. 40. An in articulo, aut periculo mortis poſsim ab excommunicato non tolerato recipere alia Sacramenta, quã Baptiſmum, & pœnitentiam? 110.

Dub. 41. An ab excommunicato tolerato liceat recipere Sacramenta? 112

Dub. 42. An liceat miniſtrare Sacerdoti celebranti in mortali? 113

CAPVT IIII.

De Sacramentorum effectibus. 114

De effectu communi omnibus Sacramentis, qui eſt gratia ſanctificans. ibi.

Dub. 1. Quid ſit gratia iuſtificans, aut ſanctificans? ibi.

Dub. 2. Quotuplex ſit gratia ſanctificans? Et à quo Sacramento vnaquæque cauſetur? ibi.

Dub. 3. An Sacramenta mortuorum de facto conferãt primam gratiam adulto, qui ad illa accedit cum attritione tantùm, de qua ſibi conſtat? 115.

Dub. 4. An Sacramenta vivorum habeant vim conferendi primam gratiam? 116.

Dub. 5. Vnde Sacramenta vivorum habeant vim conferendi primam gratiam? 118.

Dub. 6. An diverſa numero Sacramenta (duo baptiſmi, verbi gratia) æqualem gratiam conferant diverſis ſubiectis æqualiter diſpoſitis? 120

Dub. 7. Vtrùm Sacramenta in voto conferant eamdem gratiam ſanctificantem, ac conferunt realiter ſuſcepta? 124

Dub. 8. Quando gratia ſanctificans confertur vi Sacramenti? 127

Dub. 9. An Sacramenta fictè ſuſcepta poſteà, recedẽte fictione, cauſent gratiam ſanctificantem? 128

Dub. 10. Qualiter tollenda ſit fictio, vt Sacramentum præſtet effectum? 132

Dub. 11. An Sacramenta antiqua ex opere operato contulerint gratiam ſanctificãtem. 134.

De alio effectu communi omnibus Sacramentis, qui dicitur gratia Sacramentalis. ibi.

Dub. 12. In quo conſiſtat ratio gratiæ Sacramentalis? Seu an ſit diſtincta à gratia ſanctificante? ibi.

Dub. 13. An detur Sacramentum dignè ſuſceptum ſine gratia Sacramentali? 137

Dub. 14. An duo Sacramenta eiuſdem rationis conferant æqualem gratiam Sacramentalem

talem? 138
Dub. 15. An Sacramentum in voto conferat eamdem gratiam Sacramentalem, ac conferret realiter ſuſceptum? 138.
Dub. 16. Quando conferatur gratia Sacramentalis? ibi.
Dub. 17. An, recedente impedimento, Sacramenta conferant gratiam Sacramentalem? ibi.
De alio effectu aliquorum Sacramentorum, qui dicitur character. 139.
Dub. 18. Quid ſit character? & quas proprietates habeat? ibi.
Dub. 19. An aliquis realis character ſit admittendus? 140.
Dub. 20. Quid de reali charactere ſenſerit Scotus? 145.
Dub. 21. An ſolùm authoritate Eccleſiæ ſit tenendum, ponendum eſſe realem characterem? 146.
Dub. 22. In quorum Sacramentorum receptione imprimatur character? 149.
Dub. 23. An character ſit principalior effectus horum Sacramentorum, quam gratia? 150.
Dub. 24. An character ſit diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem? ibi.
Dub. 25. An circumciſio in lege antiqua impreſſerit characterem? ibi.
Dub. 26. Quid, aut qualis ſit character? 153.
Dub. 27. An ſententia Durandi ſit ab Eccleſia damnata? ibi.
Dub. 28. Qualis entitas ſit character? 156.
Dub. 29. An character ſit qualitas? ibi.
Dub. 30. An character ſit qualitas ſupernaturalis? 158.
Dub. 31. Ad quam ſpeciem qualitatis pertineat character? ibi.
Dub. 32. An character ſit relatio? 160.
Dub. 33. Quod ſit fundamentum proximum relationis, quæ eſt character? 163.
Dub. 34. Quomodo characteres diverſorum Sacramentorum differre poſsint, ſi ſint relationes? 164.
Dub. 35. Ad quod prædicamentum ſpectet character ſuſtinendo eſſe relationem extrinſecùs advenientem? ibi.
Dub. 36. An character baptiſmi v. g. ſit æqualis in omnibus baptizatis? ibi.
Dub. 37. An character poſsit intendi? ibi.
Dub. 38. An character immediatè ſubiectetur in anima? 165.
Dub. 39. Qualiter character dicatur indelebilis? 167
Dub. 40. An character adhuc pro alia via perſeveret? 167.

CAPVT V.

De cauſalitate Sacramentorum, aut de modo quo ſuos effectus cauſant. 170.

Dub.

Dub. 1. An Sacramenta cauſent gratiam, & characterem phyſicè? An moraliter? 171.
Dub. 2. Quid dixerint AA. de Sacramentorum cauſalitate, ſeu cauſatione? 172.
Dub. 3. Quid ſit nobis dicendum? 177.

CAPVT VI.

De ſubiecto recipiente Sacramenta. 181.

Dub. 1. An omnes, & ſoli homines viatores ſint proximè capaces recipiendi Sacramenta? ibi.
Dub. 2. An ad valorem Sacramenti requiratur conſenſus recipientis? 182.
Dub. 3. Qualis debeat eſſe iſte conſenſus? 184.
Dub. 4. An ad receptionem Sacramenti ſufficiat conſenſus indirectus? 184

CAPVT VII.

De ordine, & numero Sacramentorum novæ legis. 185

Dub. 1. Quot ſint Sacramenta novæ legis? ibi.
Dub. 2. An aliquem ordinem habeant inter ſe ſe Sacramenta novæ legis? 186.
Dub. 3. Qualis ſit iſte ordo? ibi.

CAPVT VIII.

De Sacramentalibus, ſeu de cœremoniis, aut ritibus, quibus Sacramēta ſunt adminiſtrāda. 188

Dub. 1. Quid ſit Sacramentale? ibi.
Dub. 2. An ſit licitus, & Sanctus vſus Sacramentalium? ibi.
Dub. 3. An aqua benedicta deleat venialia ex opere operato. 189
Dub. 4. Quid dicendum ſit de alijs Sacramentalibus quantum ad venialium deletionem. 192.

INDEX

CAPITVM, ET DVBIORVM Tractatus Baptiſmi.

Procœmium 193

CAP. I.

De nomine, definitione, atque inſtitutione Sacramēti Baptiſmi. 194

Dub. 1. Quibus nominibus inſigniatur Sacramentum Baptiſmi? ibi.
Dub. 2. Quid ſit Baptiſmus? 195.
Dub. 3. Quare Scotus poſuerit duplicem definitionem Baptiſmi? 196.
Dub. 4. An ſit probabile, relationem ſigni fundari non ſolum in ablutione, ſed etiam in verbis? 197.
Dub. 5. An ſit probabile relationem ſigni ad gratiam fundari in ſola ablutione? 199.
Dub. 6. An Sacramentum Baptiſmi fuerit inſtitutum ante mortem Chriſti D. 200.
Dub. 7. Quo tempore ante mortem Chriſti Domini fuerit inſtitutum Sacramentū Baptiſmi? 201.
Dub. 8. An Chriſtus D. per ſe ipſum immediatè Baptizaverit aliquem? 204.
Dub. 9. An inſtitutio Baptiſmi evacuaverit circūciſionem? ibi.

CAP. II.

De materia Baptiſmi. 205.

Dub. 1. Quæ ſit materia remota Baptiſmi? Ibi.
Dub. 2. An talis aqua poſsit recipere aliquam mixtionem? 206
Dub. 3. In quo conſiſtat materia proxima Baptiſmi? 208.
Dub. 4. An materia proxima Baptiſmi ſit ablutio quatenus paſſiva? 208.
Dub. 5. Qualis debeat eſſe ablutio Baptiſmalis. 211.
Dub. 6. Quanta debeat eſſe ablutio ex parte corporis, vt exiſtat verus Baptiſmus? 214
Dub. 7. An ad valorem Baptiſmi ſufficiat quæcumque quantitas aquæ adhuc minima, vt vna gutta? 215.
Dub. 8. Quæ ſint ea, quæ ex duplici dubio præcedenti inferuntur? 216.
Infertur primò, eſſe verum Baptiſmum, quando capilli tantùm, aut vnguines aſperguntur. ibi.
Validè baptizatur puer ſub tella, quæ dicitur ſecundina. ibi.
Valide fit Baptiſmus in vmbilico. ibi.
Validè baptizatur exiſtens in vte

ro materno, quãdo exerit manum, vel pedem, in qua abluitur. 216
Si puer exiſtens in vtero poſſet tangi aqua valide baptizaretur. 216
Prægnans ad mortem damnata aliquãdo poteſt ſecari, vt baptizetur infans. 216

CAP. III.

De forma Baptiſmi. 217
Dub. 1. Quæ ſit forma Baptiſmi? 217
Dub. 2. Quæ verba ſint de neceſſitate formæ? 219
Dub. 3. An ad eſſentiam formæ Baptiſmi ſpectet exprimere actionem miniſtri? 221
Dub. 4. An ad eſſentiam formæ Baptiſmi ſit neceſſariũ ſic exprimi actionem baptizandi, vt neceſſariò denotetur eſſe phyſicam actionem miniſtri, qui baptizat? 221
Dub. 5. An ſit de neceſsitate formæ Baptiſmi explicita invocatio trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis? 224
Dub. 6. An Baptiſmus datus ſub nomine Chriſti Domini fuerit aliquando validus? 225
Dub. 7. An poſt tempora Apoſtolorum Baptiſmus collatus ſub hac forma (*Ego te baptizo in nomine Chriſti*) ſit validus? 228
Dub. 8. An Baptiſmus datus ſub hac forma (*baptizo te in nomine Trinitatis*) ſit validus? 234
Dub. 9. An ſit de neceſsitate formæ Baptiſmi, quòd in ea exprimatur vnitas eſſentiæ? 235
Dub. 10. An ſit de neceſsitate formæ Baptiſmi invocare tres divinas perſonas ſub conſuetis nominibus? 236
Dub. 11. An ſit validus Baptiſmus collatus ſub hac (vel ſimili) forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virginis? (vel omniũ Sanctorum) 238
Dub. 12. An forma ſimul proferri debeat, cum adhibetur ablutio? 240

CAP. IV.

De vnitate Baptiſmi. 242
Dub. 1. Qualem vnitatem habeat Baptiſmus? 242
Dub. 2. An Baptiſmus poſsit iterari? 243
Dub. 3. An, cum dubitatur de valore Baptiſmi, debeat iterari? 243
Dub. 4. An pueri expoſiti ſint ſub conditione baptizandi? 245
Dub. 5. An peccet, qui Baptiſmũ ſub cõditione pręſtat non baptizato, quẽ certò ſcit, non eſſe baptizatum? 246
Dub. 6. An aliquando ſit obligatio iterandi Baptiſmum? 248
Dub. 7. An vnitas Baptiſmi requirat neceſſariò vnitatem miniſtri? (hoc eſt, quòd idem, & proferat verba, & ſimul abluat) 249
Dub. 8. An vnitas Baptiſmi requirat vnitatem miniſtri? (hoc eſt, quod non ſimul cõcurrant plu-

plures integrè baptizantes) 249
Dub. 9. An, ſi plures eumdē baptizarent dicendo, *nos te baptizamus, &c.* verum conficerent Sacramentum? 251
Dub. 10. An ſi idem miniſter plures ſimul baptizaret ſub hac forma, *Ego vos baptizo*, teneret Baptiſmus, & plura Sacramenta conficeret? 252

CAPVT V.

De miniſtro Baptiſmi. 254
Dub. 1. Quibus conveniat validè baptizare? 254
Dub. 2. An Angelus poſsit validè baptizare? 255
Dub. 3. Quibus ex commiſsione competat baptizare? 256
Dub 4 An Presbyter licitè poſſit baptizare independenter à Parocho, ſeu abſque licencia illius? 2·9
Dub. 5. An Diaconus poſsit in extrema neceſsitate, & abſentia Sacerdotis baptizare ſine illius commiſsione, aut licentia? 258
Dub. 6. An baptizans debeat perſonaliter diſtingui a baptizato? 259
Dub. 7. An, & qualis intentio requiratur ex parte miniſtri? 260

CAPVT VI.

De neceſsitate Baptiſmi. 260
Dub. 1. An Baptiſmus ſit neceſſarius ad conſequendum vitā æternam? 260
Dub. 2. An Baptiſmus re ipſa ſuſceptus ſit infantibus neceſſarius? 260
Dub. 3. An adulti poſsint ſalvari abſque Baptiſmo in re ſuſcepto, & abſque martyrio? 263
Dub. 4 An parvuli ſalvari poſsint morte pro Chriſto Domino perpeſſa abſque Baptiſmo in re ſuſcepto? 264
Dub 5. A quo tempore Baptiſmus cœperit eſſe neceſſarius? 267
Dub. 6. An à die Pentecoſtes Baptiſmus cœperit eſſe vbique terrarum neceſſarius? 268
Dub. 7. Quando adultus teneatur implere præceptum Baptiſmi? 270
Dub. 8. An Eccleſia poſsit determinare tempus præcepti divini recipiendi Baptiſmum ante finem vitæ? 272

CAPVT VII.

De ſuſcipientibus Baptiſmum. 273
Dub. 1. An omnes, & ſoli homines viatores ſint capaces ſuſcipiendi Baptiſmum? ibi
Dub. 2. An infans exiſtens in vtero materno ſit capax Baptiſmi? ibi
Dub. 3. An infantes non baptizatorum validè baptizentur invitis parentibus? 274
Dub. 4. An infantes infidelium licitè poſsint baptizari invitis eorum parentibus? ibi
Dub. 5. An Iudæi ſint ſervi, aut man-

mancipia Principum, in quorũ regnis habitant? 277
Dub. 6. An amentes ſint baptizandi? 278
Dub 7. An Chriſtus Dominus, & eius ſanctiſsima Parens fuerint incapaces recipiendi Baptiſmũ, eo quod immunes fuerint ab originali? ibi
Dub. 8. An Chriſtus Dominus, & B. Virgo de facto receperint Baptiſmum? 280
Dub. 9 An ſit contra veritatem formæ Baptiſmi affirmare, aliquos in lege gratiæ fuiſſe ſanctificatos in vtero materno? 281
Dub. 10. An de facto aliqui fuerint ſanctificati in vtero materno? 282

CAPVT VIII.

De effectibus Baptiſmi. 283
Dub. 1. Quot, & quales effectus tribuat Baptiſmus? ibi
Dub. 2. An Baptiſmus habeat reliquos alios effectus illos præſertim, quos Baptiſmo tribuũt hæretici? 285

CAPVT IX.

De diſpoſitione ad Baptiſmum, nec non & ad illius effectus neceſſaria. 286
Dub. 1. Quæ diſpoſitio requiratur ad valide recipiendũ Baptiſmum? ibi
Dub 2. Quæ diſpoſitio requiratur ad effectum Baptiſmi, qui dicitur character? ibi
Dub. 3. Quæ diſpoſitio requiratur in adulto ad recipiendum effectum Baptiſmi, qui dicitur gratia Baptiſmalis: & conſequenter ad conſequendum remiſsionem peccatorum? 287.
Dubium. 4. An deteſtatio peccati mortalis perſonalis, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificãtem collatam virtute Baptiſmi, debeat eſſe contritio perfecta? 288
Dub. 5. An ad ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi ſufficiat attritio cognita vt talis? 289
Dub 6. Quæ, quanta, & qualis debeat eſſe attritio requiſita pro diſpoſitione Baptiſmi? 290
Dub. 7. An Baptiſmus ficte ſuſceptus poſtea, recedẽte fictione, conferat ſuum effectũ gratiæ ſanctificantis? 291

CAPVT, X.

De cœremonijs in Baptiſmo adhiberi ſolitis. 292
Dub. 1. An cœremoniæ, quibus Baptiſmus ſolemnis celebratur, ſint convenientes, & laudabiles? ibi
Dub. 2 Quotuplex cęremoniarũ genus in Baptiſmo ſit adhibendum? ibi
Dub. 3. An exorciſmus, & aliæ cœremoniæ, quæ in Baptiſmo adhibentur, habeant aliquos effectus? 293
Dub. 4. An exorciſmus, & aliæ cœremoniæ Baptiſmi aliquos effectus cauſent ex opere operato? 294

Dub

Dub. 5. An in privato Baptiſmo tempore neceſsitatis ſit adhibendus patrinus? ibi
Dub. 6. An ſi quis infantem teneat in privato Baptiſmo ex induſtria, vt patrinus fiat, contrahat cognationem ſpiritualem? 295
Dub. 7. An Sacerdoti competat ex officio catechizare, & exorcizare? ibi
CAP. XI.
De Baptiſmo ſanguinis. ibi
Dub. 1. An Baptiſmus ſanguinis ſufficiat infantibus, abſq; Baptiſmo aquæ? 296
Dub. 2. An Baptiſmus ſanguinis proſit adultis non baptizatis? ibi.
Dub. 3. An in adulto exiſtenti ſub mortali perſonali requiratur pro diſpoſitione martyrij dolor de peccatis? 298
Dub. 4. Quæ conditiones ſint neceſſariæ ad conſiſtentiam veri martyrij? 301

INDEX

CAPITIS, ET DVBIORVM tractatus de Confirmatione.

Procemium. 303
CAPVT VNICVM.
De omnibus, quæ ad Sacramentum Confirmationis poſſunt ſpectare. ibi
Dub. 1. Quid ſit Confirmatio? ibi
Dub. 2. Quæ de Confirmatione ſint certa inter Catholicos? 304
De tempore inſtitutionis Confirmationis. 305
Dub. 3. Quo tempore fuerit inſtitutum hoc Sacramentũ? ibi
De neceſſitate Sacramenti Confirmationis. 308
Dub. 4. An Sacramentum Confirmationis ſit neceſſarium ad ſalutem? ibi
Dub. 5. An ille, qui, opportunitate ſibi oblata, non recipit Confirmationem, dicatur illã contemnere? 310
Dub. 6. An ſaltèm ſub veniali ſit obligatio recipiendi Cõfirmationem? 311
Dub. 7. An ſit mortale ſuſcipere ordines ſine Cõfirmatione? ibi
De materia Confirmationis. ibi
Dub. 8. An ſit de neceſsitate Cõfirmationis, quòd fiat Chriſmate miſto ex oleo olivæ, & balſamo? 312
Dub. 9. An ſit de neceſsitate Cõfir-

firmationis, quòd Chriſma ſit ab Epiſcopo benedictum? 315
Dub. 10. An ſit de neceſsitate, quòd vnctio fiat in fronte? 317
Dub. 11. An Apoſtoli in adminiſtratione Confirmationis ſemper vſi fuerint chriſmate? ibi
De forma Confirmationis. 319
Dub. 12. Quæ ſit forma Confirmationis? ibi
Dub. 13. An ſaltèm aliqua forma fuerint vſi Apoſtoli in adminiſtratione Confirmationis? 320
De ſubiecto capaci Confirmationis. 321
Dub. 14. Quod nam ſit ſubiectum capax Confirmationis? ibi
Dub. 15. In qua ætate ſit adminiſtranda Confirmatio? ibi
Dub. 16. An adulti in articulo mortis ſint Confirmandi? 323
Dub. 17. An perpetuo amentes ſint Confirmandi? 324
De Confirmationis effectibus. 325
Dub. 18. Quot; & quales effectus habeat Confirmatio? ibi
Dub. 19. An character Confirmationis neceſſario prærequirat characterem Baptiſmi, ita vt invalidè Confirmetur nō baptizatus? 326
Dub. 20. An ex eo quòd in Confirmatione imprimatur character, inferatur, hoc Sacramentum eſſe initerabile? ibi
Dub. 21. Qualem gratiam conferat Confirmatio? 327
De patrino Confirmationis. ibi
Dub. 22. Qualis debeat eſſe patrinus Confirmationis? ibi
Dub. 23. An, ſi non Confirmatus ſit patrinus Confirmationis, contrahat cognationem ſpiritualem? 329
De miniſtro Confirmationis. ibi
Dub. 24. Quid de miniſtro Confirmationis ſit certum? ibi
Dub. 25. An ſimplex Sacerdos poſsit eſſe miniſter Confirmationis ex delegatione Papæ? 330
Dub 26. An Epiſcopus poſsit committere hanc poteſtatem Confirmandi ſimplici Sacerdoti? 331
De ritu, ſeu cæremonijs Confirmationis. ibi
Dub. 27. Quot? & quales ſint cæremoniæ in Cōfirmatione adhiberi ſolitæ? ibi

DVBIORVM, QVAE IN tractatu Ordinis ſub vnico capite continentur.

Procœmium. 333

CAPVT VNICVM.

De omnibus & ſingulis, quæ ad Sacramentum Ordinis qualitercũque poſſunt ſpectare. ibi

De ſpectantibus ad eſſentiam, & numerum Ordinum: necnon & de aliquibus comparationibus illorum inter ſe ſe. ibi

Dub. 1. Quid ſit Ordo Eccleſiaſticus? Et qui dicantur habere Ordinem, ſeu eſſe Ordinati in Eccleſia Dei? ibi

Dub. 2. Quid ſit Ordinatio? 335

Dub. 3. Quę ſint apud Catholicos certa de Sacramento Ordinis, ſeu Ordinationis? 337

Dub. 4. Quotuplex ſit Ordo? ibi

Dub. 5. De præcipuis prædictorum Ordinum miniſterijs? ibi

Dub. 6. An prima tonſura ſit Ordo? 338

Dub. 7. An Epiſcopatus, prout a Sacerdotio diſtinctus, & ei ſuperadditus, ſit Ordo Eccleſiaſticus? 339

Dub. 8. An Epiſcopatus addat aliquid ſuper Sacerdotium? 340

Dub. 9. An Epiſcopatus iure diuino ſit diſtinctus à ſimplici Sacerdotio? ibi

Dub. 10. Qui Ordines ſint maiores? 341

De ſpectantibus ad Ordinem, in quantum eſt Sacramentũ nouæ legis. 342

Dub. 11. An Ordo ſit Sacramentum nouæ legis? ibi

Dub. 12. An aliquis alius Ordo præter Sacerdotium, ſit verum Sacramentum? ibi

Dub. 13. An Epiſcopatio ſit Sacramentum? 346

De ſpectantibus ad materiam, & formam ſingulorum Ordinum. 347

De Epiſcopatu. ibi

Dub. 14. Quæ ſit materia? & quæ forma in Ordinatione Epiſcopi? ibi

Dub. 15. An ad valorem Ordinationis Epiſcopi ſufficiat, forma ab vno tantùm Epiſcopo proferri? 348

De Ordinatione Sacerdotis. 350

Dub. 16. Quæ ſit materia? & quæ forma in Ordinatione Sacerdotis? ibi

De Ordinatione Diaconi. 352

Dub.

Dub. 17. Quæ ſit materia & quæ forma in Ordinatione Diaconi? ibi

De Ordinatione Subdiaconi. 355

Dub. 18. Quæ ſit materia proxima? & quæ forma in Ordinatione Subdiaconi? 355

De Ordinationibus minoribus. ibidem

Dub. 19. Quæ ſint materiæ proximæ? & quæ formæ Ordinum minorum? ibidem

De contactu requiſito ad valorem Ordinis. 357

Dub. 20. An ad valorem Ordinationis requiratur, quod Ordinatus phyſicè tangat rem illã, cuius traditio eſt materia proxima Ordinationis? ibidem

Dub. 21. An ſufficiat phyſicus cõtactus ſolius calicis in Ordinatione, in qua pro materia aſſignatur calix cum patena? 358

Dub. 22 An miniſter, ſeu Epiſcopus Ordinãs neceſſario debeat phyſicè attingere materiam, quam tradit Ordinato? 359

De effectibus Sacramenti Ordinis. 360

Dub. 23. Quos effectus habeat hoc Sacramentum? ibi

Dub. 24 An character Sacramenti Ordinis neceſſario prærequirat characterem Baptiſmi? ibidem

Dub. 25. An character Ordinis inferioris eſſentialiter requiratur ad characterem Ordinis ſuperioris? ibidem

Dub. 26. An in Ordinatione Sacerdotis duplex partialis character ſit admittendus? 361

De miniſtro Sacramenti Ordinis. 363

Dub. 27. Quæ ſint certa de miniſtro Ordinis. ibi

Dub. 28. An Sacerdoti non Epiſcopo poſſit Pontifex committere facultatem cõferendi Ordines maiores? ibidem

Dub. 29. Quot Epiſcopi requirãtur ad Ordinandum aliquem in Epiſcopum? 364

Dub. 30. An tres Epiſcopi eſſentialiter requirantur ad Ordinationem Epiſcopi? 365

Dub. 31. An Epiſcopus hæreticus, excommunicatus, aut degradatus validè Ordines cõferat? 367

Dub. 32. An mortaliter peccet miniſter, qui ſub mortali exiſtens miniſtrat Ordinẽ receptum? ibi

De Sacerdote. 368

De Epiſcopo. ibidem

De Diacono, & Subdiacono. 370

De miniſtrante Ordines minores. ibidem

De miniſtro conficiente Sacramentalia. ibidem

De Prædicatore, & Lectore. 371

De Subiecto capaci Sacramenti Ordinis. ibidem

Dub 33. An fœminæ ſint capaces Sacramenti Ordinis? ibidem

Dubium 34. An non baptizatus ſit capax recipiendi Ordines? 372

Dub.

Dub. 35. An baptizatus, qui non pervenit ad vſum rationis ſit capax recipiendi Sacramentũ Ordinis? 373

De requiſitis ex parte Ordinandi. 375

Dub. 36. An ex parte Ordinandi aliquid ab Eccleſia ſit requiſitum ad debitam, ſeu congruẽtem Ordinationem? ibidem

De ætate. ibidem

Dub. 37. An qui bona fide Ordinatus eſt ante legitimam ætatem, ſi poſteà hoc cognoſcat, poſsit ex tunc celebrare ſine peccato? 376

De ſcientia. 377

De interſtitijs. ibidem

Dub. 38. An annus, qui inter duos Ordines fluere debet, ſit ſolaris? An vero Eccleſiaſticus? 378

De beneficio, & patrimonio. ibi

Dub. 39. An Ordinatus cum patrimonio ficto incurrat ſuſpẽſionem? 379

De temporibus conferendi Ordines. 380

De continentia adiuncta Ordinibus. ibi

Dub. 40. An Ordinibus innitiati aliqua ſpeciali lege, teneantur ad continentiam? ibi

Dub. 41. An iuſtè Eccleſia nullum admittat ad Ordines maiores, niſi voveat omnimodam continentiam? 381

Dub. 42 An Sacris Innitiati ſint prohibiti etiam iure divino poſitivo matrimonium ducere? 582

Dub 43. An ſacris Ordinibus initiati ſolo iure Eccleſiaſtico ſint prohibiti vti matrimonio anteOrdinationem contractum? 383

Dub 44 Quo tempore Eccleſia præceperit cõtinentiam ſacris Ordinibus innitiatis? ibi

Dub. 45. An ſacris innitiati obligentur ad continentiam immediatè per legem Eccleſiaſticam? An mediante voto? 384

Dub. 46. An, qui Ordinem ſacrũ ſuſcipit ob metum cadentem in virum conſtantem, obligetur ad continentiam? 386

Dub 47. An doli capaces, qui ante annum pubertatis Ordinantur, teneantur ad continentiam? 388

Dub. 48. An, qui, inſcia, vel contradicente vxore, Ordinem ſacrum recipit, teneatur ad continentiam? 389

Dub. 49 An, ſi matrimonium nõdum erat conſumatum teneatur homo ingredi religionem, vt ſervet votum continentiæ Ordinibus annexo? 390

Dub 50. An ante bimeſtre aſsignatum à iure, vt poſsit quis deliberare, an ſibi magis expediat Religionẽ ingredi, quam matrimonium conſumare, licitè poſsit prædictus Ordinatꝰ reddere debitum? ibi

Dub. 51. Quid requiratur, vt vxoratus poſsit Ordines ſacros recipere? 391

Dub. 52. An vxoratus poſsit contra volũtatem vxoris adulteræ Ordi-

Ordinem ſacrum recipere? ibi

De Exemptionibus ſtatus Clericalis. 362

Dub. 53. An Clerici habeant aliquas exemptiones, & quales? ibi
Dub. 54. An clerici ſint exempti à poteſtate Principum ſæcularium, ipſo iure divino; an verò ex iure humano tantùm? ibi

De tonſura Clericorum. 394

Dub. 55. An ſacris Initiati teneantur geſtare tonſuram Eccleſiaſticam? ibi
Dubium 56. An hoc præceptum obliget ſub mortali? ibidem

INDEX CAPITIS, ET DVBIORVM huius tractatus de Extrema vnctione.

Procœmium. 396.

CAPVT VNICVM

De omnibus, & ſingulis, quę ad Sacramentum Extremę vnctionis qualitercumque poſſunt ſpectare. 397.

De ſpectantibus ad eſſentiam Extremæ vnctionis. ibi

Dubium 1. Quid ſit Extrema vnctio? ibi
Dub. 2. Quid nominis? ſeu quare hoc Sacramentum dicatur Extrema vnctio? 398

De ſpectantibus ad materiam remotam Extremæ vnctionis. ibi

Dub. 3. Quæ ſit materia remota huius Sacramentum? ibi
Dubium 4. An extet præceptum renovandi oleum benedictum per ſingulos annos? 399
Dubium 5. An validè quis vngeret infirmum cum chriſmate confirmationis? 400
Dubium 6. An vna gutta olei ſufficiat

ficiat in vnaquaque vnctio. ne? ibi

De ſpectantibus ad materiam proximam Extremæ vnctionis. ibi

Dub. 7. Quantus debeat eſſe numerus Vnctionum? ibi
Dub. 8. An prædictæ ſeptem vnctiones ſint de neceſsitate Sacramenti? 401

De ſpectantibus ad formam Extremæ vnctionis. 403

Dub. 9. Quæ ſit forma huius Sacramenti? ibi
Dubuim 10. An ad valorem huius Sacramanti ſit neceſſaria forma modo deprecativo collata? ibi
Dub. 11. An omnia illa verba, *Per iſtam Sanctam Vnctionem, &c.* ſint de neceſsitate formæ? 404
Dub. 12. An in forma Extremæ vnctionis addenda ſint iſta verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?* 405
Dub. 13. An hæc forma ſufficiat: *Per iſtas ſanctas vnctiones* (ſimul vngendo omnes partes) *& ſuam pijſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c.* ibi

De ſpectantibus ad miniſtrum Extremæ vnctionis. 406

Dub. 14. Quis ſit miniſter Extremæ vnctionis? ibi
Dub. 15. An plures Sacerdotes poſsint valide diverſas vnctiones eiuſdem infirmi adminiſtrare? 407
Dub. 16. An Parochus teneatur tempore peſtis miniſtrare hoc Sacramentum cum periculo vitæ? ibi

De ſpectantibus ad ſubiectum recipiens Extremam vnctionem. 408

Dub. 17. An non baptizatus ſit incapax recipiendi Extremam vnctionem? ibi
Dub. 18. An infantes, & perpetuò amentes ſint incapaces recipiendi Extremam vnctionem? ibi
Dub. 19. An adultus, qui numquam peccavit adhuc venialiter, ſi capax Extremæ vnctionis? 409
Dub. 20. An hoc Sacramentum ſit conferendum adulto morienti poſt baptiſmũ taliter, vt nullum peccatum commiſerit? 411
Dub. 21. An eidem infirmo in eadem infirmitate poſsit pluries conferri Extrema vnctio? ibi

De ſpectantibus ad effectus Extremæ vnctionis. ibi

Dub. 22. Qui ſint effectus huius Sacramenti? ibi
Dub.

Dub. 23. Quid per ly *reliquias peccatorum* veniat intelligendum? 412.

Dub. 24. Quiſnam ex effectibus à concilio aſsignatis ſit primarius? ibi.

Dub. 25. An hoc Sacramentum poſsit conferre primam gratiam, ſeu remittere mortalia? 414.

Dub. 26. An tota gratia huius Sacramenti conferatur in vltima vnctione? ibi.

Dub. 27 Quo infirmitatis tempore ſit adminiſtrandum hoc Sacramentum, vt convenienter ſalutem corporalem (ſi expediat) operetur? 415.

De ſpectantibus ad obligationẽ recipiendi Extremam vnctionem. 416

Dub. 28. An extet præceptum recipiendi Extremam vnctionem? ibi

Dub. 29. An ſaltem ſub veniali ſit obligatio recipiendi Extremam vnctionem? 417

Dub 30. An ſit obligatio exiſtẽdi in ſtatu gratiæ ad dignam receptionem Extremæ vnctionis? 418.

TRACTATVS DE SACRAMENTIS IN GENERE, IN DOCTRINA SCOTI.

PROOEMIVM.

1 POSTQVAM de Verbo Incarnato, Adoratione que ſibi debita copioſè egerimus, iure ad Sacramentorum conſiderationem progredimur: (tàm Subtilem, quàm Angelicũ Doctorem imitati) quoniam Sacramenta novæ legis, quæ ſunt principaliſsima pars huius conſiderationis; ab eodem Verbo Incarnato ſunt instituta: vt definit Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. Præterea in Complutenſi Theologorum paleſtra (pro cuius agoniſmate præcipuè hæc ſcripta prælo mãdantur) in quinto certamine, poſtquam in quarto de Incarnatione, & Adoratione, Sacramentorum doctrina propugnatur.

¶ Tractant de Sacramentis diſtinctio n'ſtæ *in 4. à diſt.* 1. *vbi Scotus, & eius Aſſeclæ.* Sed D. Th. *in 3. p. à q.* 60. *vbi eius alumni.* Alij autem in diverſis tractatibus paſsim à nobis citandis.

2 Igitur vox *Sacramentum* Latinè ſignificat ſecretum; item iuramentum; necnon & religioſam obligationem; atque alia apud Gramaticos videnda. Theologicè autem accipitur pro ſigno externo ſanctitatis, & gratiæ. In qua acceptione ſumitur vox *Sacramentum* ab Auguſtino *Epiſt.* 118. à Trident. paſsim præſertim *per totam ſeſsionem* 7. & à pluribus Concilijs, & Patribus videndis præcipuè apud G. Hurt. *in tract. de Sacramentis in genere diſp.* 1. *q.* 1. ¶ Sed dicunt hæretici noſtri temporis, hanc vocem *Sacramentum* ſic acceptam eſſe novam; nec contineri in Scriptura. Reſpond. non eſſe novam, quæ à tot, & tàm antiquis Patribus fuit vſurpata. Nec obſtat, non contineri in Scriptura. Sufficit enim, eius ſignificatum non cõtradicere Scripturæ:

3 Vocant hunc tractatum de Sacramentis in genere: quan-

tum in ipſo de nullo in particulari diſputatur, ſed de illa ratione communi, in quam omnia Sacramenta conſpirant. ¶ Quem tractatum in octo capita dividam. In primo agam de poſsibilitate, & eſſentia Sacramenti. In ſecundo de convenienti Sacramentorum exiſtentia. In tertio de illorum cauſa. In quarto de eorum effectu. In quinto de cauſalitate Sacramentorum. In ſexto, de Sacramentorum ſubiecto. In ſeptimo de ordine, & numero Sacramentorum. In octavo de cœremonijs, quibus Sacramenta ſunt adminiſtranda. Quæ cœremoniæ dicuntur Sacramentalia.

CAPVT I.

De poſsibilitate, & eſſentia Sacramenti.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, vtrùm Sacramentum ſit poſsibile? Reſpond. affirmativè. Quia poſsibile eſt, Deum inſtituere, aut imponere aliquod ſignum externum ad ſignificandum gratiam ſanctificātem animam, aut effectum inviſibilem. Sicut nos poſſumus imponere ſigna ad ſignificandum id, quod nos latet. Et conſtat in ramo pendente ante tabernam, qui eſt ſignum impoſitum ad ſignificandum vinū vendibile; atque in multis alijs. ¶ Inſuper eſt poſsibile, Deum ſe determinare ad cauſandum effectum ſignatum per tale ſignum, niſi impediat indiſpoſitio eius, cui adhibetur. In hoc enim non apparet repugnantia. Et patet in nobis: eſt enim poſsibile, quòd aliquis inſtituens ſignum effectus ſui, diſponat ſe ſemper cooperari effectum talis ſigni, niſi impediret ille, cui adhibetur: *puta ſi quis inſtituat pro ſigno pacis, vel benevolentiæ tactum manus, vel elevationem digiti, vel quid huiuſmodi, poſſet inſtituens tale ſignum determinare ſe ad ſemper cooperandum ad effectum ſignatum, niſi indiſpoſitio eius, cui adhibetur ſignum, impediret*; inquit Scotus *in 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. §. De ſecundo verſic. Vlterius.* Vbi hanc noſtram concluſionem tradit, eſtque communiſsima ſententia. ¶ Notat autem Scotus *ibi verſic. Secundò dico*, prædictam concluſionem amplè eſſe intelligendam, nempè de quocumque ſigno: ſic enim loquitur: *Cum ſignū dividatur in rememorativum, quod eſt præteriti; & pronoſticum, quod eſt futuri; & demonſtrativum, quod eſt præſentis; poſsibile eſt, Deum inſtituere quodcumque iſtorum ſignorum ad ſignificandum ſuos effectus. Quod etiam probatur; quia nos poſſumus quod-*

cumque

cumque iſtorum ſignorum inſtituere ad ſignificandum noſtros effectus. Sic enim inſtituta ſunt à nobis iuramẽta, promiſiones, & ſigna huiuſmodi obligatoria ad ſignificandum noſtrum effectum futurum, vel aſſertoria ad ſignificandum effectum præteritum, vel præſentem.

DVBIVM II.

2 PEtes ſecundò, an Sacramentum poſsit definiri? Reſpondetur affirmativè. Quia cuiuſcumque rei ſignificatum, poteſt explicari, ſeu declarari: ergo & definiri. Patet cõſequẽtia: quia definio eſt declaratio rei per ſuam eſſentiam, aut proprietatem. Ita Scotus *ibi* §. *& verſic. Ex his, & communiter Theologi.*

3 ¶ Sed oppoſitum defendunt *noſter Ochamus, Aliacenſis in 4. quæſt. 1. & Gab. diſtinct. 31. quæſt. 1. art. 3.* & obijciunt, quòd Sacramentum eſt ens per accidens, ſeu per aggregationem plurium: (baptiſmus v. g. conſtat ex aqua, & verbis) ergo nequit definiri. Reſpondetur concedendo antecedens de Sacramento materialiter ſumpto, & negando de illo ſumpto pro formali: qua ratione conſiſtit in quadam relatione ſigni ad gratiam ſanctificantem animam, aut ad effectum gratuitum. Igitur ſicut domus, exercitus, pulchritudo, &c. quamvis pro materiali ſint vnum per accidens, ſeu per aggregationem; pro formali tamen ſunt vnum per ſe, & poſſunt definiri: ita Sacramentum. ¶ Contra: PP. & concilia docent, Sacramenta conſtare rebus, vt materia, & verbis, vt forma: ergo formale Sacramenti non ſtat in prædicta relatione ſigni. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: eſt enim verum de formali Sacramenti ſumpti fundamentaliter, aut phyſicè; id eſt ſumpti pro rebus ipſis, quibus Sacramentum conſtat: falſum autem de formali Sacramenti metaphyſicè, aut formaliſsimè ſumpti. Itaque in Sacramento adhuc materialitèr, aut fundamentalitèr ſumpto diſtinguendum eſt materiale, & formale. In baptiſmo v.g. aqua eſt quaſi materia: quia de ſe eſt indeterminata ad plures effectus; (ad extinguendum ſitim, ad rigandum agros, ad lauandum, &c.) verba autem iſta (*Ego te baptizo, &c.*) ſunt quaſi forma: quia determinãt aquam ad ſignificandum hunc determinatum effectum, ſcilicèt munditiem animæ, ſeu eius ablutionẽ à culpa. Totum autem coniunctum ex aqua, & verbis dicitur baptiſmus phyſicè; & eſt materia, vel fundamentum relationis ſigni ad gratiam lavantem animam à culpa; in qua relatione conſiſtit baptiſmus formaliſsimè, ſeu metaphyſicè ſumptus.

¶ Nec hoc eſt ſpeciale in Sacramentis: in Petro enim v.g. qui eſt fundamentum relationis (ſivè vnitatis, ſivè Paternitatis, &c.)

&c.) & eſt vera materia, & vera forma; & tamen Petrus conſtans materia, & forma eſt fundamentum, ſeu materia præfatæ relationis. Aptius autem eſt exemplum parietis albi: albedo enim, vt ſex v. g. afficit parietem tamquam forma ſubiectum, ſeu materiam: & tamen totum iſtud coniunctum (*paries albus, vt ſex,*) eſt fundamentum relationis ſimilitudinis ad aliud album, vt ſex; & diſsimilitudinis ad aliud album diſsimiliam graduum.

4 Obijcies ſecundò, Sacramentum conſiſtit in quadam relatione ſigni conſurgente ex inſtitutione Dei: ergo non habet verum eſſe reale, ſed ſolùm ordinatum à Deo ad ſignificandum ſanctitatem: ergo non poteſt definiri. Patet ſecunda conſequentia: quia vna ex conditionibus (quas enumerat Scotus *ibi quæſt.2. §. & verſic. Hic primò*) ad hoc, vt aliquid poſſit proprie definiri, eſt, quod ſit verum ens reale. Reſpondetur diſtinguendo ſecundum conſequens: definitione purè quidditativa, concedo: (& de hac tantùm loquitur Scotus ibi) non purè quidditativa, ſeu quidditativa cum additamento, nego. Hoc enim modo Ariſtoteles, Porphyrius, & Dialectici omnes definiunt ſecundas intentiones Logicales. ¶ Vocant definitionem pure quidditativam illam, in qua nihil ponitur, quod non pertineat ad quidditatem definiti; vt in hac: *animal rationale,* in qua vtrumque prædicatum eſt de eſſentia hominis. Non purè quidditativam, ſeu quidditativam cum additamento vocant illam, in qua includitur aliquid, quod licèt ſit neceſſarium ad explicandum eſſentiam definiti; non tamen eſt pars eſſentialis illius. Quo pacto definiuntur relatiua: quia, cùm dicant eſſentialem ordinem ad terminum, non poteſt eorum quidditas explicari, niſi terminus (qui non eſt pars quidditativa illorum) in definitione ponatur.

5 Obijcies tertiò, ſolæ ſubſtantiæ poſſunt definiri. Sed Sacramentum non ſignificat ſubſtantiam: ergo non poteſt definiri. Maiorem docet Ariſtot 7. *Metaph c.4.* Reſpondetur maiorem abſolutè eſſe falſam: vt autem intelligitur à Philoſopho, eſt vera, nempè, quod ſola ſubſtantia poteſt definiri definitione quidditativa, & quietativa. Et ratio eſt; quod ſolùm ſubſtantia eſt ens independens ab accidente: quod non habet accidens: omne enim accidens dependet à ſubſtantia, tamquam à ſubiecto. Ex qua differentia duo colliguntur. Primũ eſt, quod ſola ſubſtãtia dicatur à Philoſopho ens ſimplicitèr, & indepẽdẽs; (vtiq; ab accidẽti, tãquã à ſubiecto) accidẽs autẽ dicatur ens nõ ſimplicitèr, ſed ſecũdũ quid, id eſt, depẽdẽs à ſubſtãtia, tam-

tamquam à ſubiecto. Secundò colligitur magis ad noſtrum intẽtum, ſolam ſubſtantiam poſſe definiri non ſolùm eſſentialiter, ſeu quidditativè, ſed etiam quietativè; non verò accidens: quia cùm illa ſit independens ab alio, tamquam à ſubiecto, nihil ponitur in eius definitione, quod non ſit de illius quidditate; & conſequenter, quo non cognito inquietetur intellectus. Quod non habet accidens: quia, cùm ſit ens non ſimpliciter, ſed phyſicè dependens à ſubſtantia, quamvis poſſit quidditativè definiri ſine eo, quod ſubſtantia intret eius definitionem; non tamen definitione quietativa: nõ enim quietatur intellectus quoadvſque cognoſcat, quid eſt id, à quo dependet accidens.

De partibus metaphyſicis Sacramenti, ſeu de Sacramento metaphyſicè conſiderato.

Dubium III.

6 Petes tertiò, quid ſit Sacramentum? Reſpondetur eſſe *ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* In qua definitione ponitur pro genere *ſignum*; reliqua autem pro differentia. Vnde conſtat, eſſe bonam definitionem: cùm conſtet genere, & differentia: explicatque naturam definiti. Ita Scotus *in 4. diſt. 1. quæſt. 2. §. & verſ. De tertio, Fabro diſp. 1. n. 22. & reliqui Scotiſtæ.*

7 Sed pro plena huius definitionis intelligentia nota, D. Auguſtinum *lib. de Doctrina Chriſtiana cap. 1.* ſic definiſſe ſignum: eſt, *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, in alterius cognitionem nos ducit*: id eſt, ſignum eſt, quod vnũ oſtendit, & in cognitionẽ alterius ducit: vt fumus, qui oſtẽdit ſuam ſubſtantiam, & ducit in cognitionem ignis. Igitur Sacramentum dicitur *ſignum ſenſibile*, quia ſenſibus oſtendit accidentia panis (in Sacramento Euchariſtiæ v. g.) & ducit intellectum in cognitionẽ corporis Chriſti Domini. Inſupèr, & quòd Sacramentum debeat eſſe ſignum, conſtat ex Scriptura, & Patribus videndis apud Bellarm. *lib. 1 de Sacramentis cap. 9.* ¶ Differentiæ autem huius definitionis ſunt *ex inſtitutione divina, & efficaciter ſignificans, &c.* Per ly *ex inſtitutione* diſtinguitur Sacramentum à quocumque ſigno naturali, ſeu quod naturaliter repræſentat: qualiter fumus repræſentat ignem; veſtigium repræſentat animal, &c. Sacramentum enim habet repræſentare ex inſtitutione; vt ramus pendens ante tabernam repræſentat vinum vendibile. Additur ly *divina* ad declarandum ex qua inſtitutione Sacramentum habet eſſe ſignum. ¶ Per ly *efficaciter ſignificans* differt Sacramentum à ſignis ſpeculatiuis, quæ non efficiunt, ſed ſupponunt ſuum ſignificatum:

vt eſt ramus pendens ante tabernam: Sacramentum autem efficit ſuum terminum, ſcilicèt ſanctitatem; niſi aliàs ſubiectum recipiens Sacramentum ponat obicem, ſeu impedimentum: vt ponit, qui recipit Sacramentum pœnitentiæ v. g. ſine dolore de peccatis præteritis, aut ſine propoſito de cætero non peccandi: aut niſi aliàs ſubiectum habeat ſummam ſanctitatem: vt habuit Chriſtus Dominus, & fortè B. Virgo: ſicut ego de glorioſiſſima Virgine probabilitèr opinor.

¶ Ponitur illa diſiunctiva *gratiam, vel effectum gratuitum* ad comprehendendum etiam Euchariſtiam, in qua primum ſignificatum eſt corpus Chriſti D.

¶ Additur ly *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris* ad ſignificandum, noſtra Sacramenta fuiſſe inſtituta ſolùm pro degentibus in hoc ſtatu. ¶ Ly autem *ſenſibile*, necnon & ly *gratiam, ſeu effectum gratuitum* ſunt duo connotata poſita ad perfectam, & quietativam cognitionem huius definiti. Quod vniverſaliter contingit in relationis, & relativorum definitione: vt notat Scotus *ibi verſic. Qualiter.* ¶ Per ly *ſenſibile* notatur ſubiectum, aut fundamentum huius relationis ſigni fundari in re ſenſibili. Per ly *gratiam, aut effectum gratuitum* notatur terminus huius relationis ſigni, ſeu correlativum talis ſigni, vel Sacramenti. De quibus videatur Scotus citatus. ¶ Ex quibus conſtat, optimam eſſe præfatam Scoti definitionem, vtpotè optimè explicantem naturam definiti: & conſequentèr ad ipſam fore reducendas multas alias definitiones Sacramenti, quas paſſim adducunt AA. De quibus præſertim legatur Scotus *ibi quæſt. 2. §. & verſ. Ex his patet, & Fab. diſp. 1. c. 3. à n. 20.*

8 Sed contra prædictam definitionem obijcies cum Dominico de Soto *in 4. diſt. 16. q. 1. art. 2.* eſſe diminutam: quia nō comprehendit Sacramenta veteris legis. Reſpondetur (omiſſo Fabro *ibi num. 25.* dicente, illa definitione ſolùm fuiſſe definita Sacramēta novæ legis) negando totum: comprehendit enim cuiuſcumque legis Sacramenta, quæ propriè ſunt talia. ¶ Obijcies ſecundò, quòd *definitio debet eſſe brevis, circumſcriptaque rei explicatio, ex Cicer. lib. 4. Reth.* Reſpondetur prædictam definitionem eſſe huiuſmodi: cùm in illa nulla particula redundet. ¶ Obijcies tertiò, definitio non debet continere aliquam particulam, quæ ſub iudice ſit, & in diſputationē vertatur. Sed Scoti definitio continet multa huius generis: ergo nō eſt bona. Probatur minor: nam in diſputatione eſt poſitū, vtrùm Sacramenta conferant gratiam? Item vtrùm alius à Deo poſſit Sacramenta inſtituere? Inſuper vtrùm Sacramenta debeant eſſe ſigna ſenſibilia? Reſpōd. negando minorem. Ad primam probatio-

nem dico, indubium eſſe, quòd propria Sacramenta debent cauſare gratiam; quamvis vertatur in dubium, an Sacramentum, prout abſtrahit a Sacramentis novæ, & alterius legis debeat cauſare gratiam ſanctificantem interiùs? An ſufficiat, quòd cauſet gratiam, ſeu ſanctitatem externam, ſeu apud homines? qua ſcilicèt quis abſolveretur ab irregularitate, vel ab alio impedimento legali, quo prohibebatur ad ſacra accedere. ¶ Si autem diceremus cum Fabro nupèr citato, & cum alijs, illam Scoti definitionem ſolùm comprehendere Sacramenta novæ legis, indubium eſſet, debere cauſare gratiam interiùs ſanctificantem, vel effectum Dei gratuitum, nempè realem præſentiam Chriſti D. ſub ſpeciebus: *vt num.7.* notabamus: & conſequentèr in hac Fabri ſententia prima probatio minoris nulla omninò eſt. ¶ Ad ſecundam inſtãtiam dico, quod admiſſo, poſſe Deum communicare creaturæ poteſtatem inſtituendi Sacramẽta: tamen inſtitutio, quã illa creatura efficeret, eſſet divina ſaltem remotè; aut ſaltèm ea parte, qua Deus creaturus erat gratiam ſanctificantem interiùs ad poſitionẽ illius ſigni. ¶ Ad tertiam inſtantiam dico, eſſe quidem AA. affirmantes, non eſſe de ratione Sacramenti, quod ſit ſignum ſenſibile: atque adeò affirmamus, ly *ſenſibile* non poni loco differentiæ, ſed eſſe connotatum Sacramenti, quod de facto fuit inſtitutum. Itaque relatio ſigni ad gratiam, vel ad effectum gratuitum (in qua ſtat ratio metaphyſica Sacramenti) requirit tamquam ſubiectum, vel fundamentum, rem ſenſibilem: vt cum Scoto notabamus *num.7.*

9 Conſtat ex numero præcedenti dictis, illa, quæ Sotus adducebat in probationem illius minoris (*Scoti definitio contr. et multa, quæ ſub lite ſunt poſita*) non multum roboris habere. Tamen pro clariori illorum notitia placuit., quid circa ſingula dixerint AA. declarare tribus ſequentibus dubijs.

DVBIVM IIII.

10 PEtes quartò, an Sacramentum neceſſario debeat eſſe ſignum ſenſibile? Reſp. negativè. Quia potuit Deus pro ſigno gratiæ inſtituere ſignum merè ſpirituale, nempè actum intellectus, vel voluntatis, aut aliquem talem habitũ. Ita videtur colligi ex doctrina Scoti *d. 1. q. 2. §. De tertio verſ. Qualiter*, quatenùs affirmat, ly *ſenſibile* eſſe connotatũ ſubiecti, vel fundamenti relationis ſigni, in qua ſtat ratio formalis Sacramenti: ergo exiſtimat, nõ ſpectare ad eius eſſentiam. Patet, quia nullũ connotatũ ſpectat ad eſſentiã connotantis. Tenent hanc cõcluſionẽ *noſter Ochamus in 4. q. 1. Petrus Aliacenſis, & Gab. quos citat, & ſequitur* Vazq. *diſp. 78. c. 4. à n. 34.*

11 Sed oppoſitum defendit quidam ex noſtris in manuſcriptis: & obijcit Scotum *in 4. d. 1. q. 6. & 7. §. Reſpondeo verſ. Et magis*, vbi docet, probabilius fuiſſe, quòd Sacramentum pro expiando originale in lege naturæ fuit ſignum ſenſibile. Reſpond. Scotũ loqui de facto, non autem de poſſibili, ſeu de eo, quod evenire poteſt ſine præiudicio Sacramenti. ¶ Obijcies ſecundò, quòd ſecundùm communem acceptionem huius vocis *Sacramẽtum* formamus cõceptum de aliquo ſenſibil: ergo eſt eſſentiale Sacramẽto eſſe quid ſenſibile. Reſpond. negando conſequentiam: formamus enim conceptus de rebus, quas ſenſibus experimur, involventes in jpſis conceptibus plura, quæ non ſunt de illorum eſſentia. Hac ratione, audita voce *homo*, formamus conceptum ſubſtãtiæ intellectualis quantæ; & tamen quantitas non eſt de eſſentia hominis: & audita voce *cycnus* formamus conceptum cuiuſdã ſubſtantiæ albæ; & tamen albedo nõ eſt de eſſentia cycni. Ita audita voce *Sacramentum* formamus cõceptum rei ſenſibilis, quamvis aliàs ſine ſenſibilitate poſsit dari Sacramentum. ¶ Obijc. tertiò, ſequi ex noſtra ſententia, contritionem, & quemcumque actum charitatis ſupernaturalis eſſe Sacramentũ: & cõſequentèr Sacramenta eſſe plura quàm ſeptẽ. Patet, quia ex inſtitutione divina ſignificant gratiã: cùm ad poſitionẽ illorum Deus infundat gratiã ſanctificantem. Reſp. cõcedendo de poſsibili; & negando de facto. Itaque fatemur, cõtritionẽ, & alios actus internos, & merè ſpirituales poſſe eſſe Sacramẽta inſtituta, non ſolùm pro Angelis, (vt fatetur Vazq. *ibi n. 35.*) ſed etiam pro hominibus tàm Beatis, quàm viatoribus. De facto tamen cõtritio, aut dilectio Dei ſupernaturalis nõ eſt Sacramentum; quia de facto quodcumque Sacramentum eſt quid ſenſibile: quod nõ habet cõtritio, aut dilectio Dei: & ĩdeò gratiam quidem ſanctificantem cõferunt, ſed non ex opere operato, (vt illam conferunt Sacramenta) ſed ex opere operantis.

12. Dicitur gratia conferri ex opere operato, quando confertur vi actionis Sacramentalis à Deo ad hoc inſtitutæ, nõ attendẽdo ad meritum agentis actionem illam, aut illam ſuſcipientis. Tunc autem gratia dicitur conferri ex opere operantis, quando confertur vi operis, quatenus ab ipſo operante fit, ſeu attento reſpectu, quem dicit opus ad ipſum operãs: & ideò gratia tunc confertur ad menſuram, ſeu proportionem ſubſtantiæ, & circumſtantiarum illius operis, propter quod confertur. Hac ratione confert Deus maiorem gratiam interiorem (& collaturus eſt gloriam) propter maiorem diſpoſitionem, quam adhibet homo ad receptionem Sacramenti. (Euchariſtiæ. v. g.)

DV-

DVBIVM. V.

13 PEtes quintò, an Sacramentum debeat eſſe ſignum practicum? Reſpond. affirmativè. Quia paſsim Sacramenta vocantur medicina, & remedia: ſed iſta eſſentialiter ſunt practica: ergo & Sacramenta. Quod ampliùs conſtabit ex dicendis. Ita *Canus Relect. de Sacramentis in genere p.1. ad finem*, *Bellarm. de Sacramentis, c.12. Suar. diſp.1. ſect.1. Ægidius q.60. art.2. dub.1. & Reginaldus lib.26. cap.1.* Et videtur aperta ſententia Scoti, quatenus in definitione Sacramenti dicit, quòd debet eſſe ſignum *efficaciter ſignificans*: quam particulā *num.7.* diximus, eſſe differentiam eſſentialem Sacramenti. ¶ Nota, quòd AA. huius noſtræ ſentētiæ bipartiūtur. Canus enim Bellarm. & Reginaldus exiſtimant, ad rationem Sacramenti requiri, quòd ſit factivum eiuſdem ſanctitatis, cuius eſt ſignum. Suar. verò, & Ægidius dicunt, ſufficere, quòd ſit ſignum gratiæ, & quod ſit factivum ſanctitatis legalis. ¶ Nota inſuper ſignū ſpeculativum dici illud, quod ſupponit ſuum ſignificatum: vt eſt ramus pendens ante tabernam. Practicum autem vocant, quod efficit ſuum ſignificatum, vel ſaltèm eſt effectivum illius: vt eſſet tactus manus, v.g. ſi quis apud ſe firmiter ſtatuiſſet ponere actum amicitiç v.g. ad poſitionem illius tactus. Recolantur dicta *n.1.*

14 Pro ampliori autem intelligentia, & probatione noſtræ ſententiæ dico primò; Sacramēta novæ legis de facto ſunt ſigna practica. Hæc concluſio eſt adeò certa, vt meritò dicat noſter Fabro *in 4. diſp.2. n.1.* quòd Doctores Catholici in hac re non poſſunt diſcrepare; quia diſcreparent de fide, & qui hanc veritatem negarent, eſſent hæretici. Et ratio concluſionis eſt, quòd hæc aſſertio (*Sacramenta novæ legis efficiūt gratiam*) eſt de fide: ergo Sacramenta novæ legis ſunt ſigna practica. Antecedens cōſtat ex multis concilijs, & Patribus videndis præcipuè apud Bellarm. *lib. 2 de Sacramentis cap.5.6. & 7* ſufficiat nobis Trident. *ſeſ.7. can.6.* ſic loquens: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem nō conferre, &c. anathema ſit.* Et *can.7.* definitur, *per hæc Sacramenta conferri gratiam, & non aliquando, & aliquibus, ſed ſemper, & omnibus illa dignè recipientibus.* Et *can.8.* anathematizatur, qui dixerit, *per Sacramenta novæ legis ex opere operato non conferri gratiam, &c.*

15 Dico ſecundò: propria Sacramēta cuiuſcumque legis fuerunt ſigna practica. Quia iſta tātùm ſigna certitudinaliter continent effectum, ſeu noſtram ſalutem. Sed ſemper, & in omni lege, aut tempore voluit Deus, homines ſalvos fieri: ergo debuit inſtituere ſigna de ſe efficacia, vt ſic homo

homo effectum talium ſignorũ cognoſcendo in ipſis ſignis ſuam ſalutẽ ardenter quæreret. ¶ Ex his duabus concluſionibus ſequitur, quod proprium Sacramentũ in communi, & proùt abſtrahit à lege gratiæ, & à quacumque alia, eſt ſignum practicum. Si enim in inferioribus, aut in quacumque determinata lege eſt practicum, practicum debet eſſe, vt abſtrahit ab illis, ſeu in cõmuni ſumptum: etenim abſtractio non deſtruit naturàm abſtracti: vt patet inductione; animal enim, v. g. abſtrahens ab homine, & leone eſt vivens, ſentiens; quia in illis erat vivens, ſentiens. Quod & in omnibus alijs abſtractis contingit. ¶ Ex quibus omnibus firma manet noſtra concluſio *num.* 13. poſita, nempè quòd Sacramentum debet eſſe ſignum practicum.

16 Sed *D. Th.* 3. *p.q.*60. *art.* 1. *Sotus, Vazq. & Ochogavia, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp.* 1. *de Sacram. in genere diff.* 5. docẽt, ad rationem Sacramenti ſtrictè ſumpti ſufficere, quòd ſit nudum ſignum ſanctitatis, & gratiæ abſque eo quòd ſit factivum eiuſdẽ, vel alterius. Et obijciunt: Sacramẽta ſæpè vocãtur myſteria: ſed myſterium eſt quid ſpeculativũ, ſeu non effectivum illius, quod repræſentat: ergo & Sacramentum. Reſpond. negando conſequentiam quia etiam ſæpè vocãtur medicina, & remedia: quæ ſunt quid practicum, & effectivum. Quare dicendum eſt, Sacramenta eſſe quidem myſteria non merè, ſed ſimul eſſe medicinã, & remedia. Sicut ſæpè Chriſtus Dominus vocatur homo; propter quod nõ negatur, quod ſimul ſit Deus. ¶ Pro plena huius intelligentia nota, hæc tria myſterium, remedium, & Sacramentũ ſtrictè ſumpta differre, quamvis non ſemel pro eodem vſurpentur, ſed minùs propriè. Igitur ſtrictè ſumpta habent ſe ſicut ſuperius, & inferius. Omne enim Sacramẽtum eſt remedium, (idem eſt de medicina) & myſterium; non tamen è contra: quia myſterium ſolùm dicit myſticè ſignificare, ſeu aliquod occultum mẽtibus miniſtrare. Quare occulta noſtræ fidei dogmata dicuntur myſteria. emediũ autem (ſpirituale) etiam requirit, ſeu addit, quod id, quod eſt occultũ, ſit ad noſtram vtilitatem: & conſequẽter remedium etiam comprehẽdit Sacramentalia, Incarnationẽ, nativitatem, &c. Denique Sacramentum propriè acceptum vltra hoc addit, quòd cum effectu, & ex opere operato ſignificet id, quod myſticè ſignificat, (& quod eſt myſteriũ) & quo mundamur, & remediamur; eo quòd eſt remedium, & medicina.

17 Obijcies ſecundò, vox *Sacramentum* in Scriptura ſolùm ſignificat rem ſacram, ſeu myſterium: ergo non eſt neceſſarium, quòd ſit effectivum gratiæ. Reſpondetur negando conſequentiam:

tiam: quamvis enim in Scriptura tãtum ſignificet myſterium; inde tranſlatum eſt ad ſignificandũ non quodcumq; myſterium, ſed illud, quod eſt effectivum gratiæ, medicina, ſeu remediũ. ¶ Obijcies tertiò, quòd diuerſi PP. & concilia negant antiquis Sacramentis collationem, aut effectionem gratiæ: ergo non ſunt ſigna practica. Reſpondet. dupliciter *cum Scoto in 4. d. 1. q. 6. §. De potentia verò à verſ. ſed præter iſta & cum Fabro diſp. 3. cap. 3. à num. 41.* Primò dicimus non loqui abſolutè, ſed comparativè ad noſtra Sacramenta: illa enim conferebant parvam gratiam, noſtra autem vberiorem. Hac ratione dicere ſolemus, quòd parvum pro nihilo reputatur. Et Scriptura ſæpè clamat, quòd creaturæ ſunt nihil in comparatione Dei. Sufficiat illud *Pſ. 38. num. 6. & ſubſtantia mea quaſi nihilum ante te.* Item dicit Scriptura, quòd creaturæ puritas comparata cum puritate, aut ſanctitate Dei non eſt puritas. Legantur PP. & Expoſitores ad verba illa *Iob 9. verè ſcio, quòd ita ſit, & quòd non poteſt iuſtificari homo compoſitus Deo.* ¶ Secundò dicimus, quòd illa antiqua Sacramenta dicuntur nõ conferre gratiam, non quia illam non conferebant, ſed quia per illam non aperiebatur ianua cœlorum. Hac ratione filius parvulus dicitur nõ habere ius ad hæreditatem, ſeu quòd nihil differt à ſervo; (vt ait Paulus *ad Galat. 4.*) non quia non habeat ius ad hęreditatem patris; ſed quia vſque ad mortem patris hoc ius eſt impeditum. Itaq; aliquando abſolutè negatur de aliqua re id, quod res illa vere habet: negatur tamen, quia illud nõ habet cum hoc, vel illo modo; cũ hac vel illa circumſtantia; ex hoc vel illo fine. Vt patet *Matth. 15.* vbi Chriſtus D. abſolutè negat, ſe veniſſe ad vocandum, ſeu ſalvandum Gentiles: (ſic enim loquitur: *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierant domus Iſrael*) & tamen verè venerat ad ſalvandum omnes. Quia tamen primò non venerat ad ſalvandum, ſeu vocãdum gentes, ſed Iudæos; ideò abſolutè negat, veniſſe ab ſalvandũ illos: vt notat D. Hieron. ibi dicẽs: *Non quòd ad gentes non miſſus ſit; ſed quod primùm miſſus ſit ad Iſrael.* ¶ Vnde patet reſponſio ad id, quod ex Eugenio 4 expendunt adverſarij, nẽpe dixiſſe Sacramenta novæ legis differre à Sacramẽtis antiquæ in hoc, quòd Sacramenta antiquæ legis non cauſabant gratiã, ſed tantùm figurabant illam dandam per paſſionẽ Chriſti D. Sacramenta verò novæ legis illam continent, & conferunt. Conſtat (inquam) loqui vel comparativè, vel de gratia, quæ ſit immediata diſpoſitio ad aperiendam regnum cœlorũ. ¶ Cõtra quod Apoſtolus ad Galatas 4. Sacramenta antiquæ legis vocat *infirma, & egena elemẽta.* ergo nullam gratiam conferebant. Reſpond. negando conſequen

quentiam:quia loquitur non tam de gratia, quàm de illius effectu, qui eſt aperire ianuam cęlorum. Reſpond. ſecundo, cum Fabro *diſp.3.num.39.* loqui de circumciſione, (idem dicendum eſt de cæteris Sacramentis illius legis, ſi in ea fuit aliquod aliud Sacramētum proprium diſtinctum à circumciſione) poſtquam evacuata fuit poſt promulgationem Evangelij in die Penthecoſtes ſolemniter factam.

18 Contra primam concluſionem, (ſcilicèt Sacramenta novæ legis ſunt ſigna practica) congerunt hæretici diverſa teſtimonia, quibus dicitur, hominē iuſtificari per fidem. Vnde inferunt, hominē non iuſtificari per Sacramēta, niſi quatenus excitāt fidē. (Hic notandum eſt diſcrimē repertum inter Catholicos, & hæreticos. Nos enim primò requirimus fidem, tamquam diſpoſitionem præviam, cui ſuccedat Sacramentum, quod immediatè, & proximè conferat gratiā. Hæretici autem è contra primò requirunt Sacramentum ad excitandum fidem ſeu fiduciam, quę ſecūdum ipſos immediatè iuſtificat.) Tamen hæc eſt aperta hæreſis damnata in Trident. *ſeſ.6. can.12. & 14.* Quare ad omnia illa teſtimonia, quibus dicitur, hominem iuſtificari per fidem, reſpondetur loqui de diſpoſitione prævia ad iuſtificationē, qualis eſt fides, quæ eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix noſtræ iuſtificationis*: vt loquitur Trident. *ſeſ.6.cap 8.* Legatur etiam *cap. 6.* vbi docet, fidē eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationē.

¶ Hinc conſtat, tam fidem, quā Sacramenta ſimul poſſe concurrere ad iuſtificationem, diverſo tamen modo: nam fides (idem eſt de timore concepto ex metu gehennæ, vel ex alio ſimili motivo ſupernaturali, necnon & de pœnitentia, de dilectione, &c.) concurrit tamquam diſpoſitio prævia; Sacramentum verò tamquam cauſa inſtrumētalis. Immò præter hæc omnia concurrit Deus tamquam principale agens gratiæ; & Chriſtus D. tamquam cauſa meritoria illius.

19 Obijcies ſecundò, illud *mundans eam lavacro in verbo vitæ, ad Epheſ. 5. num. 26.* vbi tota vis baptiſmi tribuitur verbo: verbum autem operatur excitando fidem, iuxta ilud, *Rom. 10. num. 17. fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Reſpond per verbum vitę ibi non intelligi cōcionem, quæ fidem excitat, ſed verbum, quod eſt forma baptiſmi, nempe: *Ego te baptizo, &c.*

¶ Obijcies tertiò, illud Auguſt. *tract. 80. in Ioannem*: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*: ergo tota efficacia baptiſmi (& ſimiliter omnium Sacramentorum) tribuēda eſt fidei, & ſine iſta baptiſmus nihil prodeſt. Reſpondet. cum Becano *cap.3. q. 1. num.11.* ſen-

ſenſum Auguſtini eſſe verba Sacramentalia, ſeu quibus conficitur Sacramẽtum (baptiſmi v.g) non dare aquę vim abluendi cor, ſeu animam, quatenùs eſt quædã res naturalis, (ſcilicèt aer percuſſus) ſed quatenùs eſt res ſpiritualis, & ſola fide cognoſcibilis; videlicèt quatenùs ex inſtitutione Chriſti D. continet invocationẽ Sanctiſsimæ Trinitatis. Vnde ly *qua creditur* non debet intelligi de fide actuali, ſed de obiectiva; vt etiam notat D. Thom. *q.* 60. *art.7.ad primum.* ¶ Objicies tertio, illud Auguſt. Non Sacramentum, ſed fides Sacramenti iuſtificat. Reſpond. cum præcitato Becano Auguſtinum nuſquam habere illa verba. Immo contrariũ ex illo colligitur. Nã *epiſt.* 23. *ad Bonifacium.* dicit parvulos eſſe fideles, & ſalvari per baptiſmum, ſi moriantur: quia etſi non habeant fidem, habent tamen fidei Sacramentum. Vnde patet ſecundùm Auguſt. quòd parvulos non ſalvat fides, ſed Sacramentum fidei. ¶ Plura hùc ſpectantia vide apud Becanum *ibi q.*1.

DVBIVM VI.

20 PEtes ſextò, an gratia ſignata per Sacramentum debeat eſſe ſanctificans? (excipitur Sacramentum Euchariſtiæ, cuius proximum ſignificatum eſt realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti D. ſub ſpeciebus panis, & vini) Reſpondetur affirmativè. Quia gratia collata per Sacramenta novę legis eſt ſanctificans: ergo & gratia collata per Sacramenta cuiuſcumque legis. Probatur conſequentia: quia ſicut in nova lege Deus inſtituit Sacramenta collativa gratiæ ſanctificantis, vt homines, media illa gratia, ſalvarẽtur; ita in quacumque lege Deus inſtituit Sacramẽta collativa gratiæ ſanctificantis, vt, media illa, homines ſalvarentur Semper enim, & in quacumque lege fuit verum, quod ſicut *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, 1.ad Timoth. 2.n.4.* ita providet de medijs ad hanc ſalutem conſequendam efficacibus: ſicut ergo in lege gratiæ inſtituit media, ſeu Sacramẽta collativa gratiæ; ita & in quacumque lege: ergo gratia ſignata per Sacramẽtũ cuiuſcumque legis (& conſequẽter per Sacramentum in communi ſumptum, ſeu prout abſtrahit à quacumque lege ſeu à Sacramento cuiuſcumque legis) eſt gratia ſanctificãs. Ita Scotus pluribi ſupponit, præſertim *d.* 1.*q.*3. §. *Hic quatuor* verbis illis: *Congruũ enim eſt, effectum inviſibilem cauſandum à Deo ordinantem hominẽ ad ſalutem ſignificari per aliquod ſignum ſenſibile, &c.* Item quoties Scotus loquitur de proprio Sacramento cuiuſcumque legis affirmat, cõferre gratiam ſanctificantem: vt conſtat, dum loquitur de baptiſmo, de circumciſione, & de Sacramento in lege naturæ inſtituto contra originale: ergo ſen-

ſentit, quod ſignatū per propriū Sacramentum eſt gratia ſanctificans. *Ita tenent Scotiſtæ, præſertim legatur Fabro per totā diſputationem ſecundam. Tenent etiam D. Th. q. 60. art. 1. & 2. Vazq. diſp. 128. cap. 5. n. 51. G. Hurt. diſp. 1. diff. 4. & alij.*

21 Sed *Canus relect. de Sacramentis in genere p. 1. ad finem, Bellarm. de Sacramentis in genere cap. 12. Ægidius Coninch. q. 60. art. 4. dub. 1. & Becanus cap. 1. q. 3. n. 2.* exiſtimant, ſignatum Sacramenti in communi eſſe ſanctitatem in communi, & proùt abſtrahit à ſanctitate interna, ſeu ſimplicitèr, & à ſanctitate externa, ſeu ſecundùm quid. Vocant ſanctitatem internā, ſeu ſimplicitèr gratiam habitualem. Externam autem, aut ſanctitatem ſecundùm quid vocant remotionem irregularitatis, ſeu alterius impedimenti ad dignè exercendum aliquod miniſterium: necnō & exteriorem cōſecrationem, ſeu dedicationem ad tale miniſterium. Huius generis erat ſanctitas legalis, quæ pluribus Sacramētis (largè ſumpto nomine, & conceptu Sacramenti) veteris legis conferebatur. Et talis eſt in nova lege abſolutio ab excommunicatione; prima tonſura, profeſsio ſolemnis, & conſecratio Abbatis. Igitur prædicti AA. objiciunt pro ſua contra noſtram ſententiam: in lege veteri fuerunt propria Sacramenta. Sed nō cauſabant gratiam habitualem ex opere operato, ſed ſolùm ſignificabant, ſeu figurabant gratiam cauſandam in lege nova: ergo ſignatum cuiuſcumque Sacramenti proprij, non eſt ſanctitas ſimplicitèr, ſeu gratia habitualis. Reſpondet. negando minorem: omnia enim Sacramennta legis antiquæ (ſivè fuerit lex naturæ, ſivè lex ſcripta, aut Moſayca) quæ verè, & ſtrictè fuerunt Sacramenta, cauſabant ex opere operato gratiam habitualem; ſicut cauſant noſtra Sacramenta.

22 Dices, quòd Sacramenta antiqua ſæpè dicuntur vmbra, & figura eorum, quæ contingunt in lege gratiæ: ergo figurabant gratiam dandam in hac lege, & nullam gratiam, aut ſanctitatē ſimplicitèr conferebant. Reſpondetur negando conſequentiam: quia antiqua Sacramenta erant ſimùl Sacramenta, & myſteria. Quare ea parte, qua erant Sacramenta propria, conferebant gratiam habitualem; & ea parte, qua erant myſteria, figurabant aliquid implendum in lege gratiæ. Externa proteſtatio fidei, v. g. in lege naturæ erat proprium Sacramētum illius legis inſtitutum ad delēdum originale; & in lege ſcripta circūciſio: & ſimul erant myſteria, ſeu occultè ſignabant baptiſmum legis Evangelicæ. Quare circumciſio, aut externa proteſtatio fidei ea parte, qua erāt propria Sacramenta, conferebant gratiam ſanctificantem deletivā originalis, ſeu primariò datam ad tollen-

tollendum originale: ea tamen parte, qua erãt myſterium, figurabant baptiſmum, aut gratiam per illum dandam. Idem contingit in lege gratiæ: Euchariſtia enim ea parte, qua eſt Sacramentum, confert ex opere operato gratiam ſanctificãtem; & ea parte, qua eſt myſterium, figurat convivium Beatitudinis.

Dubium VII.

23 PEtes ſeptimò, an cuiuſcumque legis Sacramenta propriè dicta vnivocè conveniant in ratione Sacramẽti? Reſpondetur affirmativè. Quia omnium nomen eſt commune, & ratio ſignificata per nomen eſt eadem: quodcumque enim proprium Sacramentum *eſt ſignum ſenſibile ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam, aut effectum gratuitum ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*: cuius definitionis conditiones explicatæ manent ex dictis *à num.* 7.

24 Sed Martinus Becanus *cap.* 1. *q.* 3. *num.* 10. *& aliqui alij* dicunt, Sacramentum analogè dici de Sacramentis novæ, & veteris legis: & objiciunt: Sacramẽtum in communi eſt res ſenſibilis, quæ habet vim ſignandi, & efficiendi ſanctitatem, prout comprehendit ſub ſe ſanctitatem veram, ſeu ſimplicitèr, & ſanctitatẽ legalem, ſeu ſecundùm quid. Sed ſanctitas eſt quid analogum ad ſanctitatem veram, & ad ſanctitatem ſecundùm quid: ergo etiã Sacramentum eſt quid analogum ad Sacramenta novæ, & antiquæ legis. Reſpondetur negando maiorem: quia nullum eſt proprium Sacramentum huius, vel illius legis, quod non habeat vim conferendi gratiã ſanctificantẽ. Immò, data maiori, negaretur conſequentia: quia ex æquivocatione, aut analogia ſignatorum nõ colligitur æquivocatio, aut analogia ſignorũ. Sicut ex multiplicatione effectuum non colligitur multiplicatio cauſæ; neque ex æquivocatione effectuum ſequitur æquivocatio cauſæ: ab eodem enim intellectu fiunt ens reale, & rationis; quæ entia in nullo conveniunt. ¶ Obijcies ſecundò, Sacramenta novæ legis ſignant gratiam, vt conferendam à ſe ipſis; Sacramenta verò legis veteris ſignificabant gratiam, vt conferendam ab alijs, nempè à Sacramentis huius legis: ergo Sacramentum eſt quid analogum reſpectu Sacramentorum novæ, & antiquæ legis. Reſpondetur negando antecedens, quoàd ſecundam partem: quæcumque enim Sacramenta antiqua, quæ talia dicebantur propriè, ſignabant gratiam à ſe ipſis conferendam: etenim quodcumq; propriũ Sacramentum eſt ſignum efficax gratiæ.

DVBIVM. VIII.

25 PEtes octavò, an ad rationem Sacramenti requiratur, quod ſit ſignum demonſtrativum ſanctitatis præſentis? Reſpondetur affirmativè. Quia eſt ſignum efficacitèr ſignificans gratiam, vel effectum gratuitum: ergo quantum eſt ex ſe, demonſtrat gratiam præſentem. Secundo, quia non ſunt minoris efficaciæ Sacramenta ad producendum gratiam, (ſi aliàs non impediantur propter indiſpoſitionem ſubiecti recipiētis) quam ignis, calor, aut alia cauſa naturalis ad producendum ſuos effectus: ſed cauſa naturalis (aliàs non impedita) ſtatim producit ſuum effectum, ſeu illum demōſtrat præſentem: ergo & Sacramēta demonſtrant gratiam præſentem. Tertio, quia ſi ſufficeret ad rationem Sacramenti eſſe ſignum pronoſticum, ſeu eſſe ſignum gratiæ futuræ, ſeu in alio tempore ponendæ, ſequeretur, poſſe dari caſum, in quo prolatis verbis conſecrationis ſuper materiam conuenientem, confectoque Sacramento Euchariſtię, non poneretur Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus. Patet ſequela: quia ſicut in alijs Sacramentis terminus immediatus, ſeu primarius effectus Sacramenti eſt poſitio gratiæ habitualis: ita in Euchariſtia terminus immediatus, quē reſpicit relatio ſigni, ſeu effectus primarius huius Sacramenti eſt poſitio corporis Chriſti D. ſub ſpeciebus. Hæc concluſio apertè deducitur ex principijs Scoti, nempè ex eo quòd ſecundùm ipſum cuiuſcumque legis propriū Sacramentum eſt ſignum efficacitèr ſignificans gratiam, vel effectum gratuitum. Ipſam expreſsè defendunt *Canus, & Bellarm. n. 21. citati: quibus adde Valentiam diſp. 3. q. 1. punct. 1. & Sebaſtianum Perez Epiſcopū Oromenſem quæſt. 60. num. 8.*

26 Sed *Sotus in 4. d. 1. q. 1. art. 2. Vazq. diſp. 128 & G. Hurtado diſp. 1. diffic. 6.* affirmant ad rationem proprij Sacramenti ſufficere, eſſe ſignum pronoſticum gratiæ in poſterum dandæ, ſcilicet in lege nova: & obijciunt quod Eugenius 4. in ſuo decreto affirmat, Sacramenta antiquæ legis non contuliſſe gratiam, ſed ſignaſſe gratiam dandam in lege gratiæ: & tamen Pontifex ſupponit, illa Sacramenta verè fuiſſe talia: ergo ad rationem Sacramenti ſufficit eſſe ſignum pronoſticum gratiæ poſtea dandæ. Reſpond. negando maiorem quoad illam partē, qua negat, Sacramenta antiqua contuliſſe gratiam. Quomodo autē Pontifex ſit intelligendus conſtat ex dictis *num. 17.* ¶ Obijcies ſecundò, quod recedente fictione baptiſmus cauſat primam gratiā: ergo ſaltèm baptiſmus eſt ſignum pronoſticum. Reſpond. (omiſſo antecedenti, quod probabilitèr negat Scotus *in 4. diſt. 4. q. 5. §.*

Reſ-

Reſpondeo verſic. tertiò modo, vbi problematicè affirmat, cum, qui ſurgit à fictione, nō recipere gratiam virtute baptiſmi, ſed tātùm virtute Pœnitentię) diſtinguendo conſequens: per ſe, & ex natura ſua, nego: per accidens, & aliquando, concedo. Baptiſmus enim, & quodcumque aliud propriū Sacramentum eſt ſignū demonſtrativum gratiæ præſentis, ſeu quam de præſenti præſtaret, niſi obſtaret indiſpoſitio ſubiecti. De per accidens autem, & propter indiſpoſitionem ſubiecti contingit, baptiſmum eſſe ſignū pronoſticum. Sicut contingit in cauſa naturali, (in igne, v. g.) quæ propter indiſpoſitionem ſubiecti non ſtatim producit effectum: & tamen non propterea dicitur abſolutè loquendo, quòd cauſa naturalis non producit effectum de præſenti, ſeu ſtatim. Et ratio eſt, quòd ad abſolutas loquutiones non attendimus ad id, quod aliquando, & de per accidens contingit; ſed ad id, quod res habet ex ſe, ſeu ex natura ſua: vt patet in Euchariſtia, vbi quantitas actualiter, & de facto ſuſtentat reliqua accidentia: & tamèn nō dicimus abſolutè, quòd quantitas eſt ſubiectum accidentium; ſed hoc abſolutè tribuitur ſubſtantiæ, cui ex natura ſua competit eſſe ſubiectū accidentium. Igitur cùm baptiſmus, & quodcumq; aliud cuiuſcumque legis Sacramentum ex ſe habeant ſtatim, ſeu de præſenti producere gratiam, abſolutè dicendum eſt, Sacramentū eſſe ſignum demonſtrativū gratiæ præſentis; non autem ſignum pronoſticum, quamvis aliquando, & de per accidens ſuſpendatur iſta productio vſque ad tempus futurum, in quo ſubiectum, quod recipit Sacramentum, ſit benè diſpoſitum.

De partibus phyſicis Sacramentorum, ſeu de Sacramento phyſicè conſiderato.

Vocant partes phyſicas, ſeu materiales Sacramenti entitatem illam, ſuper quam fundatur, aut in qua ſubiectatur relatio ſigni, quam dicit Sacramentū ad ſuum ſignatū: & quam relationē vocant rationem metaphyſicam Sacramenti. Cùm ergo hucuſquè egerimus de partibus metaphyſicis Sacramenti, aut de illo in eſſe metaphyſico conſiderato; ſuccedit tractandum de partibus phyſicis Sacramenti, aut de ipſo in eſſe phyſico ſpectato.

De Sacramētis novæ legis.

Dubium IX.

27 Petes nonò, an Sacramenta legis novæ conſtēt rebus, & verbis, tamquam materia, & forma? Reſpondetur affirmativè. Quia Eugenius 4. *in decreto fidei, quod habetur in concilio Florentino in inſtructione Armenorum* poſtquā enumeraverat

B om-

omnia ſeptem Sacramenta legis gratię dixit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt, rebus tamquam materia; verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Et ratio eſt inſtitutio Chriſti D. nobis per Eccleſiam explicata.

28 Notat autem Scotus *d. 3. q. 2. §. Hic primò verſ. Secundo modo*, res Sacramentorum dici materiam, & verba formam proptèr duas metaphoras, quas res habēt cum materia compoſiti naturalis, & verba cum eius forma partiali. Prima eſt, quòd cùm materia propria ex natura ſua ſit prior forma; per metaphoram, aut ſimilitudinem in Sacramentis materiam vocamus rem illam, quæ ex natura ſua eſt prior, & præcedit alterā; (qualis eſt aqua in baptiſmo; panis in Euchariſtia, &c.) formam autem vocamus rem illam, quæ ex natura ſua eſt poſterior: qualia ſunt verba iſta; *Ego te baptizo, &c.* in baptiſmo, *Hoc eſt corpus meum* in Euchariſtia; & in cæteris ſimili modo. Altera metaphora eſt, quòd cùm materia ſit ex natura ſua potentialior, aut indifferens ad hanc, & illam formam; & forma ſit actualior, principalior, aut determinativa materiæ ad componendum iſtud, totum potiùs quàm illud; materiam vocamus phyſicam illam partem Sacramenti, quæ eſt indifferens ad ſignificandum plura; (Talis eſt aqua v. g. in baptiſmo, aut eius infuſio, quæ eſt indifferens ad ſignificandum lotionem, necnon & refrigerationem: cùm ad vtrumque poſſit aſſumi.) formam verò vocamus alterā partem, (nempè verba) per quam determinatur aqua, aut eius infuſio ad ſignificandum lotionem.

Dubium X.

29 Petes decimò, an ſit neceſſarium, quòd in ſingulis Sacramentis reperiantur res propriæ, & propria verba? Reſpond. negativè. Quia ſufficit reperiri aliquid æquivalenter tale. In matrimonio enim non reperitur res, (ſumpta in ſenſu, in quo ſumitur in alijs Sacramentis, nēpè pro re ſenſibili) ſed ſolùm verba. Item Euchariſtia eſt Sacramētum continens corpus, & ſanguinem Chriſti D. quod Sacramentum permanet, ſine phyſica permanentia verborum; ſolùmque permanent ſpecies Sacramentales continentes corpus Chriſti D. ¶ Dices, in Euchariſtia permanere verba moraliter, nempè in ſuo effectu, ſeu in Sacramento per ipſa effecto. Reſpond. (admiſſa iſta morali permanentia verborum) certum eſſe verba phyſicè non permanere: hancque permanentiam moralem eſſe, quam nos vocamus verba phyſica æquivalenter. ¶ Dices, Pontificem ſolùm loqui de Sacramentis, quoàd

quoàd effectionem. Itaque docet, ad efficiendũ aliquod Sacramentum, eſſe neceſſarium, quòd ſint res, & verba tamquam materia & forma. Reſpondetur, hoc admiſſo, doctrinam Põtificis pati aliquam exceptionem: in matrimonio enim aliquando loco verborum dantur inter præſentes nutus; & inter abſentes litteræ: nutus autem, & litteræ non ſunt propriè verba, ſed ſolùm æquivalentèr. Cùm ergo toleret Eccleſia, matrimonia fieri inter præſentes per nutus; & inter abſentes per litteras, dicendum eſt, doctrinam Eugenij (nempè quòd in omnibus ſeptem Eccleſiæ Sacramẽtis debent intercedere res, & verba) eſſe intelligendam de rebus, & verbis, aut formàliter, & propriè ſumptis, aut per æquivalentiam.

Dvbivm XI.

30 PEtes vndecimò, an relatio ſigni, quam Sacramẽtum dicit ad ſuum ſignatum, neceſſario requirat tàm res, quam verba propria, vel per æquivalentiam? Reſpond. affirmativè. Quia in quocumq; Sacramento legis novæ (de quibus tantũ procedit hoc dubiũ) neceſſario reperiuntur res, & verba formaliter, aut ſaltẽ æquivalentèr: ergo relatio ſigni (in qua ſtat ratio metaphyſica Sacramenti) neceſſariò requirit vtrumque. Antecedens conſtat ex dictis à *n.* 17. Conſequentia autẽ eſt legitima.

Dvbivm. XII.

31 PEtes duodecimò, an in quocũque Sacramento legis novæ relatio ſigni ad gratiã neceſſariò fundetur ſimul in rebus, & verbis? (ſivè formalitèr, ſivè æquivalenter ſumantur) Reſpond. negativè. Quia Sacramenti Pœnitentiæ tota ratio ſita eſt in verbis abſolutionis; confeſsione, & alijs actibus pœnitentis ſe habentibus, tamquam conditione omninò neceſſario petita: vt dicimus Scotiſtæ cùm Scoto *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 1. §. *Hic intelligendum, verſ. De Pœnitentia.* Item in baptiſmo ablutio tantùm eſt fundamentum relationis ſigni ad gratiam ablutivam animæ: vt probabiliter docet Scotus *in* 4. *d.* 3. *q.* 1. §. *Secundò principaliter.* Inſuper tota ratio Sacramẽti Euchariſtiæ phyſicè ſalvatur in ſolis ſpeciebus; ſeu relatio ſigni ad Chriſtum D. proùt in hoc Sacramento fundatur in ſolis ſpeciebus taliter, vt nulla verba (propria, aut æquivalentèr) ſint requiſita poſt effectionem Euchariſtiæ, ad eius cõſiſtentiam. Quod præcipuè eſt indubitabile ſecundum eos, qui dicunt, ibi non reperiri moralem permanentiam verborum.

32 Dices, hoc eſſe contra Eugenium Quartùm docentem, in quocumque Sacramento huius legis res ſe habere tamquam materiam, & verba tamquam formam. (Pontificis verba trãſ-

cripſimus *num.* 27.) ſed in conpoſito phyſico tam forma, quàm materia ſunt partes eſſentiales: ergo in Sacramento partes eſſentiales phyſicæ, ſuper quas fundatur relatio ſigni, erunt tam res, quàm verba. (formaliter, aut ſaltèm æquivalenter ſumpta) Reſpond. negando maiorem. Quia hæc quæſtio metaphyſica (in quo totaliter fundetur relatio ſigni?) eſt extra mentē Pontificis: cuius mēs, & doctrina ſalvatur in hoc, quòd affirmemus, quod in quocumque Sacramento reperiūtur res, verba, & intentio miniſtri: affirmare autem, quòd relatio ſigni in aliquibus Sacramentis fundetur in rebus, & verbis ſimul; in aliquibus autem ſolùm in rebus, verbis intrantibus, tamquā conditione; vel è contra in ſolis verbis, rebus ibi cōcurrentibus tamquā cōditione omninò inſupplebili, (non ſecùs, ac in compoſito phyſico vnio partium eſt omninò neceſſaria ad conſiſtētiam compoſiti naturalis, & fortè ad eius conceptum: non tamen eſt pars illius, ſed cōditio omninò neceſſaria: partes enim ſolum ſunt materia, & forma.) parum refert ad ſalvandum mentem, & doctrinam Papæ, dummodo affirmemus, (ſicut firmitèr affirmamus) omnia illa concurrere ex parte fundamenti, ſeu entitatis phyſicę Sacramenti.

33 Quod cōfirmo ex ipſo Pōtifice: nōn enim minus, ſecundū ipſum, & veritatem, requiritur intentio miniſtri, quā res, & verba, ad cōficiendum Sacramenta huius legis: & tamē in intentione miniſtri nō fundatur relatio ſigni ad gratiam. Tùm, quia iſta non eſt ſenſibilis: quodcūque autē concurrens ad fundandū relationem ſigni Sacramētalis debet eſſe quid ſenſibile: cùm Sacramētū ſit ſignum ſenſibile. Tùm, quia intentio non ſolùm evanet, ſed etiā ſæpè evanuerat ante effectionē Sacramenti: quippè ad conficiendum Sacramentū nō requiritur actualis intentio, ſed ſufficit præterita non retracta, aut virtualis: vt dicemus *c. 3. à n. 75.* ¶ Nec vrget, quòd Eugenius dixerit, res ſe habere, vt materiam, verba autē vt formam: & quòd in cōpoſito naturali tàm forma, quàm materia ſint partes eſſentiales, (vt expendebat argumētū) Hoc, inquam, nō vrget: quamvis enim in verbis aliquando ſolùm; aliquando autē in rebus tantùm, altero iſtorū ſe habente, vt cōditione, fundetur relatio ſigni ad gratiā: tamē ſemper eſt verū, quòd cōparādo verba Sacramentorum cum rebus, vel res cū verbis, (in qua cōſideratione loquitur Pontifex) verba ſe habent tamquam forma, & res tāquā materia propter rationes, quas ex Scoto notabamus *n.* 28.

34 Conſtat ex dictis in hoc dubio, res, & verba Sacramentorum (propriè, aut æquivalenter ſumpta) eſſe Sacramentorum materias, & formas, ſivè in vtriſque ſimul fundetur relatio ſigni

ni Sacramentalis ad gratiam; ſivè in materia, aut in forma tantùm, altera comparte ſe habente, vt conditione omninò inſuppcibili, & neceſſariò petita.

DVBIVM XIII.

35 PEtes decimotertiò, an quando relatio ſigni Sacramentalis fundatur in materia, & forma ſimul, ibi tantùm ſit vnica relatio ad gratiam? an duplex, quarum vna oriatur a rebus, & altera à verbis? Reſpond. ibi tantum eſſe vnicam, & indiviſibilem relationem, per quam totum hoc (res, & vèrba ſimul ſumpta, & moraliter vnita) refertur ad gratiam, ſeu ad effectum gratuitum. Quia ſicut neutra ex his partibus facit Sacramentum phyſicè, ſed coniunctum ex vtraque, ita ſignificatio Sacramentalis (qua Sacramentum ſignat gratiam, aut refertur ad illam, ſeu ad effectum gratuitum) conſurgit ex coniuncto illarum partium, & non ex ipſis ſeorſim ſumptis: immo illud coniunctum requirit etiam intentionem miniſtri: non ergo ibi conſurgunt diverſæ relationes ex diverſis illis partibus conſurgentes; ſed vnica indiviſibilis fundata in toto illo coniuncto, & terminata ad gratiam, aut ad effectum gratuitum. Confirmatur à ſimili: etſi enim in Patre ſit duplex pars ipſum eſſentialiter componens in eſſe phyſico, nempè materia & forma; tamen per vnicam indiviſibilē relationem paternitatis fundatam in toto ſuo eſſe cōſtāte ex materia, & forma, refertur ad filium: neque in illo admittimus duas relationes, quarum vna cōſurgat ex materia, & altera ex forma. *Ita Caiet. quæſt. 60. art. 6. Vazq. diſp. 129. num. 20. & alij.*

36 Notant autē hi AA in Sacramento, præter ſignificationē vocum, quam habent ex inſtitutione hominū, & præter aliquā aliā ſignificationem repræſentātivam, aut ſimilitudinem naturalē rerū cum effectu Sacramenti, eſſe aliā ſignificationem Sacramentalē ex inſtitutione Chriſti D. convenientem toti coniuncto, ſeu materiali Sacramenti. (ſcilicèt materiæ, & formæ ſimul ſumptis, & moraliter vnitis cum debita intētione miniſtri) Quæ Sacramentalis ſignificatio, & virtus cauſandi gratiam, aut effectum gratuitum conveniens ex inſtitutione Chriſti D. toti materiali Sacramēti eſt indiviſibilitèr in ipſo toto materiali: tota (inquā) relatio, aut tota ſignificatio in toto materiali; ſed non tota in qualibet parte; neq; pars in parte) eo modo, quo ſignificatio humana cōveniens cuicūque voci (huic, v.g. *homo*) convenit indiviſibilitèr toti voci, & omnibus literis ſimul ſumptis, & nullo modo partibus ſeorſim. Et eo modo, quo perſonalitas Petri, v.g. eſt quædā entitas indiviſibilis correſpondens toti Petro, & omnib⁹ partib⁹ illi⁹ ſimul ſumptis, & vnitis, (dato quòd non ſit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

tertia entitas in Petro realitèr diſtincta à ſuis partibus phyſicis ſimul ſumptis, & vnitis) non autē ſingulis illarum coniunctim, aut ſeparatim.

37 Dices. aptius videtur philoſophari de ſignificatione Sacramentali, ſicut philoſophamur de oratione, (de iſta, v. g. *Petrus eſt animal*) cuius quælibet pars habet ſuam partialem ſignificationem concurrentem ad integrandū totalem ſenſum, & ſignificationē dictæ orationis, aut propoſitionis Reſpond. negando: quia quælibet vox concurrens ad integrādum orationem, aut propoſitionē, extra orationem habet ſuam ſpecialem ſignificationē, & ſic nō mirum, quod illā non amittat, quando concurrit partialitèr ad integrandum orationē. ¶ Inſtabis: pater, & mater ſic cōiunctim concurrunt ad generationē prolis, vt ſi ſeparatim concurrerent, nihil efficerent: ſed diverſis relationibus refertur ad patrem, & matrē: ergo quamvis omnes partes Sacramēti ſimul debeant cōcurrere ad producendum gratiā Sacramentalē; tamen diverſis relationibus, aut ſignificationibus reſpiciēt illam; & hæc gratia producta diverſis relationibus reſpiciet materiam, & formam. Reſpond. negando conſequentiam, aut paritatem. Diſparitas ſtat in hoc, quod, licèt ſimul debeāt cōcurrere pater & mater ad generationem prolis; habent tamen ſeorſūm accepti ſuas potētias generativas vtrimque independentes in actu primo; & in actu ſecūdo vnuſquiſque eorum ponit ſuā propriam actionem generativā, ſuper quam, tamquam ſuper cōditionem, (quidquid reclament Thomiſtæ dicentes, actionē eſſe potentiā generativā proximā, aut fundamentum *quo* relationis. De quo in Logica) & ſuper virtutem generativā, quæ eſt potētia proxima, ſeu ratio fundādi fundatur relatio. Quare meritò conſurgit in matre diſtincta relatio ab ea, quæ eſt in patre. In præſenti autem ſimile non reperitur: quia materia, & forma Sacramenti ſeorſim acceptæ nullam habent potentiam (vt ſic dicā) ad ſignificandū gratiam, aut effectum gratuitū: cùm inſtitutio divina dederit eis coniunctim, & non ſeparatim acceptis ſignificationem Sacramentalem, ſeu virtutem cauſandi gratiā Sacramentalem.

38 Ex quibus conſtat ad omnia, quæ obijci poſſunt pro oppoſita ſentētia; quam defendit quidā ex noſtris in manuſcriptis citans Suar. & Bellarm. Immeritò tamē citat Scotū *in 4. d. 8 q. 2. §. Reſpondeo*: ibi enim apertè, & ex profeſſo loquitur de forma conſecrationis; & ſtatuit id quod cōmuniſsimū eſt, nempè eſſe diſtinctam formā conſecrationis corporis à forma cōſecrationis ſanguinis; & ſolùm poſſe dici vnam vnitate, non indiviſibilitatis, ſed integritatis, quatenꝰ ſcilicèt ſunt formæ partium integrātium vnū

cum-

convivium. Non autem loquitur de relatione, qua Sacramentum refertur ad gratiam.

39 Petes 14. an verba, quibus conficitur Sacramentum (formā appellamus) debeant eſſe conſecratoria? Reſp. affirmativè. Quia hoc cõſtat perpetua Eccleſiæ traditione, & vſu.

40 Pro cuius intelligentia notā, verbū quoad præſens attinet, dividi in concionale, & Sacramētale, ſolemne, aut conſecratoriū. Cōcionale vocant illud, quod ad concionē deſervit, ſeu quo miniſter proponit, & explicat promiſſionē divinam iuſtificationis ab ipſo Deo faciendę: quo verbo audito excitetur fides divina, ſeu fiducia iuſtificationis promiſſæ: cui fidei heretici attribuunt iuſtificationem. Et ideo ipſi non vtuntur verbis determinatis, quibꝰ vtitur Eccleſia; ſed quibuslibet alijs, quibus excitent populū ad credendū divinā promiſsionē iuſtificationis; aut ſi eis vtuntur, ſivè ſolis, ſivè ſimul cum alijs cōcionatorijs; non tamèn vt conſecratorijs, ſed vt inſtructorijs ad excitandū fidē dictæ promiſsionis. Sacramentale autem, ſolemne, aut conſecratoriū vocant verbum illud, quod ad formam Sacramētorum ſpectat. ¶ Igitur duplex error extat in pręſenti. Primus eſt Calviniſtarum, qui admittunt duo tantùm Sacramenta, nempè baptiſmum, & Euchariſtiā. Hi primo docent, in baptiſmo tam requiri verbum Sacramentale, quàm concionale, ſeu doctrinale. In Euchariſtia autem non admittunt verba Sacramentalia, ſeu conſecratoria, ſed tantùm cōcionalia, ſeu inſtructoria. Et ideo primo loco recitant inſtitutionē Sacramenti *ex 1. ad Chorint. 11.* deinde concionator adhibet aliquā explicationem: & tunc demū ſine aliquo ſigno crucis, aut ſine vllo verbo conſecratorio, vel ritu diſtribuunt panē, & vinum. ¶ Alter error eſt Lutheranorum, qui agētes de baptiſmo conveniunt cum Calviniſtis: diſcrepant tamèn agentes de Euchariſtia à Calviniſtis, & inter ſe ſe. Nā aliqui recitāt verba inſtitutionis merè hiſtoricè; alij autē cū intētione cōſecrādi; alij demū nihil recitāt; teſte Becano *c. 1. q. 8. n. 4.*

41 Igitur noſtra concluſio affirmat, in Baptiſmo, Euchariſtia, & quocumque alio Sacramento legis novæ eſſe neceſſaria verba conſecratoria, & eis ſolū perfici Sacramentum ſine verbis cōcionatorijs. Quod probatur ex perpetua praxi, & traditione Eccleſiæ, quæ vtitur ſempèr determinatis verbis, nō ad inſtruendū populum, (ad quod apta non ſunt) ſed ad conficiendū Sacramentū, & ad ſignificandum gratiam, quę virtute cuiuſcumque Sacramenti confertur; & nullo modo vtitur alijs verbis concionatorijs.

42 Dices: ſaltē ad conficiendum Euchariſtiá nulla determinata verba requiruntur: ergo falsò dicimus, quod ad conficiendum Sacramētum requiruntur deter-

minata verba. Antecedens probatur: nam Chriſtus D. imperavit, vt faceremus quod ipſe fecit; non autem, vt diceremus verba, quæ ipſe dixit: ſic enim loquitur: *Hoc facite in meã commemoratione, Luc. 22. n.* 29. Reſpond. negando antecedens: ad probationem dico, Chriſtũ D. illis verbis vtrũque imperaſſe: nam ly *hoc facite* refertur ad totam actionẽ ſuam; quatenùs etiam verba cõprehendit: vt conſtat ex vſu, & traditione Eccleſiæ. ¶ Contra: Chriſtus D. dixit *Marci* 16. *num.* 17. & 18. *in nomine meo dæmonia eijcient, &c. ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt*: & tamen non erat opus, vt Apoſtoli in ſanandis ægrotis proferrent hęc vel ſimilia verba. *Ego te ſano in nomine Chriſti*: nã *Actor.* 14. Paulus ſanavit claudũ, nulla mentione facta nominis Chriſti D. ergo ex eo quòd Chriſtus D. dixerit verba ad conficiẽdum Euchariſtiam, non poteſt efficacitèr colligi, nos verba prolaturos, vt conficiamus. Reſpond. cum Becano *c.* 1. *q.* 8. *n.* 5. ex ſola Scriptura non colligi proferenda eſſe verba ad conficiendum baptiſmum, aut aliud Sacramẽtum; ſed ſimul ex praxi, & traditione Eccleſiæ.

43 Dices ſecundò, Auguſtinũ *tract.* 80. *in Ioannem* inſinuare fidem promiſsionis de iuſtificatione à Deo facienda mundare nos: & conſequenter addenda eſſe in Sacramentis conficiendis verba concionatoria ad excitandũ prædictam fidem. Verba Auguſtini ſunt. *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.* Reſpondet. *cum G. Hurt. diſp.* 1. *diff.* 12. *& cũ alijs*, Auguſtinum ſolùm docere Verbum Dei (ſivè Sacramentale, ſivè doctrinale: ibi enim congerit diverſa loca Scripturæ, quorum aliquot locuntur de verbo doctrinali; aliquot vero de Sacramentali) habere vim ſanctificandi, non quatenus dicitur, hoc eſt, non ratione ſoni; ſed quatenùs creditur, hoc eſt, quatenùs ſignificat rem, quæ creditur, quamvis diverſo modo: quia Verbum Sacramentale fidei mundat perfectè ſignificando, & efficiendo in nobis ipſam ſanctitatem ex opere operato, etiam ſi non excitet, aut generet fidem in nobis; verbũ verò doctrinale, ſeu concionale fidei tantùm inchoativè, & diſpoſitivè mundat, nempè excitando in nobis fidem; quæ eſt diſpoſitio, & initiũ noſtræ iuſtificationis. ¶ Dices tertiò cũ Calvino: nulla cõventio Chriſti, & Belial: ſed diabol⁹ docet magos certa carmina, quibus ſuas incantationes peragãt: ergo myſteria divina nõ debẽt peragi determinatis verbis. Reſp. cũ Coninch *q.* 60. *art.* 7. *n.* 52 negãdo cõſequentiã: quia, etſi nõ cõveniat, nos vſurpare, quæ diabolus in ſuum honorẽ

ad-

adinvenit;(more ſimiæ imitans, quæ Deus inſtituit, vt ſic ſimilis Deo habeatur) non tamen debemus benè inſtituta deſerere, quia diabolus ea imitatur. Aliàs debuiſſent Iudæi deſerere omnes ritus in Levitico iuſſu Dei præſcriptos.

44 Ex dictis conſtat, verba concionalia, concionē, ſeu catechiſmum tunc tantùm debere præcedere adminiſtrationem Sacramentorum, quando initiandus eſt adultus rudis in rebus fidei, aut Sacramenti ſuſcipiendi, qui aliàs eſt capax doctrinæ. Imò tunc neceſſarius eſt catechiſmus, vt debitè, non vt validè, conferatur Sacramētum: ad validè enim conficiendum ſufficiunt debita materia, forma, & intentio.

DVBIVM XV.

45 PEtes 15. an res, & verba, quibus Sacramenta novæ legis perficiuntur, debeant eſſe determinata? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic inſtituit Chriſtus Dominus, cuius voluntas nobis conſtat ex perpetua traditione, & vſu Eccleſiæ. Itaque Sacramenta legis gratiæ perficiũtur rebus, & verbis determinatis, hoc eſt præſcriptis à Chriſto Domino, & non relictis arbitrio humano. Quare Eugenius 4. *in ſuo decreto* nixus perpetua Eccleſiæ traditione aſsignavit certas res, & verba certa, & determinata, quibus omnia, & ſingula Sacramenta conficiuntur. ¶ Sed hæretici Pauliciani affirmant, Sacramenta perfici verbis determinatis; non vero determinatis rebus. E contra vero hæretici noſtri temporis dicunt, perfici rebus determinatis; non vero determinatis verbis. Quæ autē pro his poſſunt adduci, vel nullius ſunt efficaciæ; vel ſoluta manent ex dictis dubio præcedenti.

46 Ex concluſione infertur, Sacramenta novæ legis non poſſe perfici alijs rebus, aut verbis ſubſtantialiter diverſis ab his, quæ à Chriſto Domino ſunt præſcripta. Non enim conſtat, Chriſtum D. tradidiſſe Eccleſiæ poteſtatem variandi formas, aut materias Sacramentorum. ¶ Contra: Chriſtus Dominus tantùm determinavit vnam formam pro baptiſmo, ſcilicet, *Ego te baptizo, &c.* & vnam materiam pro Euchariſtia, nempè panem triticeum, & vinum de vite. Sed Eccleſia Græca (permiſſu Latinæ) vtitur alia forma baptiſmi, hac ſcilicèt, *Baptizetur ſervus Chriſti, &c.* nec non, & diverſa materia Euchariſtiæ: Eccleſia enim Latina vtitur pane azymo, Græca autem fermentato: ergo Eccleſia habet poteſtatem variandi materias, & formas Sacramentorum. Reſp. prædictas variationes ſolùm eſſe accidentales, ſeu prædictas formas, & materias ſolùm accidentaliter differre. Permittit autem Latina Eccleſia Græcis dictam variationem iuſtis de cauſis: ſufficiat

ſiciat nobis aſsignare pro cauſa longam antiquitatem talis vſus, & rituum, quos obſervaverunt Chryſoſtomus, & alij Sanctiſsimi PP. Græci. ¶ Hinc conſtat, tàm Græcos quàm Latinos verè cõficere Baptiſmum, ſive hac forma, *Ego te baptizo*, ſive illa vtantur, *baptizetur ſervus Christi*. Cõficiunt item verè, & validè Sacramentum Euchariſtiæ ſive in azymo, ſivè in fermentato. Quia cum variatione tantùm accidentali ſalvatur ſubſtantia rei. Quare omnes reijciunt *Innocentium Felinum, & aliquos alios Iuriſperitos* dicentes, (teſte Vazq. *diſp.* 129. *cap.* 5. *num.* 73.) Græcos invalidè conſecrare in azymo, & Latinos in fermentato. Affirmant item Latinis non ſufficere pro baptiſmo formam Græcorum; neque Græcis Latinorum.

47 Inſtabis: Eccleſia mutavit materiam matrimonij: ergo habet poteſtatem ſuper materias, & formas Sacramentorum. Antecedens conſtat: nam perſonæ aliàs habiles ad contrahendum decreto Eccleſiæ ſunt inhabiles ita, vt iam contrahere nequeant: vt patet in impedimentis ab Eccleſia poſitis inter cognatos, affines, &c. Reſpondetur Eccleſiam nihil mutaſſe in materia, aut forma matrimonij, quatenùs Sacramentum eſt, & à Deo inſtitutum; ſed quatenus contractus eſt poteſtati humanæ ſubiectus. Etenim Chriſtus Dominus, non aliam definivit materiam, aut formam pro hoc Sacramento niſi illam quam habet, quatenùs contractus eſt, itavt matrimonium ſemel conſtitutum in ratione contractus, ex divina inſtitutione habeat rationem Sacramenti, & retineat pro materia, & forma idem omninò, quod habebat pro materia, & forma, quatenùs erat contractus. Vnde fit, quod, cùm poteſtas reipublicæ poſsit irritare omnes contractus ſuo regimini minùs convenientes, poſsitque ad illos reddere inhabiles perſonas, Eccleſia hac polytica poteſtate vtendo mutavit materiam, aut ſolemnitates matrimonij, quatenùs contractus eſt: contigit autem, vt concomitanter, aut de per accidens mutaretur materia matrimonij, quatenus Sacramẽtum eſt. Nequit tamen Eccleſia ſtatuere vt id quod pro contractu matrimonij fuit materia, aut forma, non fuerit etiam pro eo, quatenùs Sacramentum eſt.

Dubium XVI.

48 **P**Eres 16. an mutatio materiæ, aut formæ invalidet Sacramentum? Reſpõdetur ſub diſtinctione. Si enim variatio fuerit ſubſtantialis, ipſum invalidat; ſecùs autem, ſi fuerit accidentalis. Et vtriuſque ratio eſt, quod cum variatione ſubſtantiali non ſtat forma, aut materia à Chriſto D. præfixa. Sed ſine forma, aut materia à Chriſto Domino præfixa non ſubſiſtit Sacramentum

mentum: ergo illarum qualibet variata ſubſtantialiter, invalidatur, ſeu non fit Sacramentum. E contra autem cum variatione ſolùm accidentali ſtat forma, aut materia Sacramenti à Chriſto D. præfixi: ergo non apparet, quare invalidetur, aut non fiat Sacramentum. In hac concluſione conveniunt Doctores.

49 Notant tamen, in præſenti non tam eſſe attendēdam mutationem phyſicam, quâm moralem, ſeu vſualem. Vnde contingere poteſt, quod aliqua materia quantum ad phyſicam entitatem ſit eiuſdem ſpeciei phyſicæ cum illa, in qua fit Sacramentum, & tamen ad id ſit inepta, aut differat ſubſtantialiter, ſeu ſpecificè moraliter, aut vſualiter: v.g. Euchariſtia nequit confici in maſſa; & fortè maſſa non differt phyſicè ſpecificè à pane; differt tamen ſpecificè, ſeu eſſentialiter moraliter, hoc eſt, quantum ad vſum manducandi. Idem patet in aqua roſacea, in qua non conficitur baptiſmus; (ſive phyſicè ſpecificè differat, ſive non ab aqua naturali) quia non eſt aqua vſualis. ¶ Quare regula generalis eſt, tunc dici variationem ſubſtantialem, (quantum ad præſens attinet) quando materia non manet apta ad vſum, ad quem Chriſtus Dominus illam materiam aſſumpſit in hoc, vel illo Sacramēto, & quando forma non retinet eum ſenſum, quem Chriſtus D. intendit. E contra autem contingit quando materia manet apta ad vſum à Chriſto Domino intentum, & quando forma retinet eundem ſenſum. Tunc, inquam, variatio eſt ſolùm accidentalis. Hæc in generali ſunt certa: caſus verò ſpeciales in ſpecialibus Sacramentorum tractatibus deciduntur.

Dubium XVII.

50 Peres 17. quale peccatum ſit mutare materias, aut formas Sacramentorum? Reſpōdetur ſub diſtinctione: eſt enim grave ſacrilegium, quando mutatio reddit irritum, aut dubium Sacramentum. Quia tunc fit gravis iniuria, aut irriverentia Sacramento, ſeu (propriùs loquendo) authori Sacramenti. Sin autem mutatio ſit aperte accidentalis, ſubdiſtinguendum eſt: eſt enim peccatum mortale, ſi ſit valde notabilis; vt ſi quis in conſecratione calicis omitteret totum illud, *novi, & æterni teſtamenti, &c.* (etiam ſi concedamus, non ſpectare ad formam) Si autem mutatio ſit in re parva, eſt veniale, vt ſi quis ſine contemptu, aut ſcandalo omitteret in conſecratione ly *enim.* Ita Coninch *q. 60. art. 8. dub. 2. ſecutus Valentiam, & Suarez.* ¶ Notat autem prædictus Coninch *ex S. i, & ex Victoria*, fœminas melius facere, quando ex neceſsitate baptizant proferendo formam vernacula lingua: quia ſic non ſe exponunt periculo

riculo aliquid omittendi; vel cer- tem male pronuntiandi.

DVBIVM XVIII.

51 PEtes decimooctavò, an variatio accidētalis verborum formæ cum intentione introducendi aliquem errorem invalidet Sacramentum? Reſpōdetur ſub diſtinctione. Invalidat enim Sacramentum, quando animus, ſeu intentio introducendi errorem eſt incompatibilis, ſeu deſtruit intentionem, ſeu animū faciendi Sacramentum; ſecùs autem, quando eſt compatibilis cū illa, aut eam non deſtruit. Quia in priori caſu non remanet intentio faciendi Sacramentum; (quæ omninò eſt neceſſaria) ſecùs autem in poſteriori. Sic in concordiam fortè rediguntur duæ ſententiæ, quæ oppoſitæ videntur. Prima docet, mutationem formæ, quamvis ſolùm ſit accidentalis, eo ipſo ac fit animo introducendi errorem, aut eo ipſo, ac fit ex errore, quo exiſtimatur, eā mutationem eſſe neceſſariam ad valorem Sacramenti, illud annullare. Ita Ricardus *in 4. d. 3. art. 2. quæſt. 3. Aliacenſis quæſt. 2. art. 1. & Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 13.* Altera ſententia affirmat, nullam variationem verborum formæ, quamvis factam ex intētione introducendi errorem, etiam quo falſo exiſtimetur, illam variationem eſſe neceſſariam ad valorem Sacramenti, illud annullare, dūmodo ſignificatio verborū perſeveret ſubſtantialitèr, & dicta intentio non ſit contra eam ſignificationem. Ita Durand *in 4. d. 3. q. 2. Palud. q. 1. Suarez diſp. 2. ſect. 5. Vazq diſp. 129. c. 7. Ægid. quæſt. 60. art. 8. dub. 1. & G. Hurtado diſp 1. diff. 15.*

52 Igitur fortè hæ ſententiæ in concordiam rediguntur, poſſuntque citari pro noſtra concluſione: primam enim intelligo de animo, ſeu intentione introducendi errorem, qui eſt incompatibilis, ſeu deſtruit priorem illam intentionem faciendi Sacramentum, ſeu quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus Dominus fecit. Talem animum diceretur habere, qui, errando circa myſterium Trinitatis, exiſtimaret, ibi eſſe plures, paucioreſvè perſonas, quàm tres, vel, ibi non eſſe filium, ſed filiam; & hoc errore perſeverante, volendo illum introducere, variaret formam accidentaliter (quoàd ſonum verborum, vel alio modo) dicendo v. g. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filiæ, & Spiritus Sancti.* Huius ergo miniſtri intentio poſterior (ſcilicet introducendi hunc errorem) deſtruit priorem intentionem, aut eſt incompatibilis cum illa: quia prior intentio miniſtri erat (& debet eſſe) faciendi Sacramentum, aut quod facit Eccleſia, aut quod fecit Chriſtus Dominus in nomine Trinitatis. Si autem hoc myſterium deſtruitur, (ſaltèm ex intentione miniſtri) nequit miniſter

ſter in eius nomine velle aliquid efficere. In quo ſenſu prior ſententia eſt vera, & probat priorem partem noſtræ concluſionis.

¶ Poſteriorem autem ſententiã intelligo de animo introducendi errorem, qui error, vel animus non deſtruat priorem intentionem miniſtri, nempè faciendi Sacramentum, aut quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus Dominus fecit. (In quo ſenſu ſecunda ſententia ſtat pro poſteriori parte noſtræ concluſionis.) Talis eſſet error miniſtri, qui exiſtimaret, (ſive ex malitia, ſive ex ignorantia) eſſe neceſſarium, quòd forma baptiſmi v. g. diverſis idiomatibus proferretur; ſic v. g. *Yo te bautizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Idem eſt de errore, quo quis exiſtimaret, eſſe partem eſſentialem formæ huius Euchariſtiæ (*Hoc eſt corpus meum*) additionem iſtam, *quod pro vobis tradetur*; aut hanc eſſe eſſentialẽ formam baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, atque Beatiſsimæ Virginis.*

53 Vnde patet, quomodo ſit intelligenda quædam reſponſio Pontificis Zachariæ (qui ad annos 742. rexit Eccleſiam) quæ Theologis fuit occaſio excitandi præſens dubium. Hic ergo Pontifex *epiſt. 2. ad Bonifacium Epiſcopum* interrogatus de valore cuiuſdam baptiſmi facti ſub his verbis; *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta,* ſic reſpõdit. *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hereſim ſed pro ſola ignorantia loquutionis infringendo linguam baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, vt denuò baptizetur.* Vbi à contrario ſenſu videtur ſupponi, intentionem introducendi errorem irritare Sacramentum, quando aliàs verba continent ſenſum à Chriſto Domino intentum; ſicut prædicta illa verba barbara continent. Igitur patet, meritò Pontificem ſic reſpondiſſe; quia illa variatio ſolùm fuit accidentalis. Inſuper meritò ſupponit Pontifex, talem baptiſmum fuiſſe invalidum, ſi adfuit animus introducendi errorem. Quod de errore, & animo illum introducendi, qui ſit Incompoſſibilis cum priori intentione; & illam deſtruat, eſt intelligendum; vt *numero præcedenti* explicuimus.

Dvbivm XIX.

54 Petes decimononò, an validè baptizaret Arianus? ſi ita proceſſiſſet: ego firmiter ſtatuo, non eſſe Trinitatem; volo tamen facere, quod facit Eccleſia Catholicorum eo modo, quo ipſa facit, & tunc proferret hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Reſpondetur affirmativè. Quia poſterior intentio deſtruit priorem, aut illam corrigit, vel ſaltèm prævalet adverſus eã, ſicut volitio proijciendi merces

in mare in naufragio corrigit, aut ſaltèm prævalet adverſus prioremvolitionē conſervandi merces.

Dvbivm XX.

55 **P**Etes 20. an Græci verè conſecrent, ſi, verbis cōſecrationis corporis addendo ii a verba (*quod pro vobis tradetur*) exiſtiment eſſe eſſentialia, intendantque medijs illis conſecrare? Reſpondetur affirmativè. (cum Hurt. *diſp.*1. *diff.*15.) Quia prævalet Intentio faciendi Sacramentum: iſta enim eſt abſoluta; abſolutè enim vult facere Sacramētum: altera autem intētio (nempè cōſecrandi cum omnibus illis verbis) implicitè, aut interpretativè, ſeu in præparatione animi eſt conditionata: vult enim etiam cum illis (*quod pro vobis tradetur*) conſecrare, niſi ob id obſtet effectioni Sacramenti: quam omnino abſolutè vult.

De Sacramentis antiquæ legis.

Dvbivm XXI.

56 **P**Etes 21. diviſionem antiquæ legis. Reſpondetur, dividi in legem naturæ & in legem Moyſaicam. Vocant legem naturæ illam, in qua tantùm ductu rationis. & ſine aliqua regula ſuperaddita homines operabantur. Legem autem ſcriptam vocant illam, quā Deus ipſe ſcripſit, & populo ſuo Iſrael tradidit in monte Sina interventu Moyſis, à quo iſta lex fuit populo intimata. (à quo intimatore prædicta lex dicitur Moyſaica)

57 Nota, duraſſe legem naturæ à conditione primi Parentis vſque ad tempus, in quo data fuit lex ſcripta, ſeu Moyſaica: iſta autem duravit vſque ad promulgationem legis Evangelicæ. De intercapedine autèm, ſeu de intervallo temporis, quo quælibet harum legum duraverit, eſt moleſta ſatis inter Scripturarios immò & inter hiſtoricos altercatio. Aliqui putant, legem naturæ duraſſe pluſquam 2500. annis: Moyſaicam verò per ferè 1500. Ab his autem ſuperſedeo: quia non ſunt præſentis inſtituti. Et ideò ſufficit libaſſe, rem eſſe inter prædictos AA. valde controverſam.

Dvbivm XXII.

58 **P**Etes 22. an in lege antiqua fuerint aliqua propria Sacramenta? Reſpondetur affirmativè. Quia ſicut eſt verū, Deum ſemper, & in quacumque lege velle ſalutē hominum, ſemper eſt verum, providiſſe de remedijs efficacibus ad ſalutem: qualia ſunt Sacramenta, præcipue contra originale, à quo parvuli decedentes ante vſum rationis erant mundandi. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 6. & 7. *Scotiſtæ, & alij.* Quæ autem, & quanta fuerint Sacramenta tam legis naturæ,

ræ, quàm Moyſaicæ, non conſtat, nec eſt huius loci diſputare; ſed pro certo ſtatuere nobis Scotiſtis, quod in lege Moyſis circumciſio fuit proprium Sacramentum ex opere operato conferens gratiam mundantem ab originali. Quod Sacramentum non cōſtabat rebus, & verbis: quia non conſtat, in eo adhiberi aliqua verba, ſed ſolùm circumcidi carnē. Item certum eſt Scotiſtis, in lege naturæ, fuiſſe inſtitutum aliquod Sacramentum proprium, quod ex opere operato cauſabat gratiam mundantem ab originali: non autem conſtat, quale fuerit hoc Sacramentum: quamvis cōmuniter exiſtimemus, fuiſſe aliquam exteriorem proteſtationē fidei Chriſti D. venturi. Quod ſi ita ſit, dicendum eſt, tale Sacramentum non conſtaſſe rebus, & verbis: non enim apparet, quid tunc foret adhibendum verbis proteſtativis fidei Chriſti Domini venturi.

CAPVT II.

De Sacramentorum convenientia: atque de illorum exiſtentia pro aliquibus ſtatibus.

IN capite præcedenti ſæpè cōculcatum eſt, Eugenium IIII. in Concilio Florentino aſsignaſſe materias, & formas Sacramentorum legis gratiæ. Præſertim recolantur dicta *cap.* 1. *n.* 27. Item ex Trident. *ſeſſ.* 7. *cap* 6. 7. & 8. ſtatuimus Sacramenta legis gratiæ continere gratiam ſanctificātem; & illam ſemper, & omnibus non ponentibus obicem conferre ex opere operato. Recolantur dicta *cap.* 1. *n.* 14. Ex quibus ſatis cōſtat exiſtentia Sacramentorum in aliqua lege, ſeu quòd abſolutè loquendo datur exiſtentia Sacramentorum, aut quod in aliqua lege extiterit Sacramentū. Quare caput iſtud, non tàm procedit de abſoluta, quàm de convenienite Sacramentorum exiſtentia pro omni ſtatu: necnon, & illorum exiſtentia in aliquibus ſtatibus determinatis, nempè in ſtatu innocentiæ; in lege naturæ; & in lege ſcripta.

DVBIVM I.

1. PEtes primò, an inſtituere Sacramenta fuerit conveniens? Reſpondetur affirmativè. Quia, cùm homo ſit corporeus, ſeu ſenſitivus, & ſimul ſpiritualis, congruum fuit, quod quærat gratiam inviſibilem, ſeu ſpiritualem per ſigna materialia, & ſenſibilia. De quo legatur Scotus *in* 4. *d.* 1. *q.* 3. §. *Hic quatuor.* ¶ Hinc conſtat convenientia Sacramentorum in quacunque lege. Specialiter autem loquendo in lege gratiæ nequit dubitari,

con-

congruentiſsimam fuiſſe Sacramentorum inſtitutionem. Tùm, quia facta fuit à Chriſto D. vt definit *Trid. ſeſſ. 7 de can. 1. de Sacramentis in genere.* Tùm, quia cōtinent, & conferunt gratiam ex opere operato, vt ibi definitur *can. 6. 7. & 8.*

2 Fuerunt tamen aliqui hæretici, qui abſolutè negarunt Sacramenta; & obijciebant, indignum eſſe hominibus ſubijci rebus inſenſibilibus, quas Deus hominibus ipſis ſubiecit. Reſpond. concedendo de rebus in ſenſibilibus nudè ſumptis: & negando de ipſiſmet, quatenùs in eis reperimus gratiam ex inſtitutione diuina. Quare in hac ſubiectione non fruimur creaturis, ſed eis vtimur, vt fruamur Deo. ¶ Alij autem hæretici recentiores damnant Sacramenta novæ legis dicentes, quòd præcipuè Euchariſtia redolet idololatriam Cereris, & Bachi. Falluntur tamen: nos enim, nō inanibus Dijs, ſed Omnipotenti Deo offerimus panem, & vinum in altari. ¶ Obijcies ſecundò, quòd, præſenti veritate, non eſt neceſſaria vmbra, vel figura: ſed Sacramenta ſunt quædam figura, & vmbra gratiæ Chriſti Domini: ergo in lege gratiæ (in qua Chriſtus Dominus eſt præſens, eſtque iam facta gratia per ipſum) non ſunt neceſſaria Sacramenta. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: præſenti veritate clarè, & evidenter, omitto: obſcurè, & inevidentèr, nego. Aut aliter diſtinguo: præſente iā veritate amiſsibilitèr, nego: inamiſſibiliter, concedo. Poſſeſſa enim iam; & præſente reper imaginem repræſentata, prudenter adhuc ſervatur imago, ſi timeatur amiſſio rei repræſentatæ; inutilitèr autem, ſi rei poſſeſsio ſit inamiſſibilis. Quare cùm gratia, & Chriſtus Dominus nunc obſcurè, & amiſsibilitèr à iuſtis poſsideatur, meritò indigemus figura gratiæ, ſeu Sacramentis, quæ ſub figura continent, & conferunt gratiam. Alitèr autem continget in patria, vbi clarè, & inamiſsibiliter poſsidebitur Deus: & ideo tunc ceſſabunt Sacramenta omnia; niſi fortè Euchariſtia propter alias rationes perſeveret: a quo ſuperſedeo.

De Sacramentis legis naturæ.

DVBIVM II.

3 PEtes ſecundò, an in legē naturæ fuerit aliquod proprium Sacramentum? Reſpondetur affirmative. Quia nullo tempore reliquit Deus ſuos cultores ſine remedio ad ſalutē neceſſario: ſed in lege naturæ erat neceſſarium remedium contra originale: ergo in lege naturæ fuit aliquod proprium Sacramentum ſaltèm contra originale. Maior videtur omnino certa ex eo, quòd Deus ſemper vult omnes homines ſalvos fieri. Minor etiam eſt certa, & conſequentia legitima. ¶ Si autem negetur con-

conſequentia, eo quòd tunc per actum interiorem contritionis, aut dilectionis Dei poſſet homo ſalvari. Contra hoc inſtat Scotus ſtatim citandus, quòd, quamvis id poſſet, ſufficere pro adultis, nō tamen pro parvulis, qui talem actum elicere non poſſunt. Ita Scotus *in 4. diſtinct. 1. quæſt. 7. §. & verſ. Reſpondeo*, quatenus affirmat, quod in omni lege fuit inſtitutum à Deo remedium contra originale. Tenent etiam *D. Thom. Canus, & multi alij*: immò convenientia Theologorum eſt, in lege naturæ (*cap. 1. num. 56. & 57.* explicuimus legem naturæ, & eius durationem libavimus) ante circumciſionem fuiſſe remedium, quo parvuli iuſtificabantur ab originali. Ita expreſſe tradiderunt *Auguſt. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. & alibi Greg. Bernard. Beda, & Hugo citati à RR. præſertim ab Hurt. diſp. 2 diff. 4.*

4 Dices: nullum poteſt eſſe remedium abſque divina inſtitutione. Sed de inſtitutione Sacramenti in lege naturæ non conſtat ex Scriptura: ergo tunc non fuit aliquod Sacramentum. Reſpondetur diſtinguendo minorē: expreſſè, aut explicitè, concedo: implicitè, ſeu illative, nego: quia eo ipſo, quòd Deus vult, omnes homines ſalvos fieri, hocque expreſſum Scriptura; & aliàs eſt certum, habuiſſe peccatum originale, & indiguiſſe remedio pro expiatione illius, infertur apertè, in lege naturæ fuiſſe aliquod remedium originalis.

5 Ex quibus infertur, prædictum remedium, ſeu Sacramentum datum fuiſſe omnibus tàm viris, quàm fœminis legis naturæ; & non ſolùm viris ex ſemine Abrahæ, pro quibus tantùm circūciſio, die octavo faciēda, erat cōceſſa. Non enim apparet conſonam divinæ bonitati, & clementiæ, tantam parvulorum multitudinē decedere abſque remedio reliquiſſe. ¶ Quid autem fuerit hoc Sacramentum, aut remedium, non conſtat. Cōmuniter dicitur, fuiſſe fidem parentum, aut cuiuſcumque alterius offerentis parvulū Deo credendo eſſe ipſius iuſtificatorem, & aliquem mediatorem venturum.

Dubium III.

6 Petes tertiò, an in lege naturæ ad iuſtificationem parvulorū fuerit ſufficiens oblatio interna facta ex fide iuſtificatoris & mediatoris venturi? Reſp. negative. Itaque præter prædictā fidem fuit neceſſariū aliquod ſignum externum expreſſivum dictæ oblationis internæ, (quod ſignum fuit Sacramentum) Quia parvuli (pro quibus primario erat inſtitutum illud Sacramentum) non ſolùm tunc iuſtificabantur, ſed etiam medio illo Sacramento fiebant membra Eccleſiæ viſibilis: (ſicut modo per baptiſmū)

ergo remedio viſibili, ſeu ſenſibili. Ita Scot. *in 4. d. 1. q. 3. §. & verſ. De tertio articulo, Alenſis, Gabriel, Maior, Paludanus, Adrian. & Armachanus, quos citat, & ſequitur Suar. diſp. 4. ſect. 2. Quibus Hurt. diſp. 2. diff. 4. addit Durand. Bellarminum, & Laiman.* ¶ Eſt tamen inter hos noſtros AA aliqua diſsidium. Dicunt enim aliqui illorum, hoc ſignum non fuiſſe a Deo aſsignatum; ſed relictum arbitrio offerentis parvulum. Alij autem exiſtimant, fuiſſe quidem a Deo præſcriptũ, quamvis illud non aſsignant. ¶ Sed, quidquid ſit de iſta differẽtia, noſtra concluſio videtur expreſſa à D. Auguſtino *lib 5. contra Iulianũ cap. 9* dicente: *Nec ideo tamen credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidẽ ijs inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quãvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit.* Similia habet *lib. 2. de Nuptijs, & concupiſcentiæ cap. 12.*

7 Sed *D. Bonavent. Ricardus, Sotus, Abulenſis, & Vazquez, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 2. diff. 4.* docent, tunc non fuiſſe neceſſarium tale ſignum externum expreſsivum interioris oblationis factæ ex fide Dei iuſtificatoris, & mediatoris venturi; etiam ſi regulariter tale ſignum fuerit ex devotione exhibitum. Pro qua ſententia etiam citat D. Thom. in *4. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 6. quæſtione 2. & 3. p. quæſt. 70. art. 4. ad 2.* Igitur hæc ſententia contra noſtram obijcit aliquos PP. præſertim *Greg. lib. 4. Moral. cap. 3. Bernardum epiſt. 77. & Bedam lib. 1. in Lucam cap. 8.* dicentes, ſolam fidem ſalvare parvulos, & ipſam ſolam fuiſſe ipſis ſufficientem ad ſalutem. Reſpondetur, ſolum velle PP. non requiri ad ſalvandum parvulos propriam diſpoſitionem, ſeu opus operantis. Itaque ly *ſola fides* nõ excludit aliquod ſignum ſenſibile proteſtativum, & declarativum fidei, aut oblationis internæ; ſed ſolùm excludit proprium motum, aut diſpoſitionem. Sicut quando dicimus, ſolum baptiſmum ſufficere pro remiſsione originalis, ſolum excludimus proprium motum diſpoſitivum. ¶ Objicies ſecundo, quòd ex Scriptura non conſtat ponendum eſſe tale ſignum. Reſpondetur diſtinguendo: expreſsè concedo: illativè, nego: vt *num. 4.* dicebamus.

De Sacramentis legis ſcriptæ.

Dubium IIII.

8 Peteſ quarto, an in lege ſcripta fuerit aliquod proprium Sacramentum? Reſpond. affirmative. Quia nullo tempore reliquit Deus ſuos cultores ſine remedio ad ſalutem neceſſario: vt *n. 3.* latiùs expendebamus. Ita

Ita Scotus *diſt. 1. quæſt. 3. §. & verſ. De tertio articulo, & quæſt 6. ferè per totam, ſed præſertim §. & verſ. Ex iſtis*, vbi affirmat, circũciſionem fuiſſe propriè Sacramentum: eſtque communis ſententia.

Dvbivm V.

9 PEtes quintò, quodnam fuerit hoc ſacramentum legis ſcriptæ? Reſpondetur, fuiſſe circumciſionem, vi cuius remittebatur originale. Ita Scotus nuper citatus, & fatentur paſsim PP. Sufficiat Auguſtinus *lib. 2. de Nuptiis, & concupiſc. cap. 11. & lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24.* dicens: *ex quo inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, ad purgationem huius peccati veteris valebat magnis, & parvis. Sicut baptiſmus valere cœpit, ex quo inſtitutus eſt.* ¶ Sed obijcit ſibi Scotus *quæſt. illa 6. §. Hic ſupponendum verſic. Et hic dicitur, quod circumciſio ſit ex Patribus non ex lege*: quia data eſt Abrahæ anno quatercenteſsimo, antequam Moyſi daretur lex ſcripta: ergo non fuit Sacramentum legis ſcriptæ. Reſpõdet Scotus, ſolum ſequi, non eſſe Sacramentum, ſeu remediũ præcisè huiuſmodi legis, ſed etiam legis naturæ: quod remedium lex ſcripta non evacuavit, ſed confirmavit.

Dvbivm VI.

10 PEtes ſextò, quodnam remedium, ſeu Sacramentum fuerit inſtitutũ in lege ſcripta contra originale mulierũ. Reſpondetur, fuiſſe fidem offerentis parvulã, medio aliquo ſigno ſenſibili expreſsivo fidei Dei iuſtificatoris, & mediatoris venturi, (quod remedium datum fuerat in lege naturæ tàm pro viris, quã pro fœminis: vt dicebamus *n. 5.*) Quia ſicut remanſit pro originali virorum circumciſio: quæ fuerat iam pridem data in lege naturæ; (quamvis non in principio illius legis) ſic perſeveravit remedium, quod in lege naturæ fuerat datum contra originale mulierum.

Dvbivm VII.

11 PEtes ſeptimò, (incidenter quidem) an ex ſuppoſitione, quòd circumciſio delebat peccatum originale, ſequatur neceſſario, ponẽdam eſſe gratiam ſanctificantem ad talem deletionẽ? Reſpondetur, huius deciſionem ſpectare ad tractatum de Gratia: vbi Scotiſtæ dicimus, remiſsionẽ culpæ mortalis & gratiæ ſanctificantis collationem non eſſe vnicam, ſed duplicem mutationem. De quo præſertim videatur noſter Felix *tract. de Gratia cap. 8. diff. 10.* Quia tamen Scotus in præſenti hoc dubium non ſolùm movet, ſed etiam in eius deciſione ſatis immoratur, illud ſic ſub diſtinctione reſolvo.

12 Dico primò: de potentia abſoluta non eſt neceſſarium ponere gratiam ſanctificantem ad re-

remiſsionem originalis, ſed hoc fieri poteſt per meram condonationem extrinſecam. Quia ſic poteſt quicumque homo remittere iniuriam ſibi illatam & de facto ſic illam remittit: idem ergo poteſt Deus. Præterea originali peccato non ſolum opponitur gratia ſanctificans, ſed etiam rectitudo naturalis: ergo, ſi Deus conſtituat hominem in rectitudine naturali, & ſine gratia, ſine gratia auferet peccatum originale. Sed quod hoc poſsit fieri, patet: nam poteſt Deus hominem reparare, qualiter potuit ab initio creare: ſed potuit ab initio creare in pura natura: ergo poterit illum reparare conſtituendo in pura natura. Ita Scotus in 4. *diſt. 1. q. 6 §. Ad argumenta, Vazq. in 1. 2. diſp. 206. c. 2. num. 10. Lorca de Gratia diſp. 37. & ex parte tenet Suarez lib. 7. cap. 23. à num. 3. quos citat & ſequitur Felix tract. de Gratia cap. 8. diff. 13. num. 3. eſtque communis ſententia Scotiſtarum.*

13 Sed oppoſitum defendit Monteſinos 1. 2. *diſp. 33. quæſt. 6. num. 162. referens Ricardum in 4. diſt. 1. art. 6. quæſt. 3.* Et obiicit: privatio nequit auferri niſi per formam oppoſitam: ſed peccatum originale conſiſtit in privatione iuſtitiæ originalis, aut gratiæ ſanctificantis: ergo ſolùm poteſt auferri per iuſtitiam originalem, aut per gratiam ſanctificantem. Reſpondetur negando minorem: originale enim conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui Adæ, & ad nos transfuſa: cui adiuncta eſt (non ex natura rei, ſed ex pacto Dei) privatio iuſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis. Non ſecùs ac peccato mortali perſonali adiuncta eſt carentia gratiæ ſanctificantis, Beatitudinis, &c. ❡ Dices, hoc eſſe contra Anſelmum *lib. 1. de Conceptu Virginali cap. 27. & contra Scotum in 2. diſt. 32. §. & verſ. Quoad primum;* vbi adducit verba ipſius Anſelmi ſic ſantis: *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi factam per inobedientiam Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes ſunt filij iræ.* Sed iuſtitia debita eſt originalis: ergo nuditas eſt privatio talis iuſtitiæ; & conſequenter exiſtimant Anſelmus, & Scotus, originale conſiſtere in privatione iuſtitiæ originalis. Reſpondetur negando minorẽ ſub ſumptam in ſenſu excluſivo; & concedendo in abſoluto. Eſt enim verum, quod infanti debita erat iuſtitia originalis, tanquam quid conſequens (non ex natura rei, ſed ex voluntate Dei) ad peccatum originale: eo enim, quod talis iuſtitia erat debita, eius carentia dicitur privatio, & non negatio. Falſum tamen eſt, quod ſola illa erat ei debita: cùm enim originale impediverit, quod parvulo daretur iuſtitia originalis: & alias tale peccatum conſiſtat in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui Adæ, & ad

ſtos transfuſa; etiam erat parvulo debita rectitudo, ſeu iuſtitia actualis. Vnde nego conſequentiam; aut diſtinguo conſequens: Anſelmus, & Scotus exiſtimant, originale conſiſtere in privatione iuſtitiæ originalis, tamquam in aliquo conſequente ipſum peccatum, (non ex natura rei, ſed ex voluntate divina ſic diſponente) concedo: tamquam in aliquo ſpectante ad ſuum cõſtitutivum, nego. ¶ Reſpondetur ſecundò, ſolùm velle, in infante ſolùm reperiri nuditatem iuſtitiæ, phyſicè loquendo, ſeu nuditatẽ phyſicam: eſt tamen aliquid aliud morale, nempè ipſumet peccatũ Adæ in parvulum transfuſum, ibique moraliter perſeverans: quod eſt ipſummet originale. Legatur noſter Felix *tract. de Peccatis cap.* 10. *diff.* 8. *per totam præſertim n.* 8.

14 Objicies ſecundò, non poteſt peccatum deleri ab anima, niſi de immunda fiat munda. Sed hoc fieri non poteſt niſi per aliquã mutationem factam in anima, media aliqua forma abſoluta poſitiva: (quia ad relationem non datur per ſe motus *ex* 5. *Phyſic.*) ergò media gratia ſanctificante. Reſpondetur negando minorẽ. Ad remittendum enim peccatũ neceſſarium quidem eſt, quod anima, cui remittitur, mutetur de culpa ad non culpam: (quam mutationem vocãt negativam; quia habet pro termino *ad quem* non eſſe culpæ) non tamen eſt neceſſarium, quòd mutetur de culpa ad aliquid poſitivũ oppoſitũ culpæ, peccato, vel offenſæ. (quam mutationem vocant poſitivam; eo quod terminus *ad quẽ* eſt quid poſitivum) Igitur, ſi Deus remitteret originale ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, vel alterius doni poſitivi, ſcilicèt ſine reſtitutione iuſtitiæ originalis, ſed per meram condonationem offenſæ, anima diceretur munda negativè, de ipſaque verificaretur, quod erat ſine immunditia; non tamen diceretur munda poſitivè: quia de illa non poſſet verificari, quod haberet munditiam poſitivam.

15 Objicies tertiò, in peccato deformitas opponitur gratiæ, ſicut privatio habitui. Sed privatio ſolùm poteſt tolli per poſitionem ſui habitus: ergo peccatum nequit tolli ſine collatione gratiæ. Maior eſt Auguſtini dicentis (teſte Scoto *in* 4 *diſt.* 1. q. 6 §. *Hic ſupponendum verſ. Secunda ratio*) quòd culpa, & gratia opponuntur, ſicut tenebra, & lux in aëre. Reſpondetur negando maiorem: peccatum enim non eſt privatio gratiæ, nec habet aliquam phyſicam oppoſitionem cum illa: vt Scotiſtæ dictitamus cum Scoto *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. §. *Hic ſunt a verſ. c. De primo, & alibi.* Auguſtinus autem ſolùm intendit, quod de facto, & ex ordinatione divina ſemper ad poſitionem peccati mortalis in anima ſequitur excluſio gratiæ ſanctificantis; & e contra: ſicut ad poſitionem lucis in aëre ſe-

ſequitur deſtructio tenebræ; & è contra, ad poſitionem tenebræ deſtructio lucis: non tamen vult, quòd ſicut oppoſitio reperta inter tenebram, & lucem eſt privativa, & phyſica: ita ſit etiam oppoſitio reperta inter peccatum mortale, & gratiam ſanctificantem. Eſt enim per ſe notum, habitum ſolùm privativè opponi cum carentia ſui ipſius: & conſequentèr, quòd gratia ſanctificans ſolùm opponitur privativè cum carentia gratiæ. ¶ Dices, quòd peccatum mortale habituale eſt carentia habitus gratiæ ſanctificantis. ¶ Sed contra, quòd, ſi Deus creaſſet hominem in puris naturæ, non infundendo illi gratiam ſanctificantem; & aliàs homo ille non peccaret; haberet quidem carentiam gratiæ ſine peccato mortali habituali: ergo iſtud diſtinctum eſt à carẽtia gratiæ ſanctificantis.

16 Obijcies quartò, culpa nō poteſt deleri, niſi tollatur de ordinatio: ſed iſta tolli non poteſt niſi per gratiam: ergo neque culpa. Probatur maior primò, quia culpa habitualis fortè nihil aliud eſt, quam ipſummet peccatum, ſeu deordinatio actualis moraliter perſeverans: vt dixi *in tract. de Peccato Originali*, (typis non mandato) *diſput. 2. à num. 44.* vbi defendi hanc ſententiã tanquam probabilem etiam in principijs Scoti. Secundo, quia dato, quod culpa mortalis habitualis ſit quid diſtinctum à deordinatione, dùm iſta non tollitur, poteſt propter illam infligi pœna: ergo quia non erat dimiſſa culpa. Reſpondetur ex Scoto *ibi §. Contra iſtam concluſionem verſ. Ad tertium* negando minorem. Et ratio mihi eſt, quòd, cùm peccatum habituale nō ſit aliquid phyſicè afficiens animam peccatricem, ſed quid morale; (vt tamquam certum inter nos Scotiſtas ſuppono; quamvis poſteà diſsideamus in explicando, an ſit ipſemet actus præteritus moralitèr perſeverans? An deputatio paſsiva? An reatus, vel dignitas ad talem deputationem? Quas omnes ſententias probabilitèr defendi etiam ſecundùm Scotum *in tract. de Peccato originali diſp. 2. à n. 22.*) poterit tolli per aliam moralitatem oppoſitam, nempè per hoc, quòd anima iſta terminet actum, quo Deus remittat ei culpam. Sicut à debitore tollitur debitum, ſeu obligatio ſolvendi per hoc tãtùm, quòd terminet actum, quo creditor remittit illi debitum. Vnde patet, ad ſolvendum hoc argumentum abſtinendum nobis eſſe ab examine veritatis maioris propoſitionis; necnon & illorum, quæ in eius probationem ſumuntur.

17 Obijcies quintò, ſi culpa dimittitur, divina offenſa remittitur: ergo peccator Deo reconciliatur: ac per conſequens Deo fit acceptus: ſed hoc fieri nequit ſine infuſione gratiæ: ergo ſine iſta peccatum originale remitti,

non

non poteſt. Reſpondetur diſtinguendo conſequens enthymematis. Eſt enim verùm, quòd, ſi culpa auferretur ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, peccator reconciliaretur Deo negativè; (maneret enim ſine culpa, & offenſa; & conſequenter non inimicus) non tamen poſitivè: quia non acceptabatur, poſitivè ad amicitiã Dei per infuſionem gratiæ, nec per extrinſecam acceptationem: (vt ſuppono) & conſequentèr non maneret poſitivè amicus. Adde, quod neque poſitivè amicus, neque poſitivè inimicus: inter amicum enim poſitivè, & poſitivè inimicum datur medium, nempè ſubiectum abſtrahens ab vtroque, Sicut inter album, & nigrum datur medium, nempe ſubiectũ ſine albedine, & nigredine. Hac etiam ratione, ſi Deus creaſſet hominem, & non infudiſſet illi gratiam ſanctificantem; & aliàs homo non peccaſſet mortalitèr, non eſſet poſitivè amicus, aut inimicus.

18 Nota, his omnibus obiectionibus aliter reſpondere Scotum *ibi §. Ad argumenta.* Tamen conſulto abſtinui ab illius reſponſionibus, non quia non contineant veram doctrinam, ſed quia non reſpondet ex ſuppoſitione, quod remittatur peccatum per meram condonationem.

19 Dico ſecundo: de potentia ordinata neceſſario ponenda eſt gratia ſanctificans. Quia de illa lege nulli remittitur culpa mortalis, quin efficiatur filius regni. Secundò, quia circumciſio fuit verum, & proprium Sacramentum: huius autem ſignatum debet eſſe gratia ſanctificans in ſententia Scoti, ex dictis *cap. 1.*

20 Sed contra hanc concluſionem obijcies multas PP. authoritates affirmantium, antiqua Sacramenta non conferre gratiam. Immò Eugenius IIII. in Concilio Florentino dicit, in hoc differre Sacramenta antiqua â novis, quod illa non continebant gratiam, quam ſignabant; Sacramenta autem novæ legis continent gratiam, quam conferunt. Reſpondetur, cum Scoto *ibi §. Ex iſtis* vel loqui de Sacramentis veteris legis impropriè dictis, ſcilicèt de cœremonijs, vel, ſi loquantur de circumciſione, quæ fuit proprie Sacramentum, ſolùm velle, conferre parvam gratiam comparativè ad gratiam, quam conferunt noſtra Sacramenta. Aut ſolùm intendunt, non conferre gratiam, quæ ſit diſpoſitio immediata ad gloriam; quia non aperiebat ianuã cœlorum; eo quod decreverat Deus, nemini illam aperire, quouſque ſolveretur pretium redemptionis: vt latius diximus *c. 1.*

21 Addit Scotus ibi *verſ. Vel tertio modo* aliam ſolutionem dicens, ideo dici circumciſionem non contuliſſe gratiam, quia ex inſtitutione ſua fortè habuit de-

terminatum gradum, (primum v.g.) vltra quem conferre non poterat: quem gradum ſi repe-riebat in ſubiecto recipiente circumciſionem, nihil illi conferebat. Sacramenta autem novæ legis talem determinationem non habent; ſed ſemper, & omnibus non ponentibus obicem conferunt gratiam, quam continent. (vt ex Trident notabamus *c.* 1. *n.* 14.) Et ideò noſtra Sacramēta dicuntur abſolutè conferre gratiam; ſecùs autem circumciſio.

¶ Dices: ergo circumciſio non erat Sacramentum: quia non erat certum ſignum: non enim habebat ſemper collationem gratiæ ex opere operáto. Reſpondet Scotus ibi negando: quia ad proprium Sacramentũ ſufficit, quod quantum eſt ex ſe, ſemper, & omni ſubiecto capaci conferat gratiã. Tunc autem ſubiectum habens illum gradum gratiæ eſſet incapax effectus circumciſionis: ſicut nunc eſt, qui ponit obicem; & tamen recipit Sacramentũ informe: vt ſaltē de baptiſmo, confirmatione, ordine, & matrimonio nequit dubitari. Et ſicut ſi Virgo Glorioſiſsima perveniſſet iam ad illam plenisſimam gratiã, quã illi Deus dare diſpoſuerat, ſi reciperet baptiſmum, quamvis non reciperet gratiam baptiſmus in ea non eſſet ſignum falſum. Legatur Scotus *ibi verſ. Etſi obijciatur.*

¶ Sed contra quod ſuper illud *ad Rom* 4. *ſignaculum accepit circumciſionis* dicit quædam Gloſſa: *Peccata ibi ſolùm dimittebantur; ſed gratia ad benè operandum adiutrix non præſtabatur.* Reſpõdetur præcipuè cum Fabro *diſp.* 3. *n.* 39. de Gloſſa illa non eſſe curandam; ſicut neque de opinione Magiſtri, qui aſſeruit, circumciſionem deleviſſe peccatum originale ſine infuſione gratiæ. Quod loquendo de facto *eſt erroneum.* (inquit præcitatus Fabro)

22 Obijcies ſecundò, habenti gratiam ſanctificantem patet ianua regni cœlorũ (& meritò: fit enim per illam filius, & hæres regni) ſed recipienti circumciſionem non aperiebatur: (nulli enim quantumvis iuſto fuit aperta vſque ad mortem Chriſti Domini) ergo circumciſio de facto non conferebat gratiam ſanctificantem. Reſpondetur ex Scoto *ibi* §. *Ex iſtis verſ. Ad tertium* diſtinguendo maiorem: quando pretium redemptionis eſt iam ſolutum concedo: quando non erat ſolutũ, nego. Quamvis enim gratia ſanctificãs det ius ad gloriam, & faciat hæredem illius; diſpoſuit tamen Deus, nulli conferre poſſeſſionem gloriæ, quoadvſque pretium redemptionis per mortem Chriſti Domini eſſet ſolutum; immo, & quoadvſque ipſemet Redemptor ſua aſcenſione ianuam aperiret; primove omniũ hominum illùc introiret. Quare negatur conſequentia, ſeu quòd ex non apertione ianuæ cœlorum inferatur, circumciſionem non contuliſſe gratiam.

23 Ob-

23 Obijcies tertiò, Sacramẽtum ſolùm cauſat, quod ſignificat: ſed circumciſio tantùm ſignificat ablationẽ, & non aliquid poſitivum: ibi enim tantùm fiebat ablatio partis a toto: ergo nõ cauſabat gratiam, quæ eſt quid poſitivum. Reſpondetur ex Scoto: *ibi verſ. Ad vltimum* diſtinguendo maiorem: quod ſignificat primario tantùm, nego: quod ſignat primario, & etiam ſecundario, aut concomitanter, concedo. ¶ Pro quo nota, quod quamvis ſingula Sacramenta legis gratiæ habeant ſpeciales effectus, (v.g. propriꝰ effectus Euchariſtiæ eſt ſuſtentare animam; confirmationis illam roborare; baptiſmi eam mundare; &c.) tamen illos tribuũt media gratia ſanctificante, quæ in receptione cuiuslibet Sacramenti confertur. Vnde fit, quod Sacramentum nõ ſolùm cauſet effectum, quẽ proprie ſignat; ſeu etiam gratiam ſanctificantẽ, & omnes alios effectus, quos cauſat ipſamet gratia: vt ſunt dare ius ad gloriam; facere hominem dignum dilectione Dei, &c. Ad rem ergo: proprius effectus gratiæ collatę in circumciſione (idem eſt de baptiſmo) eſt ablatio animæ a peccato; tamen concomitantèr habet alios effectus, (nempe conferre ius ad vitam æternam, reddere hominem amicum, &c.) quamvis hos effectus non ſignificet primario, aut expreſsè circũciſio. Quod aperta inſtantia baptiſmi probat Scotus dicens: *Baptiſmus quantum ad actũ externum non ſignat niſi quamdam delectionem immunditiæ corporalis; & tamen nullus negat, aliquid eſſe eius effectum poſitivum.* Igitur cũ circumciſio, etſi non primario, aut proprie, concomitanter tamen, præſuppoſitive, aut ſecundario ſignaret gratiam ſanctificãtem, illam conferebat. Quare in forma ſic diſtinguo maiorem illã: (*Sacramentum ſolùm cauſat, quod ſignificat*) quod ſignificat propriè, ſeu primario, nego: (quia etiam cauſat, quod ſignificat concomitanter, aut ſecundario) quod ſignificat tam propriè & primario, quàm commitanter, aut ſecundariò, concedo. Eodem modo diſtinguo minorem illam: (*circũciſio tantùm ſignificat ablationem, & non aliquid poſitivum*) propriè, ſeu primariò, concedo: propriè, aut primario ſimul & concomitanter, aut ſecundario, nego. Et ideo nego conſequentiam.

De Sacramentis pro ſtatu innocentiæ.

STatum innocentiæ vocant illum, quem habuerunt primi Parentes, quandiu mortaliter non peccarunt: & conſequenter dum conſervarunt iuſtitiam originalem, rectitudinem, aut innocentiam, quam in ſua conditione receperunt.

DVBIVM VIII.

24 Petes octavò, an in ſtatu innocĕtiæ de facto fuerit aliquod Sacramentum? Reſp. negativè. Quia tempus, quo duravit ille ſtatus, fuit breviſsimũ: nõ ergo videtur congruum, Deũ, qui præſciebat inſtantem lapſum hominum, & amiſsionem illius ſtatus, inſtituere Sacramentum aliquod pro tam breviſsimo tẽpore. Ita Scotus *in 4. d. 1. q. 3. §. De tertio, verſ. Pro ſtatu, & communiter Authores.*

25 Dices, primos Parentes potuiſſe peccare venialiter ante peccatum mortale: ergo congruum fuit, tunc inſtitui aliquod Sacramentum contra venialia, aut per modum medicinæ contra morbos leves. Antecedẽs docet Scotus *in 2. diſt. 21. q. 1. contra D. Th. Bonav. Alenſem, & communẽ ſententiam Thomiſtarum.* Reſpondetur negando conſequentiam: videtur enim minùs cõgruum, pro tam breviſsimo tempore inſtitui aliquod Sacramentum.

26 Dices ſecundò, quòd matrimonium in illo ſtatu fuit Sacramentum. Reſpondetur negãdo: matrimonium enim eſt vnũ ex ſeptem Sacramentis legis gratiæ: Tridentinum autem *ſeſ. 7. can. 1. de Sacramentis in genere* definit, omnia Sacramẽta legis gratiæ fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta. ¶ Sed contra primò: Apoſtolus enim *ad Epheſ. 5. n. 32.* loquens de coniugio Adæ, & Evæ dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Reſpondetur cũ Suar. *diſp. 3 ſect. 3.* ly *Sacramentum* ibi ſumi in generali ſignificatione, quã cõplectitur quodcumque myſteriũ, figuram, vel ſignum abſtrahendo ab hoc, quòd conferat, vel non conferat gratiam ſanctificantem ex opere operato. Igitur matrimonium dicitur ibi Sacramentum, quatenùs erat vmbra, ſeu myſterium ſignificans occultiſsimam, & arctiſsimam coniunctionem Chriſti Domini cum Eccleſia futuris temporibus extituram.

27 Contra ſecundò, quòd Scotus videtur dubius de hac re: etenim *in 4. d. 1. q. 3. §. De tertio articulo, verſ. Ex hoc* ſic loquitur: *an verò matrimonium (quod certũ eſt fuiſſe in ſtatu innocentiæ) fuerit Sacramentum? de hoc inferius.* Reſpondetur Scotum *d. 26.* (vbi citant Marginiſtæ) §. *Ad ſolutionem verſ. Sed quia* reſolutoriè dixiſſe, quod Sacramentum matrimonij *inſtitutum fuit à Chriſto; ſicut vniverſaliter dictum eſt ſupra de Sacramentis Eccleſiaſticis.* ¶ Inſtabis, quod Scotus ibi relinquit locum ad defendendũ, matrimonium etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſe Sacramẽtum. Sic enim loquitur: *Ideò dici poteſt, quòd contractui matrimoniali annexit Deus Sacramentum propriè dictum, ſaltèm pro lege Evangelica: alioquin non eſſet Sacramentum novæ legis.*

Et

Et tunc oportet dicere, quòd inſtitutum fuit à Chriſto, &c. Expẽdo ly *ſaltèm pro lege Evangelica*; & ly *tunc*: præbent enim anſulam dicendi, Scotũ ſtatuiſſe matrimonium eſſe quidem Sacramentum proprium legis gratiæ; dubitaſſe autem, an fuerit proprium Sacramentum alterius legis, aut ſtatus: & conſequentèr ſecundùm Scotum, aut ſaltèm quin illi opponamur, poſſe defendi, matrimoniũ fuiſſe proprium Sacramentũ ſtatus innocentiæ. Reſpondetur, ita mihi eſſe perſuaſum. Tamen cũ nulla efficax ratio, aut authoritas cogat affirmare, pro illo ſtatu fuiſſe aliquod proprium Sacramentum: & aliàs non fuiſſe de facto tunc aliquod Sacramẽtum, ſit convenientia Theologorum; (teſte G. Hurt. *diſp.* 2. *diff.* 5.) abſque dubio nobis dicendum eſt, matrimonium in ſtatu innocentiæ non fuiſſe proprium Sacramentum.

Dubium IX.

28 PEtes nonò, an, ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet, fuiſſent Sacramenta? Reſpondetur affirmativè. Quia, Adamo nõ peccante, Chriſtus Dominus erat venturus; ergo ſine fundamento privarẽtur excellentia, & dignitate inſtitutoris Sacramẽtorum. Conſequentia eſt legitima, antecedens autem eſt certum nobis Scotiſtis; & nos latè probavimus *in tract. de Incarnat. cap.* 6. *diff.* 3. *à n.* 5. Secundò probatur abſtrahendo ab hoc, quòd Chriſtus veniret, vel non veniret, Adamo nõ peccante; videtur enim incongruum, quòd perfectiſsimus ille ſtatus perſeverans pro longo tẽpore privaretur tanto bono, quãtum eſt vſus Sacramentorum. Tertiò, quia ſempèr eſt congruũ, hominem ſenſibilem manuduci ad inviſibilia Dei per aliquod ſignum ſenſibile. Hanc noſtrã concluſionem eſſe conformem principijs Scoti, cõſtat ex prima probatione. Illam autem defendunt aliqui RR. quos ſuppreſſo nomine citat Vazq. *diſp.* 130. *cap.* 1. *n.* 1. Qui RR. citant pro ſua ſententia (teſte eodem Vazq. *à n.* 13) noſtros Scotum *d.* 1. *q.* 3. *& Aleſem* 3. *p. q.* 1. *memb.* 2. *art.* 1. *citantque Durandum in* 4. *d.* 1. *q.* 2. *num.* 9. Præcitatus autem Vazquez nõ ſolùm dubitat de mente horum Authorum, immo *num.* 12. dicit, ſe nullũ legiſſe Scholaſticum, qui dicat, tunc futura eſſe Sacramenta. Et *num.* 14. citatis verbis Scoti *ibi* §. *De tertio articulo*, conatur oſtendere, Scotum expreſſè docere oppoſitum. Tamen quantũ ad hoc vltimũ fallitur Vazquez: quia Scotus ibi ſolũ docet, quòd pro ſtatu innocentiæ non fuit cõgrum inſtitui Sacramẽtum mortuorum.

29 Opponuntur autem noſtræ concluſioni *D. Thom. Ricardus, Gab. Pal. Sotus, & alij, quos citat, & ſequitur Vazq. diſp.* 130. *cap.* 2. *à num.* 16. & objiciunt, quod ſacra-

cra-

cramenta habent efficaciã, aut conferant gratiam per paſsionem Chriſti D. ſeu tunc non foret paſſio: ergo neque Sacramenta. Maiorem docet paſsim PP. & Scholaſtici. Præ cæteris legatur Scotus *in 4. d. 2. q. 1.* Reſpondetur, ex hoc ſolùm probari, tunc non fore Sacramenta vi decretorum, quæ de facto fuerunt; fuiſſent tamen vi aliorum decretorũ, quibus Deus decerneret Sacramenta; aut dependentèr à meritis Chriſti Domini abſtrahentibus à carne paſsibili; (ſi veniret, Adamo non peccante; vt nos Scotiſtæ autumamus) aut ſolùm depẽdenter à ſua divina voluntate. (ſi Chriſtus D. non fuiſſet venturus, non exiſtente peccato; vt defendunt Thomiſtæ) ¶ Dices, hanc ſolutionẽ eſſe meram divinationem: quia vi, & ordine aliorum decretorum faceret Deus hoc, aut illud iuxta beneplacitũ ſuæ voluntatis. Reſpondetur, quòd ſi hæc obiectio aliquid valeret, convinceret ſane, multa à Theologis dici per puram divinationem, videlicèt quoties diſputatur de re exigente alium ordinem decretorum: v. g. ſi Deus remitteret peccatum mortale ſine infuſione gratiæ: ſi Verbum dimitteret humanitatem aſſumptam, &c. Igitur quoties vrgens invenitur ratio ad affirmandum, vel negandum aliquid in hypotheſi exigente variationem decretorum, non dicitur quis divinare. Sicuti neque dicitur divinare Philoſophus affirmans, quòd ſi daretur vacuum, per illud corpora moverentur: quod ſi Sol fuiſſet productus ab æterno, ex tunc lucem miſiſſet, &c.

50 Obijcies ſecundò, Sacramenta ſunt medicina cõtra morbos animæ: ſed tunc non eſſet morbus: ergo neque Sacramenta. Reſpondetur, maiorẽ eſſe veram de facto; non de poſsibili, aut de neceſsitate Sacramenti: cuius eſſentia ſalvatur penes hoc, quòd ſit ſignum practicum efficacitèr ſignificans gratiam ex inſtitutione divina. Quod autẽ hæc gratia ſit, vel non ſit medicinalis, eſt de per accidens, & ex vi præſentis inſtitutionis. Quare reſpondetur in forma diſtinguẽdo maiorem: Sacramenta ſunt medicina; de per accidens, concedo: eſſentialiter, nego: & conceſſa minori, vel potiùs omiſſa, negatur conſequẽtia. ¶ Conſultò autem omitto minorem: fortè enim tunc poſſent eſſe venialia, quę ſunt morbi leves; contra quos inſtituerentur Sacramenta. Immò fortè tunc poſſent eſſe mortalia diſtincta à peccato comeſtionis pomi vetiti: ſolùm enim pactum de cõſervatione iuſtitiæ originalis, aut de illius amiſsione fuit initum ſub conditione commedendi, vel nõ cómedendi de ligno vitæ. His annuunt, quæ docet Suar. *diſp. 3. ſect. 2 §. Ad primum.*

Dvbivm X.

31 PEtes decimò, (incidentèr) vtrùm perſeverante ſtatu innocētiæ, foret aliquis cultus erga Deum? Reſpondetur affirmativè. Quia in quocumque ſtatu debet homo profiteri, ſe Deo eſſe ſubiectum, ipſumque tamquam ſupremum Dominum laudare. Quare in illo ſtatu foret ſaltē cultus orationis, & laudis.

Dvbivm XI.

32 PEtes vndecimò, (etiam incidenter) an in ſtatu innocentiæ perſeverante futurū eſſet aliquod ſacrificium? Reſpōdetur affirmativè. Quia, cum in quocumque ſtatu homo accipiat à Deo nō ſolùm ſpiritum, & corpus, ſed etiam res externas, oportet, vt ipſum colat non ſolùm anima, & corpore; (ſcilicet Deum laudando, & orando) ſed etiam rebus externis; quarum oblatione, & conſumptu profiteatur, ipſum eſſe ſupremum Dominū, & authorem omniū rerum; (in quo ratio ſacrificij ſalvatur) iuxta illud *Paralipomenon 24. Tua ſunt omnia, & de his quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Quia tamen huius duplicis dubij deciſio non eſt huius tractatus; in ea amplius non immoror. Legantur *Suar diſp. 1 ſect. 1. & diſp. 3. ſect. 2. Vazq. diſp. 30. c. 1. & Coninbc q. 61. art. 2. a n. 7.*

Dvbivm XII.

33 PEtes duodecimò, quænam forent Sacramenta, ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet? Reſpondetur huius deciſionē pendere ex diverſis modis, quib⁹ ſtatus innocentiæ poſſet perdurare. Primo enim poteſt conſiderari, aut perdurare talitèr, vt à tota communitate excludat omne peccatum tam mortale, quam veniale. Secundo ita vt ſolùm excludat peccatum mortale à tota communitate, nō autem peccata venialia. Tertiò, ita vt perſeveret innocētiæ ſtatus in aliquibus, & in alijs non, ſed ipſam innocētiam, aut iuſtitiam originalē amiſerint. Et quia ſub his diverſis cōſiderationibus ſtatus innocentiæ, diverſimodè eſt philoſophādum de Sacramentorum inſtitutione in ſtatu innocentiæ, ne confuse procedā, ſingillatim de vnoquoque eorum loquemur.

De ſtatu innocentiæ primo modo conſiderato

34 STatus innocentiæ iſto modo excludit à tota communitate omne peccatum non ſolùm mortale, ſed etiam veniale. In qua ſuppoſitione dico primo, quod tunc eſſet Sacramētum Euchariſtiæ. Quia tunc veniret Chriſtus D. ergo ſine fundamento privaretur dignitate, & excellentia inſtitutoris Euchariſtiæ.

ſtiæ. Antecedēs ſuppono ex *n.* 28. Ita *Suar. diſp.* 3. *ſect.* 3. *probabilitèr philoſophatur*; *cui ſubſcribit Ægidius q.* 61. *art.* 2. *num.* 7. ¶ Nota, quod tunc Euchariſtia non eſſet memoriale paſsionis: quia Chriſtus D. tunc nō erat paſſurus crucem, & mortem. ¶ Nota etiā, tunc futuros eſſe miniſtros huius Sacramenti: & conſequentèr futurum eſſe Sacramentum ordinis: congruit enim, miniſtros elevari ad hoc officium per Sacramentum ordinis. Ita probabilitèr præcitatus Ægidius.

34 Dico ſecundo, tunc foret Sacramentum matrimonij. Quia id exigit perfectio illiᵘſtatᵘ. ¶ Sed Suar. *n.* 33, citatus in oppoſitum inclinans expendit, quod finis, & effectus matrimonij Sacramenti eſt ſedare inordinatam libidinē, & concupiſcentiam; atque ſublevare difficultatē, quæ eſt in ſuſtinēdo onera matrimonij: ſed vtrū que hoc deficeret in eo ſtatu: ergo tunc non eſſet hoc Sacramentum. Reſp. diſtinguendo maiorē: eſt enim vera ſolùm de facto, & de per accidens; falſa autē eſſentialitèr, & de per ſe: ſic enim matrimonium eſt Sacramentum efficacitèr ſignificans gratiam collatam ad ſeruandum inſeparabilē coniunctionem contrahentium; iuxta illud *Geneſ.* 2. *Erunt duo in carne vna*: & *Matth.* 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ex qua individua coniunctione oriuntur bonum prolis; bonum familiæ; & bonum civiū. Vocant bonum prolis, quòd filij religioſè educentur ad ſervitium Dei. Bonum familiæ, quod principales perſonæ familiæ mutuo ſe amore proſequantur. Et demum bonum civiū, quod parentes, ſeu propinqui vtriuſque coniugis ſe mutuo diligant. Legatur Scotus *in* 4. *d* 26 §. *Ad ſolutionem a verſ. ſequitur ſecunda.*

35 Dico tertio, tunc foret Sacramentum confirmationis, non quidē ad cōfortandum hominē, vt confiteatur nomen Chriſti D. corā tyranno: tunc enim nulla foret perſecutio: ſed ad confortandum hominem, vt perſeveraret in innocentia accepta, & ne illam amitteret; ſicut illam amiſſerunt primi Parentes.

36 Dico quartò tunc non forent Sacramēta baptiſmi, & pœnitentiæ. Quia iſta ſunt Sacramēta mortuorūm: in illo autem ſtatu nō erat futura aliqua mors ſpiritualis: vt ſupponimus.

75 Dico quinto, tunc non foret Sacramentum extremæ vnctionis. Quia tunc homo non eſſet moriturus; *ſed quilibet illius ſtatus fuiſſet translatus in paradiſum, ante quàm fuiſſet alteratus alteratione improportionata animæ, ſivè formæ*: inquit Scotus *in* 2. *diſt.* 19. §. *Concedo verſ. Dico tamen*: ergo neque eſſet Sacramentum inſtitutum pro iuvamine morituri.

De

De ſtatu innocentiæ ſecundo modo conſiderato.

38 STatus innocentiæ iſto modo excludit mortalia tantùm, non autem venialia. Et tunc eodẽ modo philoſophãdum eſt de ſtatu innocentiæ quãtum ad inſtitutionem Sacramẽtorum, ac *à n.* 34. philoſophati ſumus de ſtatu innocentiæ cõſiderato ſine aliquo peccato tã mortali, quam veniali. Quia cùm ſtatus innocentiæ vtroque illo modo excludat mortale, non apparet ratio, proptèr quam de Sacramentorum inſtitutione diverſimode ſit philoſophandũ. Et ideo tunc concedenda ſunt omnia Sacramenta vivorũ, præter extremam vnctionẽ; nõ autem Sacramenta mortuorum, nempè baptiſmus, & pœnitentia. ¶ Dices: tunc fuiſſent venialia; vt ſuppono: ſed cum veniali tantùm poteſt adminiſtrari pœnitentia; (vt nulli eſt dubium) necnon & baptiſmus in caſu, quo adultus iam per contritionem fuiſſet iuſtificatus; & haberet aliquod veniale: ergo tunc fuiſſent hęc duo Sacramenta. Reſp. diſtinguendo minorem: ſolùm enim eſt vera de per accidẽs; falſa eſt autem de per ſe, & ex vi inſtitutionis baptiſmi, & pœnitentiæ. Itaque hæc duo Sacramenta primario, & per ſe, ſeu ex vi ſuæ inſtitutionis pugnant cũ peccato mortali; ſeu ſunt inſtituta ad delendum mortale: (& ideò dicuntur Sacramenta mortuorum) de per accidens tamen tollunt etiam venialia, ſeu poſſunt adminiſtrari illi, qui ſolùm habet venialia. Videtur autem minùs congruum, quod inſtituerentur in ſtatu, in quo repugnaret mors animæ, quãvis aliàs fuiſſet veniale, quod de facto ſolùm per accidens ſufficit ad eius adminiſtrationem. Adde, fortè poſſe dici, quod de facto ſufficiunt venialia adminiſtrationi horũ Sacramentorum; quia ſupponunt fuiſſe in recipiente mortem animæ, ſcilicèt peccatum mortale ſaltem originale: quo deficiente fortè eſſet homo habens tãtùm venialia incapax receptionis illorum.

De ſtatu innocentiæ tertio modo conſiderato.

39 STatus innocentiæ iſto modo perſeverat in aliquibus, & in aliquibus nõ. Itaque quærimus, quid dicendum eſſet in caſu, quo aliqui homines conſervaſſent innocentiam, aut iuſtitiam originalem; aliqui autem illam amiſiſſent? Et tunc dicendũ eſt, futura eſſe omnia, & ſingula Sacramenta, quæ de facto ſunt. Quia tunc non minùs quàm nunc Deus amaret peccatores: ergo pro illis inſtitueret Sacramenta, quæ de facto pro nobis inſtituit. Quare tunc ſumeret carnem; & moreretur pro illis hominibus. Immo addo, vtrumque hoc etiam tenere verum

rum in caſu, quo vnus tantùm ex tota hominum communitate mortalitèr peccaret. Et ratio mihi eſt, quòd multi dicunt, motivum, ſeu occaſionem decernendi adventum Chriſti D. in carne paſsibili (id eſt, ſubituri paſsionē, & mortem) ſolùm fuiſſe peccatum Adami, antequam prævideretur transfuſum in poſteros: (videantur, quæ diximus in tractatu de Incarnat. cap. 6. diff. 3. num. 17.) ergo ſecundùm iſtos motivum patiendi fuit peccatū vnius hominis tantùm. Quod autem idem futurum eſſet pro quocūque peccatore, mihi perſuadet, & commendat immenſa Dei erga homines charitas. Prætereà multæ extant revelationes, quibus Chriſtus Dominus dixit, ſe iterum libenter paſſurum vniverſa ſuæ paſsionis tormenta pro vno, aut altero hominum tantùm. Præſertim legatur Cartuſianus *in prologo ad paſsionem 4. p. cap.* 48. vbi narrat revelationem illam factam Carpo, qui petebat à Deo acrem vindictā contra ſeductorem cuiuſdam fidelis; necnon & contra ipſum ſeductum. Cui fertur apparuiſſe Chriſtum Dominū & dixiſſe, ſe iterum ſubire ſuæ paſsionis tormenta pro peccatoribus eſſe paratum. Vbi expendo, Carpum contra duos tantùm petere vindictam: & conſequenter Chriſtum Dominum pro illis duobus tantùm reſpondiſſe eſſe paratum ſubire mortem. Immo, & pro vno tantùm idem reſponſurum, dictæ rationes mihi perſuadent.

Dubium. XIII.

40 Petes decimotertiò, an innocentes illius ſtatus poſſent vti Sacramentis mortuorum, ſcilicèt baptiſmo, & pœnitentia? Reſpondetur ſub duplici diſtinctione. Aut enim loquimur de omninò innocentibus, ſeu de illis, qui nullum mortale, aut veniale habebant, aut habuerunt aliquādo. Aut loquimur de his, qui ſunt innocentes, eoquòd non habent neque habuerunt aliquando mortale; habebant tamen veniale. Item aut loquimur de baptiſmo; aut etiam de pœnitentia.

41 Dico primò: innocens habens veniale poſſet vti Sacramēto pœnitentiæ. Quia ſicut de facto recipit Sacramentorum pœnitentiæ, qui tantum habet veniale: ita tunc. Et a ſimili idem dicendum eſt de baptiſmo, nempe de facto poſſe adminiſtrari adulto habenti tantùm peccatum veniale, eoquòd elicuit actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, per quam deletum eſt originale. Quia ſicut nunc poteſt adminiſtrari baptiſmus illi, qui habet veniale tantùm; ita tunc. ¶ Verùm eſt, quod fortè nunc homo eſt capax Sacramentorum mortuorum, etiam ſi ſolum habeat veniale. quia ſupponitur fuiſſe mortuum; quæ mors ſi non præfuiſſet, fortè eſſet incapax: vt no-

notabamus *num.* 38. *in fine.* Quia tamen hoc non eſt certum, neque apud AA. vidi; ideò mihi ſtatuo, quòd, quamvis non forent inſtituenda Sacramenta mortuorum, ſi nullum mortale fuiſſet futurum: tamen ſi ſupponantur hæc Sacramenta iam fuiſſe inſtituta pro habente mortale, (qui eſt caſus præſentis difficultatis) potuiſſet vti eis ille, qui haberet venialia tantùm.

42 Dico ſecundò, omninò Innocens (id eſt, qui nec mortale, nec veniale haberet, nec habuiſſet aliquando) non poſſet vti Sacramento Pœnitentiæ. Quia iudicium pœnitentiale requirit neceſſariò crimen, à quo abſolvatur pœnitens, qui eſt reus, & ſimul accuſator ſui ipſius. Accuſator autem debet accuſare de vero crimine: alioqui committet peccatum mendacij; quod in re graviſsima (qualis eſt ponere pro materia Pœnitentiæ Sacramenti id, quod ſcit non eſſe materiam: & conſequentèr irritare Sacramentum) eſt peccatum mortale. Et ideò Scotus *in 4. diſtin. 17. in fine* dixit: *Ad aliud dico, quod ſimplicitèr innocens à mortali, & veniali teneretur ſimplicitèr non confiteri. Vnde ſi Beata Virgo fuiſſet confeſſa Petro poſt aſcenſionem, peccaſſet confitendo.*

34 Dico tertiò: omninò innocens illius ſtatus potuiſſet vti Sacramento baptiſmi. Sicut Beatiſsima Virgo accepit Sacramentum, quod in lege Moyſis extabat pro delendo originale mulierum. (quale fuerit hoc Sacramentum diximus *num.* 10.) Et ſicut Chriſtus Dominus recepit circumciſionem; quæ tunc erat Sacramentum inſtiturum contra originale peccatum. Adde, Beatiſsimam Virginem de facto recepiſſe Sacramentum baptiſmi; docere non ignobiles AA. immo & Damaſcen. *lib. 4. de fide ortodoxa capit.* 10. expreſsè docet, Chriſtum Dominum de facto fuiſſe baptizatum baptiſmo à ſe inſtituto. De quo latè agemus (Deo dante) in tractatu Baptiſmi cap. 7. à num. 12. ¶ Dices: tam baptiſmus, quam confeſsio ſunt Sacramenta mortuorum: ſed omninò innocens illius ſtatus poſſet vti baptiſmo: ergo & Sacramento confeſsionis, ſeu pœnitentiæ. Reſpondetur, negando conſequentiam, ſeu paritatem: quia nos non negamus potuiſſe vti innocentes illius ſtatus Sacramento pœnitentiæ, quia eſt Sacramentum mortuorum; ſed quia eſt iudicium pœnitentiale; & conſequenter neceſſariò requirit crimen, à quo reus abſolvatur.

44 Dices ſecundò, ſicut peccatum eſt materia remota pœnitentiæ, ita & baptiſmi. Sed ſine materia nequit ſtare Sacramentum aliquod: ergo omninò innocens ſicut nequit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ita neque baptiſmi. Reſpondetur

negando maiorem: quia quamvis regulariter, & de facto baptiſmus ſupponat peccatum in recipiente; id tamen non prærequirit eſſentialiter, aut neceſſario; ſicut pœnitentia; quæ eſt Sacramentum eſſentialiter abſolvens iudicialiter: iudicium autem ſicut formari non poteſt ſine accuſatore, reo, & iudice; ita neque ſubſiſtere poteſt ſine crimine. ¶ Contra: baptiſmus eſt Sacramentum abluens: ſed nequit intelligi ablutio ſine macula: ergo ſine iſta baptiſmus nequit ſubſiſtere. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: baptiſmus enim accidentaliter habet, actualitèr abluere: eſſentialitèr autem, aut ex natura ſua abluere, quantum eſt ex ſe, ſeu aptitudinaliter. (vt ita dicam) Itaque baptiſmus ex inſtitutione ſua, ſeu quantum eſt ex ſe, confert gratiam ex ſe ablativam peccatorum; non autem eſt neceſſarium, quòd actu abluat: (vt docet Scotus *in 4. diſtinct. 4. quæſt. 6. in fine*) & ideo valide, & licitè datur baptiſmus adulto iam iuſtificato per contritionem, aut dilectionem Dei. Immò Scotus *ibi §. Ad primum verſ. Ad aliud dico, quòd baptizatus* docet, quòd, ſi baptizatus baptiſmo ſanguinis ſupervivat, tenetur recipere in re, ſeu cum effectu baptiſmum aquæ.

45 Inſtabis: etiam pœnitentia eſt Sacramentum abſolvens non actualitèr, & cùm effectu, ſed quantum eſt ex ſe, aut conferens gratiam, quantùm eſt ex ſe, abſolventem a peccato: vt conſtat in eo, qui ſolùm confitetur peccata iam ſemel confeſſa: qui tamen iterum abſolvitur, & recipit gratiam, quantum eſt ex ſe, abſolutivam à mortalibus: ergo ſicut omninò innocens nequit recipere pœnitentiam; ita neque baptiſmum; ſeu nulla, quantum ad hoc, eſt differentia inter vtrumque Sacramentum. Reſpondetur negando conſequentiam: quia quamvis baptiſmus, & pœnitentia conveniant in hoc, quòd neutrum horum Sacramentorum (ſeu gratia vi illorum collata) actualitèr deleat neceſſariò culpam mortalem, ſed ſufficit, quod ſint deletiva illius: tamen ex diverſa illorum natura provenit, quòd baptiſmus poſsit miniſtrari ſubiecto, cui nunquam infuit, aut ineſt culpa: ſecùs autem pœnitentia. Et ratio eſt, quòd ſicut alijs corporalibus ablutionibus poteſt vti is, qui numquam fuit immundus: quæ corporales ablutiones tunc non abluunt ſubiectum auferendo ab illo aliquam immunditiam: ita qui non eſt, aut numquam fuit immundus poteſt vti ablutione Sacramentali baptiſmi: quæ ablutio tunc non mundat, quoniam ſubiectum ſupponitur mundum: eſt tamen de ſe ablutiva, ſeu mundativa à peccatis per modum ablutionis. Pœnitentia autem, cùm

cùm ſit tribunal, ſeu Sacramentum per modum tribunalis, aut iudicij, requirit neceſſariò reum pœnitentem præſentem, aut ſaltèm præteritum. Quod adeò eſt verum, vt non ſufficiat Sacramento pœnitentiæ macula originalis; eo quod in iudicio debet quis abſolvi à proprio crimine: originale autem peccatum commiſſum fuit voluntate non noſtra, ſed primi parentis.

46 Dices tertiò, inconſequētèr nos loqui ad dicta *num.* 36. ſtatuimus enim ibi in ſtatu innocentiæ, qui ab omni hominum communitate excluderet omne peccatum tàm mortale, quàm veniale, non eſſe futurum Sacramentum baptiſmi: ergo omnino innocens non poſſet vti baptiſmo in ſtatu, in quo ſimul eſſent innocentes, & peccatores. Reſpond. negando conſequentiam: ſicut omnes negarent iſtã: de facto Sacramentum pœnitentiæ ſolùm fuit inſtitutum ex primaria intentione pro habente peccatum mortale: ergo non poteſt vti illo, qui eſt innocens à mortali. Et ratio eſt, quòd faciliùs conceditur vſus Sacramenti iam inſtituti, quàm illius inſtitutio. Sicut faciliùs conceditur alicui vſus rei iam factæ; quàm effectio illius.

(·˙·)

CAPVT III.

De cauſa Sacramentorum.

DVplex cauſa Sacramentorum poteſt conſiderari. Alia inſtituens Sacramenta, & alia miniſtrans, ſeu conficiens Sacramenta, poſtquam iam ſunt inſtituta. Prima dicitur cauſa efficiens principalis. Secunda dicitur efficiens miniſterialis. Et de vtraque eſt in præſenti capite agendum.

De cauſa principali Sacramentorum.

Dvbivm. I.

1 PEtes primò, à quo ſint inſtituta Sacramenta legis gratiæ? Reſpondetur, omnia fuiſſe inſtituta à Chriſto Domino. Quia Tridentinum *ſeſſion.* 7. *can.* 1. dicit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.*

DUBIUM II.

2 PEtes ſecundò, an à Chriſto D. fuerint immediatè inſtituta omnia, & ſingula Sacramenta legis gratiæ? Reſpōd affirmativè cum communiſsima ſententia. Quia poteſtatem inſtituēdi Sacramenta nulli communicavit Chriſtus D. ſi enim alicui, maximè Eccleſiæ; ſed iſti non: ergo nulli. Quod Eccleſiæ non cōmunicaverit hanc poteſtatem videtur colligi ex Trid. *ſeſ.* 21. *cap.* 2. dicente: *Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaverit.* Expēdantur verba illa, (*ſalva illorum ſubſtantia*) quibus apertè docet concilium, Eccleſiam nullam poteſtatem habere circa ſubſtantiam Sacramētorum: eo ſcilicèt, quòd nullum illorum ab ea fuerit proximè, & immediatè inſtitutum: ergo Chriſtus Dominus non communicavit Eccleſiæ poteſtatem inſtituendi Sacramenta. Legantur RR. præſertim Suar. *diſput.* 12. *ſect.* 1.

3 Sed contra hanc veritatem videntur ſtare hæretici huius temporis, qui ſolùm baptiſmum, & Euchariſtiam dicunt à Chriſto Domino fuiſſe inſtituta: quia de his tantùm exiſtimant, fieri mentionem in Scriptura: & reliqua, quæ in Scriptura non ſunt expreſſa, vocant traditiones humanas. Sed quamvis hi non errent negando, Chriſtū D. immediatè inſtituiſſe omnia Sacramenta legis gratiæ; errant tamen circa numerum Sacramentorū: vt notant RR. præſertim *Vazq. diſp.* 135. *cap.* 1. *num.* 1. *& præcitatus Suarez in principio illius ſectionis.* ¶ Apertè autem opponuntur noſtræ concluſioni aliqui Catholici aſſerentes, Chriſtum Dominum immediatè non inſtituiſſe omnia Sacramēta Pro qua ſententia Vazquez ibi citat *Hugonem de Sancto Victore lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 2. *& Magiſtrum in* 4. *diſt.* 23 dicitque, nonnullos Scholaſticos idem docere de quibuſdam Sacramentis, ſcilicèt de Sacramento vnctionis, quod exiſtimant, fuiſſe inſtitutum à D. Iacobo *in ſua Epiſtol. cap.* 5. Verùm ipſe Vazq. *ibi num.* 14. affirmat, hos AA. manifeſtè errare, ſi non loquantur de promulgatione, aut de mentione vnctionis, ſed de prima illiꝰ inſtitutione.

4 Sed. cuiuſcumque ſit hæc ſententia, pro illa, necnon, & pro hæreticis objicies Divū Auguſtinum *Epiſt.* 118. *cap.* 1. vbi docere videtur, ſolùm ea Sacramēta eſſe a Chriſto D. inſtituta, quæ in Scriptura continentur; & ſubdit: *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſervantur,* dan-

dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri. Ex quibus duo contra dicta inferuntur. Primū eſt, Chriſtum D. non inſtituiſſe omnia Sacramēta legis gratiæ. Secundum eſt, in Eccleſia eſſe authoritatem inſtituendi Sacramenta. Reſpondetur cum Ægidio *q. 64. art. 4. dub. 1. num. 9.* D. Auguſtin. ibi ſolùm docere, quæ conſuetudines Eccleſiæ ſervandæ ſunt, & quæ non, præſertim quando ſunt diverſæ pro diverſis Eccleſijs. Pro quo ſtatim in initio notat, quædam ex his, quæ Eccleſia obſervat, eſſe inſtituta à Chriſto Domino; qualia dicuntur eſſe Sacramēta: ex quibus duo tantùm enumerat: quia nullo modo faciebat ad rem, omnia enumerare. Expreſsè tamen indicat, hæc omnia Sacramenta, tāquam præcipua capita noſtræ religionis, à Chriſto Domino fuiſſe inſtituta. Quare neutrum ex illis duobus colligitur ex verbis Auguſtini. Non primum: vt per ſe patet ex dictis. Non ſecundum: quia authoritas, quam Apoſtolis, & concilijs concedit Auguſtinus eſſe in Eccleſia, eſt ad inſtituendum, non Sacramenta, ſed Sacramentalia, vel ritus, ad aptius miniſtrādum Sacramenta, iuxta id quod *n. 2.* ex Trident. expendebamus.

5 Obijcies ſecundo, eumdem Auguſtin. *lib. 3. de Doctrin. Chriſtiana cap. 9.* comparantem vetera Sacramenta cum novis dixiſſe: *Sed quædam pauca pro multis, eademque facto facillima, & intellectu Auguſtiſsima, & obſervatione caſtiſsima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina:* ergo Sacramenta partim Chriſtus Dominus partim Apoſtoli inſtituerunt. Reſpondetur negando conſequentiā: ſolùm enim vult Auguſtinus, Chriſtum Dominum inſtituiſſe omnia, quæ Sacramentis ſunt eſſentialia; Apoſtoli verò ea nobis promulgaverint; quoſdamque ritus in eorum adminiſtratione ſervari præceperint.

¶ Obijcies tertio, Divum Cyprianum *ſerm. de ablutione pedum in initio* dixiſſe loquendo de Sacramentorum adminiſtratione: *Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt Sacramenti inſtitutor, & author: in cæteris homines Spiritum Sanctum habere doctorem*: Exiſtimat ergo, cætera Sacramenta inſtinctu Spiritus Sancti fuiſſe per homines inſtituta. Reſp. cum Suar. *diſp. 12. ſect. 1.* ibi ſumi ſingulare pro plurali, ita vt ſenſus ſit, Chriſtum D. eſſe authorem cuiuſlibet Sacramentorum, & cōſequenter omnium. Et ratio eſt, quod ibi apertè docet, baptiſmum, pœnitētiam, & alia eſſe à Chriſto D. inſtituta. Quando autē poſterioribus verbis docere videtur, reliqua tradita eſſe ab hominibus Spiritu Sancto dictante, non loquitur de Sacramentis, ſed de rebus & cæremonijs ad Sacramentorum congruam adminiſtrationē. Le-

gatur etiam Vazq. *diſp.* 135. *cap.* 1 *num.* 12 qui etiam explicat hoc teſtimonium. Reſp. ſecūdò, cum *Ægid. q.* 64. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 11. *&* *cum G. Hurt. diſp.* 4. *diff.* 2. authorem illius ſermonis non eſſe D. Cyprianū. Et merito hoc dicunt; quoniam Bellarminus *in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis* inter opera D. Cypriani ſermonem illū non enumerat. ¶ Notantque prædicti Ægid. & Hurt. multa contineri in illo ſermone valdè obſcura, & difficilia, præcipuè quòd Euchariſtiam videtur ponere initerabilem: ſicut eſt baptiſmus.

Dubium III.

6 Petes tertiò, an ſit de fide certum, Chriſtum Dominum per ſe, & immediatè inſtituiſſe omnia, & ſingula Sacramēta legis gratiæ? Reſpondetur negativè. Quia, etſi iſta videatur eſſe mens Trident. *num.* 1. citati: non tamen poſuit particulas illas *per ſe, & immediatè*: & poterit quis dicere, concilium ſolùm loqui de inſtitutione mediata, vel immediata. Sicut Catholici aliqui dixerunt ſaltèm de Sacramēto vnctionis: vt notabamus *n.* 3. Igitur cùm apertè non ſit definitū; & oppoſitum permittat Eccleſia defendi ab aliquibus Catholicis, non erit de fide. Sed oppoſitum defendit Vazq. *diſp.* 135. *c.* 1. *num* 2. ad quod multa expendit, quibus efficaciter colligitur, eam eſſe mentē concilij. Tamen cùm expreſſè non ſit definitum, ad fidem non ſpectat.

Dubium IIII.

7 Petes quartò, an Chriſtus D. inſtituerit Sacramenta legis gratiæ, quatenùs Deus? An quatenùs homo? Reſp. ſub diſtinctione. Si enim nomine Sacramenti intelligamus nō ſolùm aſſignationem ſigni efficaciter ſignificantis gratiam, ſed etiam poſitionem ipſius gratiæ, Sacramēta ſolùm poſſunt inſtitui à Chriſto Domino, quatenùs Deus eſt. Quia ſolus Deus poteſt tamquam cauſa phyſica principalis producere gratiā: ſivè hoc proveniat ex eo, quod creetur; vt dicimus Scotiſtæ cum Scoto *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. ſivè quia eſt ſupernaturalis ſimpliciter; ſive ex alio capite. In ſenſu huius partis diſtinctionis dixit Scot. *in* 4. *d.* 2. *q.* 1. §. *Ex his duabus verſ. Et ſecundum hoc dico, quod Sacramenta novæ legis à ſolo Deo habent efficaciam, tamquam à cauſa principali.* ¶ Si tamen nomine Sacramenti inſtitutionis ſolùm intelligamus aſsignationem ſigni efficaciter ſignificantis gratiam, Sacramenta fuerunt inſtituta à Chriſto D. quatenus homo eſt. Quia eius humanitati fuiſſe commiſſam hanc poteſtatem excellentiam, & dignitatem, eſt valde congruum. In quo ſenſu accipio illud D. Ambroſ. *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 4. *Authur Sacramen-*

mentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus? Sed de vtroque iſto fuſior redibit diſputatio.

Dvbivm V.

8 PEtes quintò, an Chriſtus D. quatenus homo, fuerit cauſa meritoria inſtitutionis Sacramentorum, adhuc vt includunt gratiam ſanctificãtem? Seu, an meruit collationem gratiæ vi Sacramentorum datæ? Reſpondetur affirmativè. Quia hoc eſt poſsibile, & ſpectat ad excellentiam, & dignitatem Chriſti D. Et ideo Scotus verbis nuper relatis iſta annexuit: *à Chriſto autem patiente, ſeu à paſsione Chriſti habent efficaciam, tamquam à cauſa meritoria.* Et in hoc ſenſu ſunt intelligendæ authoritates, quæ ſonant, Chriſtũ Dominum quatenus homo eſt, eſſe authorem, aut cauſam gratiæ Sacramentorum. Loquuntur (inquam) de cauſa tantùm morali, aut meritoria.

Dvbivm VI.

9 PEtes ſextò, an Chriſtus D. quatenus homo eſt, habuerit aliquam cauſalitatem phyſicam circa gratiam collatam vi Sacramentorum? Reſpondetur negativè. Quia neque phyſicam principalem: hanc enim ſolus Deus habere poteſt: vt *num.* 7. dicebamus. Neque phyſicam inſtrumentalem: quia ad creationem non eſt dabile inſtrumentum: ſed gratia neceſſariò habet eſſe per creationem; ergo humanitas Chriſti Domini nequit phyſicè inſtrumentaliter producere gratiam. Maior videtur certa: non enim apparet, quomodo aliquod inſtrumentum poſsit agere circa nihil, vnde educitur illud, quod creatur. Minorem ſuppono cum Scoto *in* 1. *diſtinct.* 17. *in fine, & in* 2. *diſtinct.* 7. §. *De ſecundo, & alibi, & cum omnibus Scotiſtis: item cum noſtris D. Bon. Alenſi, Ricardo, & multis alijs ex Thomiſtis. De quo præſertim videatur noſter Felix tractatu de Gratia cap.* 6. *diff.* 4. *à num.* 3. Immò admiſſa poſsibilitate inſtrumenti phyſici ad creationem, ſeu abſtrahendo à modo productionis gratiæ, non apparet, quomodo humanitas Chriſti Domini adhuc vt terminata per Verbum potuerit concurrere, vt inſtrumentum phyſicum ad dandum efficaciam baptiſmo v. g. vt ſit Sacramentum productivum gratiæ. Sicuti neque apparet, quomodo nunc exiſtens in cœlo poſſit Chriſtus Dominus, aut eius humanitas eſſe phyſicum inſtrumentum productionis gratiæ, quæ fit in anima viatoris. Confirmatur ex his, quæ dicturi ſumus *cap.* 5. *à num.* 1. agendo de cauſalitate, quam habent Sacramenta reſpectu gratiæ vi illorum collatæ: quæ cauſalitas eſt moralis tantùm.

10 Sed D. Thom. 3. *p. q.* 64.

art 3. *& alibi* affirmat, Chriſtum D. vt homo eſt, operari ad interiores effectus Sacramentorum non ſolùm meritoriè, aut moraliter, ſed etiam phyſicè inſtrumẽtaliter. Quam ſententiã ſequuntur aliqui alij Thomiſtę, præcipuè Sotus *in* 4. *diſt.* 1.*q.*5. *& Suar.* 3. *p.diſp.*31.*ſect.*2.*&* 3. Et obijciunt illud *Matth.*28.*n.*18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Et Ioann.*20. *num.*22. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Sed peccata mortalia non remittuntur (ſaltèm de lege ordinata) ſine infuſione gratiæ ſanctificantis: ergo data eſt Chriſto D. poteſtas ad producendum gratiam. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: ad producendum phyſicè gratiam, nego: ad producendum moraliter, ſeu meritoriè, concedo. (Per quam diſtinctionem ſolvũtur, quæ expendit Sotus ibi.) ¶ Obijcies ſecundò D. Greg. 2. *Dialogor. cap.* 30. dicentem, quòd Sancti aliquandò exhibent miracula expoſtulatione: ergo in ſanctis eſt poteſtas faciendi miracula: ergo multo magis in Chriſto Domino, vt eſt homo. Reſpond. ſicut ad præcedens: hæc enim poteſtas eſt moralis, ſcilicèt merita, quibus Deus movetur ad concedendum, quod Sancti aliquando expoſtulant. Idemq; contingit in Chriſto D. cuius humanitati propter vnionem cum divino verbo, aut propter eius merita ſemper aſsiſtebat Deus operando omnia illa, quæ Chriſtus D. poſtulabat fieri a divina omnipotentia.

11 Hinc cõſtat, virtutem, ſeu poteſtatem faciendi miracula ſivè in Chriſto D. quatenus homo eſt, ſive in Sanctis non eſſe aliquã qualitatem intrinſecè in ipſis receptam, ſed extrinſecam aſsiſtentiam Dei, qui ad petitionem, ſeu propter merita illorum operatur opera miraculoſa. Legatur Fabro *diſp.*2. *cap.* 1. *&* 2. ¶ Vnde etiam conſtat, quare Sancti, & humanitas Chriſti D. aut ipſemet Chriſtus Dominus, quatenùs homo, dicãtur facere miracula, ſeu quòd ſunt cauſa miraculi, aut inſtrumentum, quo Deus vtitur ad faciendum miraculum, aut quòd humanitas Chriſti D. eſt organũ, per quod Deus operabatur miracula. Ratio (inquam) harum, & ſimilium locutionum eſt, quòd Deus aſſumit orationem, dignitatem, aut meritum illorum ad operandum miraculum, id eſt, motus dignitate Chriſti Domini, v. g. merito, aut oratione illius miracula operatur. ¶ Ad rem ergo noſtram propriùs accedendo, & applicando doctrinam iſtã ad gratiam, ſeu effectum Sacramentorum, dico, verum eſſe, diverſas reperiri locutiones, quibus dicitur, Chriſtum Dominum dimiſiſſe peccata, (nempè per collationem gratiæ ſanctificantis; ſine qua non remittitur peccatum mortale de lege ordinata) eſſe organũ Spiritus Sancti,

aut

aut divinitatis ad faciendum miracula, &c. Ex his autem, aut ſimilibus locutionibus ſolùm habetur, Chriſtum Dominum, quatenus homo eſt, eſſe cauſam moralem, aut meritoriam gratiæ; non autem, quòd ſit cauſa inſtrumentalis phyſica: cùm non appareat, quomodo phyſicè attingere poſsit productionē gratiæ. Immò repugnare videtur; ex eo quòd naturale nequit phyſicè effectivè attingere ſupernaturale. Necnon, & ex eo quòd corporeum nequit phyſicè effectivè producere ſpirituale. Quod certius adhuc apparet in noſtra, & Scoti opinione, quæ defendit, gratiam creari: ad creationem enim nullum inſtrumentum phyſicū admittunt communiter AA.

DVBIVM VII.

12 PEtes ſeptimò, an Chriſtus Dominus, quatenus homo, habuerit poteſtatem determinandi ſigna, ad quorum poſitionem Deus ponat gratiā ſanctificantem infallibiliter. Reſpondetur affirmative. Quia in hoc, quòd Deus commiſerit ſuæ humanitati vnitæ, ſeu Chriſto Domino, quatenus homo eſt, hanc poteſtatem, nulla apparet repugnantia; & aliàs hoc conducit ad excellentiam ipſius. Quare hoc ſatis congruum apparet: vt *n.* 7. expendebamus; vbi adduximus D. Ambroſium hùc ſpectantem. Quare à fortiori tenentur defendere hanc concluſionem quotquot, affirmant, potuiſſe communicari puræ creaturæ poteſtatem inſtituendi Sacramenta. Hi ſunt *Suarez diſp.* 12 *ſect* 2. *Ægid. quæſt.* 64. *art.* 4. *dub.* 2 *Scotus in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 4. *Valentia diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 1. *& G. Hurt. diſput.* 4. *diff.* 1. Nec ab hac concluſione diſſentiunt Scotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. §. *De ſecundo verſ. Sic ergo patet, Vazq. Gab. & alij*, qui affirmant, Sacramenta à ſolo Deo poſſe inſtitui. Nomine enim inſtitutionis Sacramentorum intelligunt, non ſolùm determinationem ſigni, ſed poſitionem gratiæ ſanctificantis; quam exiſtimant, neceſſariò poni ab illo ipſo, qui determinat ſignum, vt propriè dicatur inſtituere Sacramenta: vt de Scoto notat Fabro *diſp.* 5. *cap.* 1. *num.* 1.

13 Vnde placent mihi RR. *præſertim Suarez, & Ægidius citati*, quatenus notant, hanc controverſiam (*Vtrùm puræ creaturæ poſſit committi authoritas, aut poteſtas inſtituendi Sacramenta?*) potiùs eſſe de nomine, quàm de re. Conveniunt enim AA. vtriuſque ſententiæ in duobus, in quibus tota res huius litis videtur abſolvi; & poſteà diſcrepant in nomine. Primum, in quo conveniunt, eſt, à nulla creatura, tamquam à cauſa phyſica principali (& fortè neque inſtrumentali) poſſe produci gratiam ſanctificantem, quæ eſt ſignatum Sacramenti. Secundum eſt, poſſe creaturam ex autho-

thoritate Dei ſibi commiſſa aſsignare, ſeu determinare pro libito ſuæ voluntatis ſignum, ad cuius poſitionem Deus infallibiliter ponat gratiam in reliquis Sacramētis; in Euchariſtia autem corpus, & ſanguinem Chriſti Domini ſub ſpeciebus; immo ad hoc teneatur ex pacto. Diſcordant autem AA. vtriuſque ſententiæ in nomine. Qui enim dicunt, puræ creaturæ non poſſe committi poteſtatem inſtituendi Sacramenta, affirmāt, ad hoc requiri non ſolùm poteſtatem aſsignandi, ſeu determinandi ſignum, ſed etiam eſſe ſimpliciter requiſitū, quod ipſemet, qui determinat ſignum, producat gratiam, ſeu ſignatum Sacramēti. Qui autem oppoſitum defendunt, dicunt, vt aliquis dicatur propriè inſtituere Sacramentum, ſufficere, quod determinet ſignū, & alias infallibilitèr ponatur gratia, aut ſignatum Sacramenti, quamvis non ponatur ab illo, met, qui determinat ſignum. AA. ergo vtriuſque ſententiæ ſolùm nomine differunt, diſsidentes de intelligentia, aut ſignificato huius vocis, *inſtituere Sacramenta*. Igitur omnes præfati DD. debent conſpirare in defendēdo noſtram cōcluſionem, etſi nomine diſcrepent.

15 Sed contra illam obijcies Scotum dicentem *in 4. diſt. 1. q. 3. §. De ſecundo verſ. Nec congruit, quod Deus committat inferiori ſe inſtituere Sacramētum, in quantum certum ſignum*: ergo Chriſto Domino quatenus homo eſt, minùs congruè concedimus hanc poteſtatem. Reſpondetur negando conſequentiam: quia Scotus ſolùm loquitur in caſu, quo committendo poteſtatem determinandi ſignum, ipſe non ſe obligaret ad ponendum ſignatum: ſtante autem pacto, quo ſeeus ſe obliget ad ponendum gratiam, aut ſignatum, ceſſat inconveniēs Scoti: vt notat Cavellus ibi in margine. ¶ Pro quo nota, verbis præfatis, immediatè ſubdidiſſe Scotum pro cauſa verba illa, *ne Deus eſſet approbator ſigni falſi, vel æquivoci*; vtique ſi poſtquam Deus commiſerat creaturæ poteſtatem aſsignandi, aut determinandi Sacramentum, ſeu ſignum, ipſe non produceret gratiā ad poſitionem illius ſigni. Hoc autem evenire eſſet poſsibile, ſi Deus non ſe adſtringeret ſuo pacto, aut promiſsione ad producendum gratiam in præſentia illius ſigni. Suppoſito autem iſto pacto, hoc evenire repugnat. Sicut repugnat, Deum non ſtare promiſsis. ¶ Alij autem exiſtimant, hanc Scoti obiectionem aptiùs ſalvari alio modo, qui patebit inferiùs.

16 Obijcies ſecundò, poteſtas aſsignandi, ſeu determinandi ſigna, ad quorum poſitionem Deus teneatur producere gratiam, nō poteſt committi: ergo Chriſto Domino, non fuit commiſſa. Antecedens probatur: ſi enim poſſet committi, teneretur Deus aliquan-

quando approbare ſignum falſum: ergo nequit committi. Sequela declaratur: demus, creaturam inſtituiſſe oſculum manus, quod eſt ſignum amicitiæ, pro Sacramento, & aliàs reſpueret amicitiam; tunc teneretur Deus approbare tale ſignum conferendo gratiā ad poſitionem illius: quod tamen ſignum erat tunc falſum. Reſpondetur negando primum, & ſecundum antecedens: ad probationem autem, aut declarationem dico, oſculum illud habere tunc duo ſignata, nempè amicitiam, & gratiam conferendam. Igitur acceptaretur à Deo, non in quantum ſignum amicitiæ, ſed in quantum ſignum gratiæ conferendæ ad poſitionem illius. In quo nulla eſſet in congruentia. Sicuti neque in hoc, quod de facto Deus creet gratiam ad præſentiā Sacramenti aliquando peccaminosè facti à malo miniſtro.

Dubium VIII.

17 PEtes octavò, (incidenter) an poteſtas inſtituēdi Sacramenta poſsit communicari puræ creaturæ? Reſpond. quòd ex nuper dictis ferè eſt ſolutum præſens dubium. Quare breviter dico primò: repugnat communicari puræ creaturæ poteſtatem inſtituendi Sacramenta, quantum ad ſuum ſignatum, id eſt, repugnat communicari creaturæ poſſe phyſicè producere gratiam: vt probavimus *num.* 7. *&* 9. ¶ Dico ſecundò, communicari poteſt puræ creaturæ poteſtas aſsignandi, ſeu determināndi ſigna, ad quorum poſitionem Deus teneatur ex ſuo pacto, ſeu promiſsione producere gratiam, aut ſignatum Sacramenti. Quia in hoc non apparet aliqua repugnantia: vt loquendo de Chriſto Domino probavimus *à num.* 12. ¶ Dico tertiò: poteſt committi puræ creaturæ eſſe cauſam meritoriā gratiæ vi Sacramentorum collatæ. Quia in hoc non apparet aliqua repugnantia: vt loquēdo de Chriſto D. probavimus *à n.* 8.

18 Sed oppoſitum huius tertiæ concluſionis defendunt Coninch *q.* 64. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 14. *& G. Hurt. diſp.* 4. *diff.* 1. & obijciunt: repugnat, creaturam habere meritum infinitum: ſed eſt neceſſarium habere meritum infinitum ad cauſandum moraliter, ſeu meritorie de condigno gratiam vi Sacramentorum collatam: ergo purá creatura illam cauſare non poteſt: & conſequēter neque hoc illi committi. Reſpondetur negādo minorē, quam adverſarij non probant, neque probare poſſunt: ſi enim tota collectio gratiæ vi Sacramentorum collatæ, & conferendæ non eſt infinita; cur ad illam merendum de condigno requiritur meritum infinitum. Immo Scotiſtæ cōmuniùs affirmant, meritum Chriſti Domini adhuc cum reſpectu ad perſonam Verbi non eſſe infinitum. Quibus non parum videtur

favere Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. §. De ſecundò verſ. Item paſsio.* Et quamvis ab hoc abſtineamus: quoniam nos oppoſitum defendimus *in tract. de Incarnat. cap. 9. diff. 2. à n. 23.* tamen non ideò ponimus meritum Chriſti Domini valoris infiniti, quia exiſtimemus, id eſſe neceſſarium, vt fuerit aut Redemptor hominum, aut Sacramentorũ author; ſed quia ex perſona Verbi in opera Chriſti D. derivabatur infinitus valor: qui valor derivaretur, etiam, ſi Chriſtus D. non fuiſſet aut hominum Redemptor, aut Sacramentorũ inſtitutor.

19 Adde, fortè poſſe negari maiorem, defendendo, quod pactum, ſeu promiſsio antecedens tribuit valorem operibus. Quod apud multos eſt probabile; & Scoto conforme *in 1. diſt. 17 q. 3. §. & verſ. De ſecundo articulo*: vbi docet, quòd de potentia abſoluta potuiſſet Deus acceptare actum merè naturalem, vt meritorium vitæ æternæ. Igitur ſecũdùm hanc doctrinam fortè poterit acceptari actus puræ creaturæ, vt meritorius infiniti præmij; ſicut poteſt acceptari actus merè naturalis, vt meritorius præmij ſupernaturalis. Hùc etiam poteſt trahi Scotus *in 3. diſtinct. 19. §. Quantum ad ſufficientiam verſ. Quantum ergo*, quatenùs affirmat, meritum Chriſti Domini tantum valuiſſe, ſeu tantum potuiſſe acceptari paſsivè, quantum tota Trinitas potuit, & voluit acceptare activè. Ad rem ergo: ſi igitur voluiſſet Deus acceptare bonum actum ſupernaturalem puræ creaturæ, vt infinitè meritorium; fuiſſet talis actus infinitus in ratione meriti.

DVBIVM IX.

20 PEtes nonò, (etiam incidenter) an creatura, cui commiſiſſet Deus aſsignare ſigna ſenſibilia, ad quorum poſitionẽ Deus infallibiliter conferret gratiam, ſeu ſignatum, diceretur propriè inſtituere Sacramenta? (Quæſtio quidem de nomine, vt *num. 13.* notabamus.) Reſpondetur affirmativè. Quia, vt quis propriè dicatur inſtituere Sacramẽta, ſufficit inſtituere ſignum efficaciter ſignificans gratiam, aut effectum gratuitum ex opere operato. Quod autem effectus Sacramenti ſeu eius ſignatum phyſicè cauſetur ab ipſomet, qui determinat ſignum, hoc eſt de per accidens, dummodo ſignum efficaciter ſignificet gratiam.

¶ Confirmatur a ſimili de ſigno ſpeculativo; ramus enim pendens ante tabernam eſt ſignum inſtitutum ad ſignandum vinum vendibile: & contingit ſæpè, vinum non poni ab illo, qui ramum ad hoc aſsignavit: ergo ſicut ſalvatur ratio ſigni ſpeculativi in hoc, quòd conformatur ramus cum vino vendibili; & ad hoc eſt quid accidẽtale, quòd ponatur ab hoc, vel ab illo: ita ſalvatur ratio ſigni pra-

practici in hoc, quòd ponendum ſit ſignatum, ſivè ab hoc, ſivè ab illo ponatur. ¶ Confirmatur ſecundò à ſimili de iudice delegato, qui proprie dicitur punire; quamvis aliàs eius authoritas ſit commiſſa a ſuperiore, & quamvis alius (nempè miniſter) poſiturus ſit phyſicè punitionem delinquentis. Ita *Suarez, & alij num. 12. citati.*

21 Sed Vazquez, & alij ibidē citati oppoſitum defendunt. Citatur etiam Scotus pro hac ſententia. Tamen in hac quæſtione de nomine Scotus nihil determinat, aut diſputat; ſed in loco *n.* 12. citato Scotus totus eſt in probādo, non poſſe committi creaturæ inſtitutio Sacramenti taliter, vt ipſa, tamquam cauſa phyſica principalis, producat gratiam, aut ſignatum Sacramenti. Cum quo benè ſtat, quòd propriè dicatur inſtituere Sacramenta ille, qui ex commiſsione Dei aſsignat, ſeu determinat ſigna ſenſibilia, ad quorum poſitionem Deus ſe obligaverat ſua promiſsione, ſeu ſtatuerat, ſe poſiturum gratiam, aut ſignatum Sacramenti, ſeu illius ſigni. ¶ Sed contra concluſionē obijcies: aſsignatio ſigni ſenſibilis facta à creatura ſupponeret decretum Dei de inſtitutione Sacramenti: ergo Deus potiùs quàm creatura illa diceretur inſtituere Sacramenta. Reſp. negando antecedens: quia quamvis ſit neceſſarium, quòd præcedat in Deo decretum, quo decernat phyſicè producere gratiā, ſeu ponere ſignatum talis ſigni. Non tamē requiritur, quòd præcedat aliud ſpeciale decretum, quo determinet Deus dare efficaciam ſigno, quod creatura eſſet tunc deſignatura. ¶ Dices: creatura non poteſt tribuere efficaciā illi ſigno, ſed ſolus Deus, qui ponit ſignatum: ergo Deus, & non creatura dicitur inſtituere Sacramenta. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: virtute propria, concedo: commiſſa, ſeu delegata, nego: & ideo negatur conſequentia.

22 Obijcies ſecundò, Sacramentū non ſolū eſſe ſignū, ſed etiam neceſſario connotat gratiā, ita vt quaſi completivum Sacramenti ſit ipſa gratia: ſed ſi creaturæ ſolùm committeretur aſsignatio ſigni, & Deus poneret gratiam, aut ſignatum: cur ergo creatura potius quàm Deus diceretur inſtituere Sacramenta? Reſpondetur, hanc obiectionem potiùs eſſe pro nobis: quamvis enim gratia, aut effectus gratuitus ſit ſignatum Sacramenti; eſt tamen ei quid extrinſecum, (ſicut quilibet effectus eſt quid extrinſecum ſuæ cauſæ materialiter acceptæ) & ideò etiam eſt quid extrinſecum inſtitutori Sacramenti, quod ipſemet producat phyſicè gratiam. Et ſicut eſt quid extrinſecum, & accidentale illi, qui adminiſtrat Sacramentum (vt dicatur propriè adminiſtrare) quòd producat, vel non producat

cat gratiam: (vt patet, quando datur Sacramentum informe) ita vt quis dicatur propriè inſtituere Sacramentum, eſt extrinſecum, & accidentale, quòd ipſemet producat, vel non producat phyſicè gratiam, aut effectũ gratuitum, qui eſt effectus, aut ſignatum Sacramenti.

23 Ex dictis de creatura, cui commiſiſset Deus aſsignare ſigna, conſtat, Chriſtum Dominum, quatenus homo eſt propriè fuiſſe inſtitutorem Sacramentorum. Quamvis enim ipſe non produxerit phyſicè gratiam, aut effectum gratuitum; tamen deſignavit ſigna ſenſibilia efficacia poſitionis gratiæ, aut effectus gratuiti, ad quorum poſitionem Deus ex ſuo pacto tenetur, ponere gratiam, aut effectum gratuitum.

¶ Adde, meritoriè, ſeu moraliter cauſare gratiam vi Sacramẽtorum collatam; vt diximus *n.8.*

Dubium X.

24 Petes decimò, à quo fuerint inſtituta Sacramenta veteris legis? Reſpondetur, à ſolo Deo immediatè. Quia ex nullo firmo fundamento ſuaderi poteſt, Deum alicui delegaſſe authoritatem inſtituendi Sacramẽta antiquæ legis. (ſub qua comprehendo tàm legem naturalem, quàm Moyſaicam, ſeu ſcriptam: quas explicui *cap.1.num.56.*) Ita Coninch. *quæſt.64. art.4. dub.2. n.17.* & *G. Hurt. diſp. 4. diff.2.*

25 Sed obijcies primò, quòd *lex per Moyſen data eſt, Ioan. 1. n. 17.* ergo Sacramẽtũ circumciſionis fuit à Moyſe inſtitutum. Reſpondetur negando conſequentiam. Moyſes enim non fuit legiſlator, ſed promulgator illius legis: & conſequenter non fuit inſtitutor circumciſionis. Itaque Deus immediatè per ſe ipſum condidit legem ſcriptam; & quot quot Sacramenta fuerunt tàm in ea, quàm in lege naturæ ipſemet immediatè inſtituit. Angelus autem, qui Moyſi legem explicuit, & Moyſes, qui illam populo declaravit; atque Abraham, qui circumciſionem accepit, tantùm fuerunt promulgatores legum, & Sacramentorum: vt docet Scotus *in 4. diſt. 1. q. 3 in fine.*

¶ Obijcies ſecundò, antiqua Sacramenta fuerunt immediatè inſtituta à Deo? Ergo ſunt melioris conditionis, quàm nova. Patet: quia iſta non ſunt inſtituta immediatè à Deo, ſed à Chriſto D. quatenus homo eſt, ſaltèm quoàd deſignationem ſignorum ſenſibilium: vt conſtat *ex num. 7.* & *12.* Reſpõdetur negando cõſequentiam. Ad probationẽ dico, eſſe valde accidentarium ad maiorem, vel minorem perfectionem Sacramenti, (ad quam ſolùm ſpectat, quòd ſit cauſativũ, moraliter, vberioris gratiæ) quòd immediatè inſtituatur à Deo, vel ab alio. Quod patet in Sacramẽtis legis gratiæ; inter quæ (non obſtante, quòd omnia, & ſingula

fuerint

fuerint inſtituta immediatè à Chriſto D.) eſt diverſitas in perfectione penes diverſitatem gratiæ, quam continent, & cauſant. ¶ Obijcies tertiò, quòd Scotus *in 4. d. 26. §. Ad ſolutionem à verſ. Sed hic eſt dubiũ* docet, quòd De⁹ commiſit impoſitioni humanæ determinare ſignum ſufficiens ad Sacramentum matrimonij. Præcipuè legatur *verſ. Si autem.* Et ferè eodem modo philoſophatur de miniſtro matrimonij ibi *verſ. De miniſtro.* Reſpond. ſolùm problematicè loqui: vt conſtat ex contextu. ¶ Obijcies 4. quòd in lege naturæ homines, ſicut nulla lege externa gubernabantur à Deo; ſed tantùm eius inſtinctu, & inſpiratione: ita fortè nullus fuit à Deo præſcriptus ritus, nullaque res; ſed vnuſquiſque, prout Deus inſpirabat, vtebatur Sacramentis: vt notat G. Hurt. *diſp. 1. diff. 13.* & innuit Scotus *in 4. d. 1. quæſt. 7. §. & verſ. Ad primum argumentum* verbis illis: *Fortè autem iſta proteſtatio fiebat in verbo aliquo invocandi Deum, vel offerendi parvulum Deo*: ergo vnicuique illius legis fuit commiſsũ inſtituere Sacramentum, ſeu deſignare ſignum, ad cuius poſitionem Deus conferret gratiã. Reſpondetur (admiſſo antecedenti dubio) diſtinguendo conſequens: eſt enim falſum de commiſsione inſtituendi, ſeu determinandi ſignum pro tota communitate: (de quo tantũ procedit noſtra concluſio) verum autem, aut omittendum de ſigno deſervienti cuicumque in particulari.

De cauſa miniſteriali Sacramẽtorũ.

Dubium XI.

26 Petes vndecimò, an miniſtri Sacramenrorum ſint cauſa gratiæ per ipſa Sacramenta collatæ? Reſpondetur affirmativè. Quia conficiunt Sacramenta, quæ cauſant gratiam: ergo & ipſi ſunt cauſa gratiæ. Patet ex communi modo loquendi: non enim ſolùm dicimus, calorem calefacere; ſed etiam ſolem, aut ignem, à quo producitur calor. Quòd autem miniſtri Sacramentorum habeant poteſtatem, ſeu virtutem conficiendi Sacramenta, conſtat ex facto; necnon & ex Trident. *ſeſſ. 14. cap. 1 & 6.* definienti, Sacerdotibus datã fuiſſe à Chriſto D. *Ioan. 20.* poteſtatem abſolvendi, & detinendi peccata. ¶ Nota, poteſtatẽ conficiẽdi Sacramenta, ſeu illa adminiſtrandi primariò convenire Chriſti D. humanitati, tamquam inſtrumento coniuncto Deitatis: eamque ipſemet Chriſtus D. aliquando exercuit: vt patet in nocte cœnæ, vbi & diſcipulos in Sacerdotes ordinavit; atque Euchariſtiæ Auguſtiſſimum inſtituit Sacramentum. Prædictam autem poteſtatẽ conficiendi, & miniſtrandi Sacramẽta hominibus communicavit Chriſtus Dominus, vt conſtat ex ipſo facto.

Dubium XII.

27 Petes 12. an miniſter proprie, aut proximè ſit cauſa gratiæ vi Sacramenti collatæ? Reſpondetur affirmativè. Quia illud, quod in virtute continet aliud, propriè dicitur cauſare illud. ſed miniſtri habent virtutem conficiendi Sacramenta, & medijs illis gratiam: ergo propriè dicuntur illam cauſare. Maiorem probant inſtantiæ ſolis, & ignis, (& innumeræ aliæ) qui propriè dicuntur calefacere; eo quod continent, & producunt calorem, à quo fit calefactio. Minor eſt certa ex ipſo facto; atque ex Tridēt. *num.* 26. relato. Conſequentia demùm eſt legitima. Ita Vazq. *diſp.* 85. *cap.* 3. *à num.* 28.

28 Sed Palud. *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *& Capreolus ibidem art.* 3. exiſtimant, miniſtrum remotè tātùm, & ſicut, qui applicat cauſam effectricem, cauſare gratiam Sacramentalem. Et obijciunt: qui applicat ignem ad comburendum dicitur comburere: ergo, quamvis miniſter tantùm applicet Sacramenta, dicetur cauſare gratiā. Reſpondetur minùs proprie dici cauſare, qui cauſam ſolùm applicat: quia ſtrictè loquendo cauſa debet in virtute continere effectum. Cùm ergo Sacerdotes habeant poteſtatē abſolvendi (idem eſt de miniſtris aliorum Sacramentorum) media gratia; propriè, & non ſolùm tanquam, qui applicat, debent dici cauſarē gratiam.

29 Obijcies ſecundò, Sacerdos conſecrans ſolùm remotè concurrit ad producendum gratiam; proximè autē ſolùm concurrit ad conſecrationem: ergo ſimiliter in alijs Sacramentis miniſter ſolùm remotè concurrit ad producendum gratiam, ſcilicet quatenus conficit Sacramentū, quod poſteà independenter ab actione miniſtri producit gratiā. Reſpond. negando conſequentiam: cùm enim Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtat in vſu, ſed habeat eſſe permanens, poteſt cauſare poſtea gratiam independenter ab actione miniſtri: & cōſequenter miniſter ſolùm remotè concurrit ad productionem gratiæ Reliqua autem Sacramēta conſiſtunt in vſu id eſt, ſolùm durant quandiù durat eorum confectio: & ideo non poſſunt cauſare gratiam independenter ab actione miniſtri: & conſequenter miniſter non minus propriè, ſeu proximè, quàm Sacramentum, & in eodem genere dicitur cauſare gratiam. ¶ Dices: ergo ad cauſandum gratiam Sacramētalem concurrunt duo inſtrumenta, nempè miniſter, & Sacramentum. Reſpondetur negando: quia ſicut ex ſerra v. g. & motu illius integratur vnicum inſtrumentum ſciſsionis: ita ex miniſtro, & Sacramento vnum conficitur inſtrumentum; ita vt Sacramentū ſit actio prævia ipſius miniſtri; ratione

tione cuius miniſter ſe habet inſtar phyſici, & naturalis inſtrumēti; & per quam ipſe miniſter impetrat â Deo effectum: vt benè notat Vazquez *ibi num.* 36. Vnde conſtat, quòd ſicut Sacramentum eſt cauſa non phyſica, ſed moralis productionis gratiæ, ita & miniſter: iſte enim in gratiam non habet alium ſpecialem influxum, quàm efficere Sacramentum.

30 Obijcies tertiò, D. Auguſtinum *lib.* 4. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 22. dicentem, quòd miniſter exhibet quidem Sacramentum, Deus autem operatur effectum illius: ergo ſentit, miniſtrum nullam actionem habere reſpectu gratiæ, ſed ſolū applicare Sacramentum, quod eſt cauſa effectrix illius. Idem docet *lib.* 3. *contra litteras Petiliani cap.* 54. Reſpondetur cum Vazquez ibi *num.* 30. ſolùm docere, miniſtrum ſua actione phyſica non attingere ad productionem gratiæ: attingit tamen moraliter, nempè movendo Deum media effectione Sacramenti, vt producat gratiam. Adde, quod, ſi verbis Auguſtini eſſet inhærendum, dicendum foret, neque ipſum Sacramentum proprie, & proximè cauſare gratiam. Sic enim loquitur in priori loco: *Nemo debet contemnere Sacramentum,* expende, potiùs de Sacramento ipſo, quàm de miniſtro loqui) *quod miniſtrorum opere corporaliter exhibetur; ſed per hoc Deus hominis conſervationem ſpiritualiter operatur.*

Dubium XIII.

31 Petes decimotertiò, quot fuerint errores circa Sacramentorum miniſtros? Reſpondetur, varios extitiſſe. Nam ante annos 1300. ab his temporibus in Africa, & Aſia cœpit error affirmans, non eſſe valida Sacramenta, quæ ab hæreticis, & ſchiſmatibus dabantur poſt illorum ſeparationem ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ. Et D. Auguſtinus *lib.* 2. *de Baptiſmo cap.* 7. iudicat, authorem huius erroris fuiſſe Agrippinum Epiſcopū Carthaginenſem D. Cypriani prædeceſſorem: quem ſecutus eſt ipſemet Cyprianus cum multis Epiſcopis Africæ; ſed non pertinaciter. (vt faciunt hæretici) Agrippinus enim, & Cyprianus non viderunt vllam abſolutam definitionem Eccleſiæ, teſte Auguſtino *ibi cap.* 9. Immò ipſemet Auguſtinus *epiſt.* 48. *ad Vincentium* teſtatur, non deeſſe, qui affirment, ipſum Cyprianum poſteà revocaſſe ſententiam. Sicut D. Hieronymus dialago contra Luciferianos ſcribit, cœteros Epiſcopos, qui cum Cypriano eumdem errorem definierant, revocaſſe ſententiam permotos auctoritate Romani Pontificis tunc Stephani. ¶ Eumdem errorem paulò poſt ſecuti ſunt Donatiſtæ etiam poſt definitionem Eccleſiæ

in Concilio Generali. Immò & eum errorem auxerunt. Quod conſtabit ex triplici diſcrimine reperto inter Agrippinu, & Cyprianum ex vna parte, & Donatiſtas ex alia. Illi enim non habebant pro hæreticis, qui contrarium dicebant. Vnde quamvis rebaptizabant baptizatos ab hæreticis, non rebaptizabant baptizatos à Catholicis ſibi in hac parte contrarijs. Donatiſtæ autem rebaptizabant etiam Catholicos, quos hæreticos putabant. ¶ Secundo Donatiſtæ errorem defendebant, etiam poſt Eccleſiæ definitionem; (quod proprium eſt hæreticorum) ſecus autem Agrippinus & Cyprianus. ¶ Tertiò Agrippinus, & Cyprianus tantùm improbabant Sacramenta tradita ab hæreticis, & ſchiſmaticis, id eſt, ab illis, qui eſſent extra Eccleſiam; non autem tradita à malis miniſtris intra ipſam Eccleſiam. Donatiſtarum autem quidam omnes peccatores manifeſtos excludebant à Sacramentorum adminiſtratione. Alij autem omnes homines malos, etiam occultos.

32 Poſt Donatiſtas eumdem errorem ex parte docuerunt Luciferiani, qui admittebant baptiſmum collatum ab hæreticis, non autem ordinationem: quamvis Hilarius quidam Diaconus, nec baptiſma admittebat.

¶ Fuerunt deinde tempore Sancti Bernardi alij, qui dicebantur Apoſtolici, qui negabant, homines malos poſſe efficaciter Sacramenta miniſtrare: vt ipſe teſtatur *ſerm. 66. in Cantica.* Quod poſtea docuerunt Albigenſes.

¶ Inter vtroſque autem extiterunt VValdenſes, qui bonis laicis concedebant miniſteria Sacramentorum; atque illa eadem malis Sacerdotibus detrahebant. Quod idem omnino eſt cum eo, quod initio Lutherus dicebat, ſcilicet, eos omnes, & ſolos eſſe Sacerdotes, qui habent ſpiritum Chriſti Domini. ¶ Poſt quos omnes fuit Ioannes VVicleff, qui non ſolùm peccatores, ſive occultos, ſive manifeſtos, ſed etiam bonos in præſenti, ſed malos aliquando futuros, id eſt, præſcitos negat, Sacramenta poſſe conferre. Quos omnes errores erudite ſanè ex diverſis Patribus, & Authoribus colligit Robertus Bellarminus *tom. 2. lib. 1. de Sacramentis in genere capit.* 26. vbi etiam congerit diverſos Romanos Pontifices, concilia, & Patres, à quibus errores iſti fuerunt repulſi, & condemnati.

33 Lutherus ex alio extremo aſſerit, non ſolum homines, ſed etiam dæmones eſſe miniſtros omnium Sacramentorum; (nempè baptiſmi, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: hæc enim tria tantùm ipſe admittebat) reprehenditque Catholicos; eo quod dicant, neque Angelos, neque B. Virginem poſſe eſſe Sacramentorum miniſtros;

ſtros. Addit tamen; omnes, & ſolos homines baptizatos poſſe eſſe miniſtros; tametſi ad vitandum confuſionem non oporteat, vt omnes hac vtantur poteſtate, niſi in tribus caſibus. Primò in loco priuato, vt domi. Secundò, quando nullus alius adeſt, & vrget neceſsitas. Tertiò, quando alius, qui adeſt, non tam benè miniſtrare poteſt. Ita *in libro de Miſſa privata abrogandæ.* Et *in libro de Captivitate Babylonica cap. de Ordine* dicit, omnes Chriſtianos æqualiter Sacerdotes eſſe, hoc eſt, eamdem in Verbo, & Sacramento (vt ipſe loquitur) poteſtatem habere; nemini tamen licere ea vti, niſi conſenſu communitatis, vel vocatione maioris. ¶ Calvinus autem non ſolùm ſentit, dæmones, aut fœminas non poſſe Sacramenta miniſtrare; ſed addit, hanc poteſtatem ſolùm habere eos, qui legitimè vocati ſunt, itavt neque in neceſsitate permiſſum ſit laicis, aut fœminis baptizare. Sic hos duos extremos errores refert Vazquez *diſput. 138. cap. 1.*

Dvbivm XIIII.

34 PEtes decimoquartò: quid contra prædictos errores ſit tenendum? Reſpondetur, id aliquibus concluſionibus decalrari. Quare dico primò: loquendo de lege ordinaria miniſter Sacramentorum debet eſſe homo, (ſive vir, ſivè fœmina) itavt Angelus non poſsit eſſe miniſter. Quia aſsignatio miniſtrorum pendet ex inſtitutione divina: Sicut aſsignatio materiæ, & formæ Sacramentorum. Sed ex diverſis Scripturæ locis conſtat, homines ſolùm fuiſſe aſsignatos in miniſtros, taliter vt nullibi fuerit aſsignatus Angelus: ergo ſolus homo eſt miniſter de lege ordinata. Minor cōſtat, præcipuè ex illo *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* vbi aſsignantur miniſtri baptiſmi. Et *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem*: vbi aſsignantur miniſtri Euchariſtiæ. Et *Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, &c.* vbi aſsignantur miniſtri pœnitentiæ. Et *Iacobi 5. Vocet Preſbyteros Eccleſiæ*: vbi fit mentio de miniſtro extremævnctionis. Et *Actorum 8.* Apoſtoli mittuntur ad confirmandum eos, qui in Samaria fuerant ad fidem converſi. Et ad *Hebræos 5.* dicitur de Sacerdote, quod oportet, *vt ſit ex hominibus aſſumptus.* Et demùm cùm in Sacramento matrimonij non ſit alius miniſter præter contrahentes, conſtat, virum, & fœminam debere eſſe miniſtros.

35 Imò huius inſtitutionis diverſas rationes congruentiæ aſsignant communiter. Nobis autem ſufficiant, quas addu-

 cit

cit Scotus *in 4. diſtinct.6. quæſt. 1. §. Reſpondeo verſic. Generaliter*: vbi ſic ad rem iſtam loquitur. *Congruum eſt, ab homine viatore conferri baptiſmum*, (idem propter eamdem rationem eſt de alijs Sacramentis) *& non ab Angelo aliquo. Tùm, quia Chriſtus Dominus, qui inſtituit, homo fuit. Tùm, quia in Sacramento eſt aliquid ſenſibile, & aliquid ſpirituale: & per conſequens magis congruit miniſtro, & vtenti ſenſu, & intellectu, quàm purè ſpirituali.* ¶ Meritò autem dixit Scotus *ab homine viatore* adminiſtranda eſſe Sacramenta. Notant enim communiter, ſolùm homines viatores; non autem Beatos, aut damnatos eſſe Sacramentorum miniſtros. Quia neque ex Scriptura, neque ex Eccleſiæ traditione, neque ex aliqua firma ratione poteſt probari, homines Beatos, aut damnatos habere expeditam facultatem miniſtrandi Sacramenta.

36 Sed contra concluſionem obijcies illud Geneſ.6. *numero 2. Videntes Filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Sed per ly *filij Dei* intelliguntur Angeli, ſeu dæmones: ergo iſti de facto ſunt miniſtri ſaltem Sacramenti matrimonij. Reſpondetur negando minorem: quia quamvis per ly *filij Dei* nonnulli intelligant Angelos in illo loco: tamen communiſsimè intelliguntur filij Seth: qui vocati ſunt filij Dei, eoquòd eſſent viri iuſti, & religioſi; vt ex Auguſtino, Theodoreto, & alijs notant Gloſſa Ordinaria, Interlinialis, & Lyra. Recolantur, quæ diximus *in tract. de Angelis cap.2. diffic. 1. num. 4.* ¶ Reſpondetur ſecundò, negando conſequentiam, aut ſuppoſitum conſequentis, nempè contractum matrimonialem fuiſſe Sacramentum ante adventum Chriſti Domini; Itaque dato, ibi nomine filiorum Dei intelligi Angelos, qui ſumpſerunt corpora aërea: necnon & dato, hos cum mulieribus verum contractum matrimonialem pepigiſſe; non ſequitur, illos, aut illas fuiſſe miniſtros alicuius Sacramenti. Tunc enim contractus matrimonialis non erat elevatus ad eſſe Sacramenti.

37 Obijcies ſecundò D. Auguſtinum *lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani cap. 15.* ſic loquentem: *Nemo ergo accipit ſine dante: ſed, quod attinet ad baptiſmi ſanctitatem, adeſt Deus, qui det, & homo, qui accipiat, ſive per ſe ipſum dante Deo, ſive per Angelos*: ergo Angeli aliquando conferunt baptiſmum. Reſpondetur negando conſequentiam: non enim loquitur de miniſtro baptiſmi; ſed de ſanctificatione, quam in illo Sacramento accipit homo; & ad quam aliquando per ſe ipſum diſponitur

ex

ex gratia, aut dono Dei: aliquando autem per Angelos, qui apparentes hominibus eis perſuaſerũt receptionem baptiſmi: vt conſtat ex diverſis hiſtorijs; & ſicut contigit Conſtantino Magno, cui apparentes Apoſtoli Petrus, & Paulus receptionem baptiſmi perſuaſerunt. Niſi per ly *per Angelos* velis intelligere Sacerdotes, aut Epiſcopos, iuxta illud *Apocalip.* 1. *n.* 2. *Septem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*: & c. 2. *n.* 1. *Angelo Eccleſiæ Epheſi ſcribe.* Quod ſæpe repetitur in illo, & ſequenti capite ſumendo Angelum pro Sacerdote, Prælato, aut Epiſcopo. Et tunc ſenſus Auguſtini erit, Deum hominem accedentem ad baptiſmum, vt recipiat eius ſanctitatem, aliquando diſponere per ſe ipſum, ſeu per internam inſpirationem; aliquando autem per Angelos, id eſt, per Sacerdotes, aut Epiſcopos, quorum verbo, ſuaſione, aut prædicatione homo ſe diſponit ad recipiendum ſanctificationem vi baptiſmi collatam. ¶ Et demum, ſi proterviatur, Auguſtinum loqui de miniſtro baptiſmi, quem dicit, aliquando eſſe Angelum, reſpondetur cum Vazquez *diſput.* 138. *cap.* 1. *num.* 7 intelligendum eſſe, non de lege ordinaria, ſed de extraordinaria, ſeu de potentia abſoluta.

38 Dico ſecundò: de potentia abſoluta miniſter Sacramentorum poteſt eſſe Angelus bonus, aut malus. Quia non apparet, vnde hoc repugnat. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. §. *Reſpondeo*, *D. Thom.* & *communiſsima ſententia.* ¶ Vnde ſequitur, (& notat Scotus *ibi verſ. Cùm ergo*) quòd ſi quis baptizatus fuiſſet ab Angelo bono, non eſſet rebaptizandus. Et ſubdit Scotus pro inſtantia: *Sicut Michael prohibuit Epiſcopo dedicare Eccleſiam ſuam in monte Gargano aſſerens, à ſe dedicatam fuiſſe.* Et verſ. immediato addit, quòd *ſi etiam malus Angelus in corpore aſſumpto baptizaret, & conſtat, quod ex præcepto Dei, talis habendus eſſet pro baptizato.*

39 His quaſi generaliter dictis de Sacramentorum miniſtris, ad particularia deſcendendo reſtant nonnulla per ſequẽtia dubia examinanda.

Dubium XV.

40 Peteres decimoquintò, quis ſit miniſter Sacramenti baptiſmi? Reſpondetur certum eſſe apud Catholicos, ad validè miniſtrandum Sacramẽtum baptiſmi, ſufficientem miniſtrum eſſe quemlibet hominem, vivum, vel fœminam, baptizatum, vel non baptizatum. Ita definit Eugenius IIII. in Concilio Florentino dicens: *In caſu autem neceſsitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus ſed etiam Laicus vel mulier: immo etiam paganus, & hæreticus baptizare poteſt.* Et ſæpe alibi apud concilia, & PP. vt notant com-

communiter *in tract. de Baptiſmo.* Et ratio à priori eſt voluntas Chriſti Domini ſic inſtituentis: vt conſtat ex determinatione Eccleſiæ. Ratio verò congruẽtiæ eſt, quod ſicut pijſsimus Deus pro materia huius Sacramenti elegit aquam naturalem, aut elementalem: quia nihil in natura eſt communius: ita poteſtatem baptizandi omnibus hominibus viatoribus conceſsit; ne aliter diſponendo quis fraudaretur aliquando à receptione huius ſalubérrimi Sacramenti (quod eſt ad ſalutem neceſſarium) propter inopiam materiæ, vel miniſtri.

41 Quando autem PP. & concilia ab hoc miniſterio baptizandi aliquas perſonas excludunt, non loquuntur in caſu neceſsitatis: extra quam excluduntur mulieres ob indecentiam. Et ob prudentem dubitationem de recta intentione excluduntur Iudæi, & hæretici. Immò, ſecluſa quacumque dubitatione, vult Eccleſia, vt rectus ſervetur ordo in hoc miniſterio. Et ideo determinat, quòd laicus non conferat baptiſma in præſentia Sacerdotis; nec fœmina in præſentia viri; nec bigamus in præſentia non bigami. Hæ tamen Eccleſiæ diſpoſitiones non tollunt, ipſos valide baptizare: neque id tollere poſſunt: cùm ex voluntate Chriſti Domini inſtituentis hoc Sacramẽtum, habeant omnes prædicti eſſe miniſtri. Quod ab Eccleſia mutari non poteſt ¶ Dices: ſolis Sacerdotibus data eſt poteſtas remittendi peccata per pœnitentiam: ergo illis ſolis competit remittere originale per baptiſmum. Reſpondetur negando conſequentiam propter diverſas horum Sacramentorum inſtitutiones Eccleſiæ praxi declaratas. ¶ Dices ſecundo, ſolis diſcipulis commiſit Chriſtus Dominus miniſterium baptizandi: ergo ſoli eorum ſucceſſores poſſunt baptizare, aut ſunt miniſtri baptiſmi. Antecedens conſtat *ex Matth. 28 à num. 16.* vbi datur hæc poteſtas: & tamen ibi ſolùm legitur eſſe vndecim Apoſtolos. Reſpondetur negando antecedens: ad probationem dico, quòd etſi tunc ſolum legatur ibi fuiſſe vndecim; tamen Eccleſiæ praxis declaravit, hoc miniſterium ex voluntate Chriſti Domini ad quaslibet perſonas eſſe extendendum.

Dubium XVI.

42 PEtes decimoſextò, quis ſit miniſter Sacramenti matrimonij? Reſpondetur, miniſtros eſſe ipſos cõtrahentes Quia ita fert Eccleſiæ praxis. Immò videtur ſic definiri à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformatione*; cùm ſtatuit, clandeſtina matrimonia, fuiſſe vera, & rata, antequam ab Eccleſia irritarentur. Cùm enim in lege gratiæ communiter matrimoniales contractus fuerint ſemper Sacramenta;

ta; & aliàs in matrimonijs clandeſtinis aliquando ſolùm fuerint contrahentes, vel ſaltem ſolùm potuerint eſſe, dum concilium determinat, ea matrimonia fuiſſe valida; duo conſequenter determinat. Primum eſt, ea matrimonia frequenter fuiſſe Sacramenta. Secundum, & magis ad noſtrum intẽtum, eſt, quod ipſimet contrahentes erant miniſtri; quando enim nullus alius aderat, nullus alius poterat eſſe miniſter. Immò quamvis ex præcepto ipſius concilij nunc aſsiſtat proprius Parrochus, qui dicturus eſt, *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, &c.* Tamen ipſe Parrochus non aſsiſtit, vt miniſter, ſed vt teſtis. Quod adeo verum exiſtimat noſter Villalobos 1. *p. ſummæ tract.* 13. *diffic.* 1. *num.* 3. vt dicat, eſſe de fide, Parrochum non eſſe miniſtrum: & probat ex loco concilij, quem nuper expendebamus. Ratio autem à priori prædictæ concluſionis eſt voluntas Chriſti Domini Eccleſiæ praxi declarata. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 26. §. *Ad ſolutionem verſ. De miniſtro.*

43 Dices, Scotum ibi docere, contrahentes non eſſe miniſtros neceſſarios Sacramẽti matrimonij: & quod ſubdit pro ratione: *quia aliquando patres contrahunt pro filijs, vel filiabus præſentibus, eis non exprimentibus ſigna propria.* Reſpondetur, hoc non eſſe contra nos ſemper enim eſt vera noſtra concluſio abſtrahendo ab omni ſententia. ¶ Pro quo nota, ſupponere Scotum dupliciter poſſe philoſophari de matrimonio. Primò, ita vt dicamus, quod quotieſcumque inter baptizatos fit matrimonium, extat hoc Sacramentum. Secundo, ita vt affirmemus, aliquando inter baptizatos dari matrimonialem contractum, quin ſit Sacramentum. In primo modo philoſophandi dicendum eſt, miniſtrum huius Sacramenti non eſſe determinatè iſtum, ſed eſſe aut ipſos contrahentes, aut alios, qui nomine eorum perficiant contractũ matrimonialem exprimentes mutuum conſenſum contrahentiũ. In ſecundo autem modo philoſophandi dicendum eſt, neceſſarium miniſtrum Sacramenti matrimonij eſſe ipſos contrahentes: quorum defectu, quando parentes pro filijs, vel filiabus contrahunt, non fit Sacramentũ, quamvis perficiatur matrimonium in eſſe contractus. Et ideo dixit Scotus, non requiri neceſſario contrahẽtes, tamquam miniſtros huius Sacramenti *ſi in omni contractu eſt Sacramentum.* ¶ Igitur in omni euentu, & abſtrahendo ab omni ſententia, certa eſt noſtra concluſio, quod contrahentes ſunt miniſtri Sacramenti matrimonij, ſive ſint miniſtri determinati, aut omnino neceſſarij, ſive etiam alij poſsint eſſe miniſtri iuxta varietatem præ-

ctarum opinionum. ¶ Dices: Eccleſia non poteſt impedire miniſtrum à ſuo munere, ſi ipſe ponat neceſſaria: ſed annullat matrimonium clandeſtinum: ergo ſignum eſt, contrahentes non eſſe miniſtros. Reſpondetur, contrahentes non inhabilitari ab Eccleſia, quatenus miniſtros Sacramenti, ſed quatenus perſonas, inter quas fiebat ille contractus matrimonialis, ſuper quē fundatur ratio Sacramenti. Recolantur dicta *cap.* 1. *n.* 47.

Dubium XVII.

44 Petes decimoſeptimò, qualiter vterque contrahens poſsit eſſe vnus miniſter Sacramenti? Reſpondet Scotus ibi, philoſophandum eſſe, ſicut de forma huius Sacramenti, de qua in *verſ. Ex hoc patet* præmiſſerat, eſſe vnam *vnitate integritatis, non vnitate indiviſibilitatis: verba enim expreſsiva conſenſus ſunt vnum ſignum integrum & reſpectu contractus, & reſpectu gratiæ.* Sic ergo vterque contrahens dicitur vnus miniſter vnitate integritatis; quatenus ex verbis, aut ſignis ab vtroque poſitis integratur vnum ſignum reſpectu contractus, & reſpectu gratiæ.

45 Nota, non baptizatum non poſſe eſſe miniſtrum Sacramenti matrimonij. Vel quia ſic fortè inſtituit Chriſtus Dominus. Vel ſaltem, quia ad receptionem Sacramenti eſt incapax ille, qui non intravit in Eccleſiam per ianuam, quæ eſt baptiſmus. Quare, cùm contrahentes non ſolum ſint miniſtri matrimonij, ſed etiam ipſum Sacramentum recipiant, debent eſſe baptizati. ¶ Hinc fatentur omnes, omnes infideles contrahentes perficere quidem matrimonium in eſſe contractus; non autem in eſſe Sacramenti.

Dubium XVIII.

46 Petes decimooctavò, qui ſint miniſtri aliorum Sacramentorum? Reſpondetur, nō quemlibet hominem baptizatum, ſed eum ſolum, qui rite ordinatus eſt, habere poteſtatem miniſtrandi reliqua Sacramenta. Sic definit Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 10. his virbis: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes, in verbo, & in omnibus Sacramentis miniſtrandi habere poteſtatem, anathema ſit.* Et quamvis hoc aptiùs conſtet ex ſpecialibus tractatibus Sacramentorum in particulari, breviter tamen ſupponendum eſt ex convenientia Catholicorum, Sacramenti confirmationis miniſtrum ordinarium eſſe ſolum Epiſcopum, ſicuti, & ordinis. Extremæ autem vnctionis, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ miniſter eſt Sacerdos ſolùm.

¶ Di-

¶ Dices: etiam Diaconus eſt miniſter Euchariſtiæ. Reſpondetur hoc eſſe extra rem: Diaconus enim etiam eſt ſpecialiter conſecratus. ¶ Reſpond. ſecundò, nos ſolùm loqui de miniſtro cōficiēte Euchariſtiam; ad quod ſolus Sacerdos habet poteſtatem: non autem loquimur de illo, qui dicitur miniſter; eo quòd alijs diſtribuit Sacramentum Euchariſtiæ confectum per Sacerdotem. Ad hanc enim diſtributionem validè faciendam nulla ſpecialis poteſtas requiritur. ¶ Nota, ad validè miniſtrandum pœnitentiam non ſufficere poteſtatem ordinis Sacerdotalis, ſed etiam requiri iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam.

47 Sed Lutherus exiſtimat, omnes homines baptizatos eſſe miniſtros omnium Sacramentorum, ſeu ad illa adminiſtrāda habere poteſtatem: & obijcit: Sacramenti efficacia non pendet ex qualitate perſonæ miniſtrantis, ſed ex verbo Dei inſtituentis Sacramenta: ergo à quocumque miniſtrentur, habebunt efficaciā. Reſpondet. negando conſequentiam: quia deſtinavit Deus diverſas perſonas pro diverſis Sacramentis: (vt conſtat ex dictis *à n.* 40.) quibus tantùm promiſit, ſe adſtiturum pro Sacramentis conficiendis. ¶ Obijcies ſecundò, quilibet baptizatus habet Spiritum Sanctum. Sed *vbi Spiritus, ibi libertas, 2. ad Chorint. 3.* ergo quilibet baptizatus habet libertatem, ſeu poteſtatem miniſtrandi omnia Sacramenta, & efficiendi omnia officia in Eccleſia reperta. Reſpondetur, maiorem ſolùm eſſe certam de charactere, quem quiſque recipit inamiſsibiliter in baptiſmo; non autem eſt certa, aut neceſſario vera de gratia ſanctificante: vt patet in illo, qui indiſpoſitus recipit baptiſmum; atque in illo, qui poſt baptiſmum dignè ſuſceptum peccavit mortaliter. Ex hoc autē, quòd quis habeat characterem, ſeu receperit in baptiſmo, infertur quidem habere libertatem, ſeu eſſe liberum à iugo legis Moſaycæ; non autem habere poteſtatem miniſtrandi omnia Sacramenta, aut efficiendi omnia officia Eccleſiæ. Ad hoc enim diverſos miniſtros deſtinavit Deus, iuxta illud *ad Epheſ. 4. & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, &c.*

48 Obijcies tertiò, diverſa Scripturæ teſtimonia, quibus Chriſtiani omnes vocantur Sacerdotium, aut Sacerdotes Dei: ergo omnes baptizati habent poteſtatem Sacerdotalem. Antecedens conſtat ex 1. *Petri cap. 2. Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium: & Apoc. 2. Fecit nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotium: & cap. 20. Erunt Sacerdotes Dei, & Chriſtus eius.* Reſpondetur cum Vazq. *diſp.* 138. *cap.* 1. *num.* 13. negando conſequentiam, quia in locis illis Sacerdotium ſumitur in latiori ſignificatione, nempè

pro

pro Sacerdotio ſpirituali, quo Deo offertur Sacrificium ſpirituale, nempè quodcumque opus bonum quod latiori ſignificatione ſacrificium dicitur; ac per conſequens Sacerdotium illi correſpondens eodem modo dicetur. Ad miniſtrandum autem Sacramēta (excepto baptiſmo, & matrimonio) neceſſarium eſt Sacerdotiū propriè dictum. ¶ Quod autem de Sacerdotio ſpirituali loquatur Petrus, (ac proinde cætera teſtimonia eodem modo eſſe intelligenda) probatur ex eo, quod in eodem capite, poſtquam Chriſtianos vocavit *Sacerdotium Sanctum*, hoc eſt Sanctos Sacerdotes, addidit, *offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum*. ¶ Reſpondetur ſecundò, cum præcitato Vazq. quod quamvis de Sacerdotio, & ſacrificio propriè hæc teſtimonia intelligerentur, eſſent explicanda, ſicut illud *Exod.* 19. ex quo verba ſumpſit Petrus: *& vos eritis mihi in regnum Sacerdotale*. Quod dictum eſt, non quia omnes eſſent Sacerdotes; (conſtat enim ex vna tantùm tribu Sacerdotes aſſumi potuiſſe) ſed quia in regno illo eſſet Sacerdotium legitimum à vero Deo conſtitutum. Sic ergo nova Scriptura de regno Chriſti Domini Sacerdotali poſſet intelligi: poſſentque vocari Sacerdotes indifferenter Chriſtiani omnes, non quia omnes legis Chriſti Domini ſint conſecrati in Sacerdotes; ſed quia in lege gratiæ eſt legitimum Chriſti Domini Sacerdotium ab ipſomet Chriſto Domino inſtitutum.

49 Obijcies quartò illud *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed ibi cum omnibus Chriſtianis loquitur: ergo omnes poſſunt conficere Euchariſtiam, &c. Reſpondetur negando minorem: quia ibi ſolùm loquitur cum Apoſtolis & cum illis, qui in officio Sacerdotali eis ſucceſſuri erant. ¶ Reſpondetur ſecundò cum Vazquez *diſput.* 138. *cap.* 1. *num.* 15. concedendo minorem, & negando conſequentiam: quia quamvis verba illa dicta ſint omnibus fidelibus; tamen alitèr, & alitèr iſtis, & illis ſunt accommodanda: Sacerdotibus (inquam) pro commemoratione facienda in conſecratione; alijs autem pro commemoratione facienda in ſumptione ipſa.

50 Obijcies quintò, maius eſt baptizare, quàm conſecrare: ſed baptizare cōmiſſum eſt omnibus indifferenter: ergo & conſecrare. Probatur maior: quia in baptiſmo remittuntur peccata, non autem in conſecratione. Reſpondetur negādo maiorem: abſolutè enim præſtantius eſt cōſecrare, quam baptizare: ſicut abſolutè præſtantior eſt Chriſtus Dominus, qui ponitur ſub ſpeciebus per cōſecrationem, quàm ipſa gratia ſanctificationis, quæ fit per baptiſmum. Nec obſtat, quòd

quòd in baptizatione detur remiſsio omnium peccatorum, etiam quoad pœnam; ſecùs autem in conſecratione: hoc enim non provenit ex maiori excellentia baptiſmi, ſed ex voluntate inſtituentis; qui voluit aſſumere pro ſigno tantæ remiſsionis baptiſmum, non autem conſecrationem. Sicut non benè argueretur ex eo, quod vinum ſit præſtantius aqua, vinum, & non aquam ſumendum eſſe pro materia baptiſmi, in quo ſit maior remiſsio, quàm in perceptione Euchariſtiæ, vel alterius Sacramenti.

51 Conſtat ex dictis *à num.* 40. quemcumque ritè miniſtrum cuiuſcumque Sacramenti (etiam ſi ſit hæreticus) verè, & fructuosè conficere Sacramentum, quoties circa ſubiectum diſpoſitum applicat neceſſaria ad valorem Sacramenti, nempè materiam, & formam cum debita intentione. Sed quia contra hanc inter Catholicos certam veritatem extant aliqua, quibus videtur probari, ab hæreticis, non poſſe validè, aut ſaltèm fructuosè confici, aut conferri Sacramenta; ideo in præſenti ſingula ſunt, & proponenda, & reſolvenda.

(Qui errores ſtiterint circa miniſtrum Sacramenti, dixi *à n.* 31.)

(.·.)

Dubium XIX.

52 PEtes decimononò, ſolutionem argumentorum, quæ probare videntur, hæreticu non poſſe validè, aut ſaltèm fructuosè conficere Sacramenta. Reſpondetur, quod in primis D. Athanaſ. *ſerm.* 3. *contrà Arianos* videtur ſentire, hæreticum non poſſe validè, aut ſaltèm fructuosè baptizare: dicit enim, *omnes hæreticos habere inutilem aquam*. Ad idem adduci poſſunt D. Ambroſ. *lib. de his, qui miniſteriis initiandi ſunt* dicens: *Non ſanat baptiſmus perfidorum*: & D. Leo *epiſt. 77. ad Nizetam cap. ult.* dicens: *nullum hæreticum poſſe dare per Sacramenta ſanctificationem.* Reſpond. cum Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 1. *de Sacramentis in genere cap.* 26. hos PP. non loqui de ſubſtantia baptiſmi; (& ideo numquam docuerunt, reiterãdum eſſe baptiſmum) ſed de vtilitate huius Sacramenti; quod non prodeſt ad ſanctificationem illis adultis, qui conſentiunt hæreſi illorum, a quibus baptizantur.

53 Obijc. ſecundò, nemo dat quod non habet: ſed hæretici, & impij non habent gratiam ſanctificantem: ergo inefficacitèr, aut infructuosè Sacramenta conferunt. Reſpondetur diſtinguendo minorem: non habent formalitèr, ſeu tamquam formam, à qua ipſimet formalitèr ſanctificentur, concedo: miniſterialiter, ſeu inſtrumentaliter, nego.

Quia

Quia etſi cauſa principalis debeat præcontinere effectum; non tamen cauſa inſtrumentalis. Vt patet in famulo, v.g. qui aliquando non habet poſſeſsionem vnius argenti; & tamen defert, & diſtribuit multos argenteos in nomine Domini ſui. Patet etiam in inſtrumento phyſico: dolabra enim, aut ſerra non habet formã Cathedræ, & tamen Cathedram efficit. Igitur ad cauſam miniſterialem ſolùm requiritur, vt ab alio eligatur ad aliquem effectũ, & virtute illius talem effectum operetur. Ad proprium autem inſtrumentum phyſicum ſolùm requiritur, quòd ſit ſuſceptivum (ſeu poſsit recipere in actuali motione agentis principalis) effectus prioris ordinati ad effectum poſteriorem. Quod patet: ſive loquamur de agente, quod per inſtrumentum ſolùm attingit diſpoſitionem præviã ad effectum, quem principalitèr intendit: ſicut artifex agit per ſecurim ad diviſionem ligni; quæ eſt prævia forma arcæ: motus enim receptus in ſecuri eſt effectus prior ex natura ſua ordinatus ad effectionem arcæ, vel alterius ſimilis, quod intendit artifex. Sive loquamur de agente, quod per inſtrumentum attingit effectum principalem: ſicut monetarius per inſtrumentũ attingit figuram imprimendam in moneta: quę figura, ſeu monetæ figuratio eſt terminus eius principalis: motus autem ille receptus in ſigillo, ſeu inſtrumento eſt prior effectus ex natura ſua ordinatus ad effectum poſteriorem, nempè ad figurationem illã monetæ. De quo legatur Scotus *in 4. diſtinct. 6. quæſt. 5. §. Ad iſtam quæſtionem, verſ. Præter hæc.* ¶ Ad inſtrumentum demùm morale ſolùm requiritur eſſe ſignum, cuius poſitione cauſa efficiens principalis moveatur ad operandum effectum principalem.

54 Ad rem ergo: etſi hæreticus, aut malus miniſter non præcontineat gratiam ſanctificãtem formaliter, aut virtualiter, tamquã cauſa principalis; poteſt tamẽ eſſe miniſter: cùm à Chriſto Domino eligatur ad hoc, vt alijs nomine, & virtute ipſius Chriſti deferat gratiam. Immo poſſet, quãvis aliàs gratiam non præcontineat, eſſe inſtrumentum phyſicũ gratiæ. (ſicut ſerra reſpectu Cathedrę, quam nec formalitèr, nec virtualiter præcontinet) Repugnantia enim, quam Scotiſtæ invenimus, ne Sacramenta ſint inſtrumenta phyſica gratiæ, non ſtat in hoc, quod illam non præcontineant; ſed in hoc, quod gratia creatur; & ad creationem nequit dari inſtrumentum phyſicũ. Et demùm poteſt eſſe, & de facto eſt inſtrumentum morale productionis gratię: cùm virtute Sacramenti, aut ſigni à ſe phyſicè poſiti moveatur Deus ad producendum gratiam in ſubiecto dignè recipiente tale Sacramentum.

55 Objicies tertiò. Qui non habet Spiritum Sanctũ nõ poteſt remit-

remittere peccata. Sed hæretici, & impij non habent Spiritum Sāctū: ergo non poſſunt conficere Sacramenta ſaltē fructuosè. Probatur maior ex illo *Ioann.20. Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Reſpondetur diſtinguendo maiorem eo modo, quo ad præcedens argumentum, & negando conſequentiam. Ad probationē maioris dico cum Chryſoſtm. & Cyrillo in eundem locum, ibi nomine Spiritus Sancti intelligi non gratiam ſanctificantem; ſed poteſtatem remittendi peccata: quæ poteſtas eſſe poteſt ſine gratia gratum faciente. ¶ Quod autem nomine Spiritus Sancti intelligi poſsint quælibet eius dona, licèt non faciant hominem ſanctum, patet *ex 1. ad Chorint. 12. Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem: alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, &c. Et cap. 14. Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt*: vbi ſpiritus vocatur donum prophetandi à Spiritu Sancto datum. ¶ Reſpondetur ſecundo, negādo maiorem. Ad probationem dico cum Ambr. *ſerm. 10. in Pſ. 118. & cum Auguſt. in commentario cap. 20. in Ioannem*, ibi quidem nomine Spiritus Sancti intelligi gratiam, & charitatē, quæ infunditur in cordibus noſtris: & conſequenter verum eſſe, in ſacra ordinatione, ſeu in Sacramento ordinis hominem diſpoſitum accipere gratiam Sanctificantem (quod nemo Catholicorum negat) Ex hoc autem non infertur, miniſtrum, qui gratiam ſanctificantem amiſit, non poſſe conficere Sacramēta. Et ratio eſt, quòd tàm Apoſtolis ibi, quàm Sacerdotibus in ordinatione Sacerdotali datur ſimul cum gratia ſanctificante poteſtas miniſtrandi, ſeu character, qui eſt quid diſtinctum realitèr, & independens (ſaltèm in conſervari) ab ipſa gratia ſanctificante: quare ſine illa conſervatur. Immo & ſine illa confertur, quando recipiens Sacramentum ordinis eſt indiſpoſitus ad recipiendum gratiam ſanctificātem. ¶ Reſpondetur tertio, negando maiorem, ſi nomine Spiritus Sancti intelligatur gratia ſanctificans; & concedendo, ſi intelligatur ipſemet Spiritus S. ſeu divina omnipotentia aſsiſtēs miniſtris, vt conficiant Sacramēta, & per illa conferant gratiam ſanctificantem non ponentibus obicem. Itaque quicumque miniſter, quantumvis pravus, eo quòd à Chriſto Domino fuit aſſumptus, vt miniſter alicuius Sacramenti, habet ſibi aſsiſtentem Spiritum Sanctum, (cui attribuūtur opera amoris ad extra operata) aut divinam omnipotentiam ad phyſicè efficiendum Sacramenta; & moraliter effectus illorum.

56 Obijcies quartò, Sacramenta ſunt ſolius Eccleſiæ Catholicæ quam Chriſtus Dominus condidit; ſed hæretici ſunt extra Eccle-

Eccleſiam Catholicam, & in Synagoga Satanæ: ergo nequeunt validè conficere Sacramenta. Reſpondet. negando conſequentiam: Sacramenta enim ſemper ſunt Eccleſiæ, etiam ſi interdum extra Eccleſiam reperiãtur. Quod convincit inſtantia hæretici venientis ad Eccleſiam; quæ non permittit, baptizatos ab hæreticis iterum baptizari. De quibus videatur doctus Bellarmin. *num.* 52. citatus.

De intentione in miniſtro requiſita.

DVBIVM XX.

57 PEteres vigeſimò, quid debeat intendere miniſter ad validè conficiendum Sacramentum? Reſpondetur per ſequentes concluſiones. ¶ Dicò primò: miniſter conficiens Sacramentum debet habere aliquam intentionem. Quia eius actio debet eſſe humana. Ita omnes Catholici; immo & hæretici. Vnde benè intulit Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 5. *in fine*, non poſſe confici Sacramentum à perfectè ebrio. (idem dicendũ eſt de dormiente) Quod intelligendum eſt, etiam ſi miniſter ante ebrietatem vellet facere Sacramentum in ebrietate ipſa, ſeu tunc coniungere materiam, & formam; & quamvis alias eſſet omninò certus id in ebrietate poſſe contingere. Quia etſi intentio illa directa, ex qua ebrietas aſſumpta eſt, ſit humana; ipſa tamen adhibitio materiæ, & formæ facta in ebrietate, & intentio adhibendi illas prout in ebrietate perſeverans, non eſt humana: Chriſtus autem Dominus ad confectionem Sacramenti requiſivit actionem humanam, aut ſaltèm in ſtatu vſus rationis factam. Ita G. Hurt. *diſp.* 4. *diff.* 5. *ſecutus præcitatum Scotum* (*etſi ſuppreſſo nomine*) *Suar.* & *Vazq.*

58 Dico ſecundò, intentio, ſeu volitio proferendi verba, ſeu faciendi illam actionem exteriorem (lavandi, v.g. aut vngendi) non ſufficit in miniſtro, vt faciat Sacramentum. Quia aliàs qui iocosè, aut irriſoriè faceret actionem exteriorem lavandi, v.g. vel abſolvendi, faceret Sacramentum: cuius oppoſitum definit Trident. *ſeſ.* 14. *can.* 9. Ita communiſsimè Catholici: quamvis valdè dubium ſit de mente D. Thomæ: Silveſter enim *verbo Baptiſmus quæſt.* 3. *num.* 12. & *Adrianus in* 4. *materia de Baptiſmo quæſt.* 4. *art.* 3. Exiſtimant, ſenſiſſe, D. Thomam ſufficere intentionem, ſeu voluntatem proferendi verba, ſivè faciendi illam actionem exteriorem lavandi, &c. Caietanus autem, & Sotus oppoſitum exiſtimant de mente D. Thom. Et addit prædictus Sotus *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 5. *artic.* 8. *in ſolutione ad* 2. D. Thomam requiſiſſe in miniſtro intentionem cõferendi effectum Sa-

Sacramenti, ſcilicèt gratiam, aut characterem. De quo legatur noſter Fabro *diſputat.* 20. *num.* 2.

59 Dico tertiò, ad valorem Sacramenti non requiritur expreſſa volitio conferendi gratiā, ſeu effectum Sacramenti. In hac concluſione conveniunt DD. & ſentit Eccleſia, dum non rebaptizat baptizatos ab hæreticis illis, qui exiſtimant, per baptiſmum non conferri gratiam; qui conſequenter non intendant illam conferre.

60 Dico quartò: ad valorem Sacramenti in miniſtro requiritur intentio ſeu volitio efficiendi Sacramentum, ſaltèm confuſa, intendendo videlicèt facere, quod facit Eccleſia; vel quod miniſtri Chriſtiani faciunt; vel quod Chriſtus Dominus inſtituit; vel aliud æquivalens. Quia ex oppoſito ſequeretur, fieri Sacramentum, quoties coram præſente materia proferretur forma à miniſtro, etiam irriſoriè: ille enim miniſter ponit id, quod ponit Eccleſia, & illud adhibet actione humana, ſeu intentione adhibendi illud. Ita communiſſime DD. & videtur ſic apertè definijſſe Eugenium Quartum *in ſuo decreto fidei*; dum ad valorem Sacramenti requirit materiam, formam, & intentionem miniſtri. Et apertiùs Tridentin. *ſeſſion.* 7. *can.* 11. his verbis: *Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltèm faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

61 Sed Lutherus, Calvinus, &c. dicunt, ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem faciendi actionem exteriorem, quamvis fiat ſine intentione adhuc confuſa faciendi Sacramenta: immo etiam ſi fiat animo illudendi, ſeu irridendi. Quibus adhæret Ambroſius Catharinus *in opuſculo de intentione miniſtri Sacramentorum*, quamvis ſe ſubijciendo Apoſtolicæ ſedi: & forſan idem tenet Silveſter *verbo Baptiſmus quæſt.* 3. *num.* 12. Et obijciunt Auguſtinum *lib.* 7. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 53. dum ſignificat, ſimulationem, & iocum ex parte conferentis Sacramentum non nocere valori ipſius, dum in recipiente abſit ſimulatio. Reſpondetur, loqui de ſimulatione, & ioco, quoàd apparientiam; ſeu ex fine operantis: vt latè explicabo *num.* 64. cum quo poteſt ſtare interior intentio. ¶ Reſpondetur ſecundo cum Hurt. Auguſtinum ibi nihil concludere; ſed ſe remittere revelationi Dei, aut reſolutioni alicuius plenarij concilij.

62 Obijcies ſecundò, baptiſmum, quo Athanaſius puer pueros baptizavit: qui fuit iudicatus, vt verus ab Alexandro Patriarcha Alexandrino. Reſpondetur, quod quamvis Athanaſius iocosè id fecerit; habuit tamen intentionem

nem faciẽdi, quod faciebat Epiſcopus; vt ipſemet Athanaſius declaravit. ¶ Obijcies tertio fuiſſe etiam declaratum vt verum baptiſmum cuiuſdam, qui corã Diocleciano irridendo Chriſtianiſmum, baptiſmum petijt. Reſpondetur, mutatum fuiſſe cor eius, & reverenter accepiſſe, quod fictè petijt: vt conſtat ex Martyrologio die 25. Auguſti, quando eius martyrium celebratur (Sanctum Geneſium vocant; qui in Gentilitate fuit mimus.) ¶ Dices, miniſtrum irriſoriè contuliſſe baptiſmũ. Reſpõdetur, quòd, quamvis irriſoriè contulerit, voluit tamen facere, quod faciebant Chriſtiani. ¶ Reſpondetur ſecundo negando, miniſtrum irriſoriè contuliſſe baptiſmum: quia aut fuit etiam illuſtratus interiùs; vt dicit Coninch *quæſt. 64. artic. 8. dub. 1. num. 65.* aut fuit Catholicus; vt affirmat Vazq. *diſp. 138. cap. 4. n. 57.*

63 Obijcies quartò, D. Chryſoſtomum hom. 85. in Ioannem dicentem: *Sacerdos præbet linguã & manus. Neque enim iuſtum eſt propter alius malitiam ad ſalutis noſtræ ſymbola accedentes offendi.* Reſpondetur, non loqui de defectu intentionis, ſed de malitia morum. Intendit (inquam) depravatam miniſtri vitam non irritare Sacramenta. ¶ Obijcies quinto Nicolaum primum, qui interrogatus, an eſſent rebaptizandi multi, qui fuerant baptizati a quodam Iudæo, de quo dubitabatur, an Chriſtianus eſſet? An paganus? Reſpondit, quòd, ſi veram formam appoſuit, non ſunt rebaptizandi: ergo ſentit, nullam aliam intentionem eſſe in miniſtro requiſitam, quam adhibendi exteriorem actionem. Reſpondetur negando conſequentiam: ſolùm enim declarat, depravatã miniſtri vitam non irritare Sacramenta. Quod autem Pontifex non meminerit intentionis miniſtri, nihil favet illis, aut nobis nocet: non enim meminit, quia in caſu ſibi propoſito non dubitabatur de valore illius baptiſmi propter defectum intentionis; ſed propter defectum religionis, aut bonitatis miniſtri. Et ideò Pontifex ſupponens, in eo fuiſſe intentionem, quam requirit Eccleſia, reſpondit, fuiſſe verum baptiſmum, ſi appoſuit veram formam, etſi ille Iudæus eſſet infidelis.

64 Pro vberiori ſolutione authoritatum, quæ videntur affirmare miniſtri intentionem, non requiri ad conficiendum Sacramenta, aut ſufficere malam eius intentionem, nota, præcipuè cũ Coninch *q. 64. art. 8. dub. 1. num. 65.* dupliciter poſſe contingere, vt Sacramenti miniſter habeat malam intentionem. Primo, ita vt nullo modo intendat conficere, aut conferre Sacramenta, aut facere, quod facit Eccleſia, quod Chriſtus Dominus inſtituit, aut quod Catholici faciunt, aut quid æquivalens; ſed tantùm iocandi,

vel

vel ea repræſentandi, aut irridendi cauſa. Secundo ita vt habeat quidem veram intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, aut Chriſtus Dominus fecit, &c. referendo tamen totam actionem ad vlteriorem finem; ad recipiẽdum pecuniam, v. g. ad iocandum, vel irridendum. Primus nihil facit. Secundus autem verum cõficit Sacramentum; quãvis alias graviter peccet; eoquòd indebitum finem appoſuit, ſeu non habet debitam intentionem requiſitam in miniſtro, non quidem ad conficiendum verum Sacramentum, (ad hoc enim ſufficit, velle facere, quod facit Eccleſia, &c.) ſed ad ſanctè ex fine operantis illud conficiendum, aut miniſtrandum. Exemplo rem declaro. In alijs actionibus, præſertim moralibus diſtinguunt communiter duos fines: vnum, quem vocant operis; & alium operantis: v. g in elargitione eleemoſynæ volo ſublevare miſeriam pauperis, tamquam finem proximũ, ſeu operis: obiectum enim, ſeu finis proximus huius actionis dãdi eleemoſynam eſt ſublevare miſeriam proximi. Item poſſum totam iſtam actionem velle referre ad gloriam Dei, verbi gratia, vel ad inanem gloriam, vel ad quid aliud tamquam in finem remotum, ſeu operantis. Eſt ergo certum, priorem intentionem, ſeu volitionem, qua volo ſublevare miſeriam pauperis non deſtrui per poſteriorem, qua id intendo, vel volo ex fine placendi Deo; capiẽdi inanem gloriam, &c. Et ratio eſt, quod finis operantis eſt quid extrinſecum ſubſtantiæ operis; & ideo ſemper perſeverat, me velle ſublevare miſeriam pauperis; ſivè ex iſto, ſive ex illo fine appetatur. ¶ Vnde patet, quòd volitio conficiendi verum Sacramẽtum optimè perſeverare poteſt, quamvis aliàs miniſter pravum finem apponat. Vt patet in Sacerdote, qui vellet conficere Euchariſtiam propter inanem gloriam, aut propter aliũ finem pravum. Igitur quoties in aliqua authoritate dicitur, Sacramentum poſſe confici ſine intẽtione, aut cum prava intentione miniſtri, dicendum eſt loqui de intentione, animo, aut volitione circa finem remotum, aut operantis; non autem de volitione circa finem proximum, aut operis; & quæ ſalvatur in hoc, quòd velit facere Sacramentum, aut quod facit Eccleſia, aut quid ſimile.

65 Obijcies ſexto, non decuit Sacramenta pendere à bonitate miniſtri, ne ſemper eſſemus incerti de eorum effectu: ergo propter eamdem rationem non debent pendere ab intentione miniſtri. Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas autem eſt, ſæpè occurrere prudentem rationem dubitandi de bonitate miniſtri: cum vbique multi occurant & mali, & etiam hæretici. Raro autem contin-

git, aliquem tàm malum eſſe, vt nolit intendere baptiſmi, v.g. veritatem; cùm hoc illi facillimum ſit; nec poſsit contrarium illi prodeſſe.

66 Obijcies ſeptimò, ſequi poſſe gravia incommoda, ſi foret neceſſaria intentio miniſtri diſtincta ab intentione iungẽdi materiam, & formam. Sequi (inquam) poſſet, vt quis ob defectum prædictæ intentionis non baptizaretur; ideoque poſteà invalidè ordinaretur in Sacerdotem, aut Epiſcopum: & conſequenter plurima Sacramenta cũ ingenti ſuſcipientiũ damno redderentur invalida. Reſpond. ita eſſe depoſsibili: (ſicut idem ferè poſſet contingere, quamvis non eſſet neceſſaria alia intentio cõiungendi materiam. & formam, in caſu, quòd miniſter malitiosè omitteret aliquid formæ: quod eſſet facilè, ſaltèm coram adſtantibus imperitis) de factò tamen ſpectat ad providentiam Dei hoc impedire; vel non permittendo deficere intentionem miniſtri; aut id aliquo modo detegendo. ¶ Ferè eodem modo reſpondetur ad aliud incõveniens, quod ſolet obijci, nempè baptizatum ſine intentione miniſtri propter alienam malitiam fore damnandum. Dicimus enim, iſtum non baptizatum in re, damnandũ eſſe propter peccata mortalia, ſi adultus iam aliqua commiſit. Si tamẽ ſupponamus, parvulum mori; vel, ſi adultam habuit ætatem, non peccaſſe, ſed ſervaſſe legem naturæ; excludetur quidem à beatitudine, & deſtinabitur in limbum propter originale: malitia autem miniſtri tantùm erit occaſio illius excluſionis, & quaſi cauſa per accidens; quatenùs ſcilicèt, non vult removere prohibens ingreſſum beatitudinis, nẽpè originale: ſicut eſſet in caſu, quod ex malitia, aut ex inadvertia omitteret aliquid formæ. Vbi benè notat citatus Coninch *num.* 68. quod Deus ob raros aliquos caſus, non debuit ordinem ſuæ providentiæ mutare, aut Sacramenta ita inſtituere, vt numquam poſſent irritè conferri. Sicut, ne innumeri infideles ob defectum baptiſmi excluderentur à regno, non debuit mutare generalem illam legem: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum.*

67 Dices: ergo numquam erimus ſecuri, & certi de noſtra ſalvatione: cùm poſsit non ſtare Sacramentum baptiſmi, aut pœnitentiæ defectu intentionis miniſtri. Reſpondetur concedendo de certitudine metaphyſica (qualiter nec ſumus certi, nos eliciuiſſe ſupernaturalem diſpoſitionem ad dignam Sacramenti receptionem; aut contritionem ad gratiam) & negando de certitudine morali, aut prudentiali. Igitur ſicut ſufficit nobis certitudo moralis de noſtra contritione, aut attritione: ita & de

inten-

Intentione miniſtri: quæ recta præſumitur, quoties nulla prudentialis ratio dubitat de oppoſito.

68 Objicies octavò, facta inſtitutione vocis ad ſignificādum, non requiritur intentio proferētis, vt ſignificet: ergo facta inſtitutione Chriſti Domini, qua inſtituir, materiam, & formam ſignare ſuum effectum efficaciter, nō erit neceſſaria intentio miniſtri. Reſpond. negando conſequentiam. Diſparitas autem eſt, quod quamvis vox ſignificet ex inſtitutione, ſeu ad placitum hominum, ſignificat abſolutè: Sacramentum autem dependenter ab intentione miniſtri, iuxta dicta *cap. 1. num. 27.* ¶ Objicies nono, in contractibus humanis, quādo fiunt medio miniſtro, ſeu procuratore, non requiritur alia intentio in miniſtro, quàm exteriùs explere id, quod a Domino ſuo præſcribitur: ergo neque in miniſtro Sacramenti. Reſpondetur, ſicut ad præcedens: eſt (inquam) diſparitas, quòd contractus humani ſunt independentes ab intentione procuratoris; ſecùs autem Sacramenta. Immò confirmo noſtram concluſionem retorquendo argumentum. Sicut enim contractus humanus (matrimonij, v.g. promiſsionis, &c.) eſt invalidus in foro interiori, quando deficit conſenſus cōtrahentium, ſeu intentio ſe obligandi: ſic in præſenti deficiente intētione miniſtri.

Dubium XXI.

68 Petes vigeſimoprimò, an conficeret Sacramentū, qui haberet intentionem faciendi, quod Chriſtus Dominus fecit, & ſimul nollet poſitive facere, quod facit Eccleſia? Reſpond. affirmativè. Quia voluntas illa excludendi, quod facit Eccleſia eſt quaſi conditionata, & inefficax: ideo enim illam haberet, quia exiſtimaret, Eccleſiā eſſe falſam: alia autē intentio faciendi, quod Chriſtus Dominus fecit, eſſet efficax, & abſoluta. Quare ab iſta corrigeretur alia; vel potiùs alia evaneſceret defectu cuiuſdam conditionis, quam implicitè, aut tacitè involvit: conditio autem talis eſt: *Si intentio hæc ſtare poteſt cum intentione faciendi Sacramentum, quod Chriſtus Dominus inſtituit; & ego conficere volo.*

¶ Dices: poſſet hæreticus ita pertinaciter velle, ſe non conformare Eccleſiæ, aut non facere, quod facit Eccleſia, vt expreſsè malit, non conficere Sacramentum, quàm illi conformari, quamvis Eccleſia conformetur Chriſto Domino: ergo tunc non prævalebit intentio faciendi Sacramentum. Reſpondetur, ita eſſe: de facto tamē nullus miniſter, quantumvis habeat expreſsè vtramque intentionem oppoſitam, eſt adeò perverſus, vt ſaltèm tacitè non præterat in-

tentionem efficiendi Sacramenta intentioni non faciendi, quod Eccleſia Romana facit: notat Hurtad. *diſput.* 4. *diff.* 4. Huc ſpectant dicta *cap.* 1. *n.* 54.

Dubium XXII.

60 PEtes vigeſimoſecundò, an, ſi quis intendat contrahere matrimonium; & ſimul intendat non facere Sacramentum, quod facit Eccleſia, verè contrahat, & inſuper non faciat Sacramentum? Reſpondetur affirmativè. Quia ratio contractus ſeparabilis eſt à ratione Sacramenti: ſed miniſter intendit ſolùm contractum; & expreſſè reſpuit rationem Sacramenti: ergo perficit contractum ſine Sacramento. Ita Vazquez *diſput.* 138. *cap.* 5. *num.* 63. Et habet locum in Scoto, quatenùs *in* 4. *d.* 26. *q.* 1. §. *Ad ſolutionem*, *verſ. De miniſtro* relinquit ſub dubio, an in omni contractu matrimoniali inter Chriſtianos ſit Sacramentum? vt conſtat ex illis verbis; *Si in omni contractu eſt Sacramentum.* Huc ſpectant dicta *cap.* 2. *num* 27.

70 Dices: in lege gratiæ contractus matrimonialis elevatus eſt ad eſſe Sacramenti: ergo iam ratio contractus matrimonialis inſeparabilis eſt à ratione Sacramenti. Reſpondetur negando conſequentiam; quam difficulter probabunt adverſarij. ¶ Inſtabis: nequit quis velle efficere Sacramentum matrimonij; & alias non celebrare contractum matrimonialem: ergo neque poterit velle celebrare contractum matrimonialem, & aliàs non efficere Sacramentum. Reſpondetur negando conſequentiam: diſparitas autem eſt, quòd fundatum nequit dari ſine fundamento; benè tamen fundamentum (non formalitèr, ſed materialitèr ſumptum) ſine fundato: Cùm ergo Sacramentum, ſeu rationem Sacramenti fundaverit Chriſtus Dominus ſuper contractum matrimonialem, (qui in antiqua lege præceſſerat; & in præſenti perſeverat) illud nequit ſtare ſine iſto; benè tamen è contra.

71 Vnde conſtat, ineptam fore, & ſine fructu intentionem illius, qui vellet efficere Sacramētum matrimonij cum expreſſa intentione non celebrandi contractum matrimonialem. Non autem eſſet infructuoſa intentio illius, qui vellet celebrare contractum matrimonialem; vellet autem expreſſè non efficere Sacramentum: iſte enim non efficeret Sacramentum; quamvis aliàs graviſsimè peccaret: quia in re graviſsima non ſtaret vſui, & voluntati Eccleſiæ. ¶ Sed contra: quamvis prior ſit exiſtētia Sacramēti, quàm eius effectus, nempè gratia; ineptè, & infructuosè intenderet miniſter alicuius Sacramenti ponere Sacramentum, non

non autem effectum illius: ergo quamvis ratio contractus matrimonialis ſit prior ratione Sacramenti, infructuosè intendet quis ponere contractum, non autem rationem Sacramenti. Reſpondetur diſparitatem eſſe, quòd ratio contractus matrimonialis nō ſolùm eſt prior Sacramento, ſed etiam requirit diſtinctam intentionem in miniſtro ab intentione faciendi Sacramentum. Ad celebrandum enim contractum matrimonialem requiritur, voluntas ſe obligandi comparti ad cōſervandum individuā vitæ ſocietatem. Ad efficiendum autem Sacramentum requiritur intentio efficiendi Sacramentum, aut quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus Dominus inſtituit, aut quid ſimile. Ad ponēdum autem gratiam, aut effectum Sacramēti non requiritur in miniſtro diſtincta intentio, aut volitio ab illa, qua vult efficere Sacramentum: quia Sacramenta operantur, ſicut cauſæ naturales. Quare ſicut eſſet fruſtanea, & ſine fructu volitio non cremandi in illo, qui materiæ diſpoſitæ applicaret ignem: Ita eſſet fruſtanea volitio non conferendi gratiam, aut effectum Sacramenti in illo, qui recipienti diſpoſito applicaret Sacramentum. ¶ Vnde benè notat G. Hurtad. *diſp. 4. diff. 4.* convenire DD. immò & ſentire Eccleſiam, non eſſe neceſſariam in miniſtro Sacramenti formalem intentionem conferendi gratiam, dum non rebaptizat baptizatos ab hæreticis illis, qui exiſtimant, per baptiſmum non conferri gratiam: qui conſequenter non intendunt illam conferre.

Dubium XXIII.

72 Petes vigeſimotertiò, qualis intentio requiratur in miniſtro Sacramenti? Reſpondetur, ſupponendum eſſe pro intelligentia huius, quotuplex ſit intentio. Igitur ex convenientia omnium triplex eſt intentio, ſeu volitio circa rem aliquam; nempè actualis, virtualis, & habitualis. Actualis eſt actus voluntatis, quo quis vult celebrare miſſam, v. g. qui actus, dum actualiter perſeverat, dicitur intentio actualis. Virtualis intentio, ſeu volitio eſt illemet actus iam non exiſtens in ſe, ſed in aliquo eius effectu: verbi gratia, volui celebrare miſſam, qui actus volitionis iam periјt; manet tamen virtualiter in lotione manuum, quæ præcedit celebrationem miſſæ, in induitione veſtium Sacerdotalium ad celebrandum præeunte. Et ratio eſt, quòd ſicut intentio, ſeu volitio expreſſa finis continet virtualitèr, & cauſat volitionem medij; ita volitio medij continet virtualiter, & cauſat in executione conſequutionem finis: cum ergo lotio, aut induitio præcedens celebrationem ſit medium ad celebrandum ex de-

centia ordinatum, in ipſo virtualiter continetur volitio celebrandi, quæ iam præceſſerat. Habitualis intentio dicitur conſuetudo habendi intentionem celebrandi, verbi gratia, ſeu facilitas derelicta ex multiplicatis intentionibus. ¶ Præter has intentiones eſt alia, nempè prior intentio, ſeu volitio non retractata: de qua inter AA. eſt quædam quæſtio de nomine. Aliqui enim dicunt, vocandam eſſe intentionem virtualem: quia in illa non retractatione perſeverat prima volitio. Alij verò vocant eam intentionem habitualem: ſicut peccatum præteritum, dum non retractatur, habituale vocari conſuevit. Ego autem vocarem eam actualem interpretative: eo quod, dum non retracto, quod feci, interpretor apud prudentes eſſe in actuali volitione illius. His ſuppoſitis.

73 Dico primò: habitualis volitio, ſeu intentio ſumpta pro conſuetudine non ſufficit ad conficiendum Sacramentum. Quia conſuetudo faciendi rem aliquam propriè non eſt volitio faciendi illam: alias ille, qui habet conſuetudinem peccandi, propriè haberet volitionem circa peccatum: & conſequenter eſſet in actuali peccato. Sed ex *cap.* 1. *num.* 27. conſtat, in miniſtro requiri intentionem: ergo non ſufficit habitualis ſumpta pro cõſuetudine. Ita *Scotus in* 4. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 6. §. *Diſtinguitur, verſic. Ad oppoſitum, & communiſsima ſententia.* ¶ Dices: ad peccandum ſufficit operari ex conſuetudine: ergo & ad efficiendum Sacramentum. Antecedens probatur exemplo illius, qui iurat ex conſuetudine: iſte enim iurando peccat, ſi ſolum advertat malitiam actionis, quamvis non habeat actualem, aut virtualem volitionem peccandi. Reſpondetur negando antecedens: ille enim peccat iurando, non quia iuramentum illud oritur ex conſuetudine; (alias in primo iuramento facto cum advertentia non peccaret) ſed quia tenetur non iurare cum advertentia. Miniſter vero Sacramenti nõ ſolũ tenetur operari cum libertate, & advertentia, ſeu exiſtens in ſtatu advertẽtiæ, & libertatis; (quem ſtatum conſervat ille, qui incipiens aliquam actionem liberè, & cum advertentia, in progreſſu illius diſtrahitur) ſed etiam tenetur adhibere intentionem: vt definitur ab Eccleſia: de quo *in num.* 60. *& cap.* 1. *num.* 27.

74 Dico ſecundo: ad conficiendum Sacramenta ſufficit volitio, ſeu intẽtio actualis. Quia eſt perfectiſsima, quæ excogitari poteſt: ergo, ſuppoſito, quod ab Eccleſia requiritur, de iſta nequit dubitari. Itaque ſi quando appono materiam, & formam alicuius Sacramenti, tunc actualiter volo conficere Sacramentum, aut facere, quod facit Eccleſia,

aut

aut quod Chriſtus Dominus fecit, aut aliquid æquivalens, abſque dubio conficio Sacramentum. In hoc conſpirant omnes Doctores.

75 Dico tertiò: actualis intentio, ſeu volitio efficiendi Sacramentum, aut faciendi, quod facit Eccleſia, &c. non eſt requiſita in miniſtro. Quia non eſt credibile, Chriſtum Dominum ita ſcrupuloſè instituiſſe Sacramenta, & tanto periculo nullitatis expoſita, vt, ſi miniſter ab actuali volitione diſtraheretur, dum miniſtrat, non efficeretur Sacramentum. Alias paſsim Sacramēta irritarentur. Ita Scotus *num. 73. citatus, & communiſsimè Authores.*

76 Dicò quartò: ad conficiēdum Sacramentum ſufficit virtualis intentio, ſeu volitio. Quia in electione medij cōtinetur virtualiter volitio finis: ergo verè diceretur velle finem, aut conficere Sacramentum, qui ad hoc ponit medium neceſſarium: quale eſt, v. g. ire ad Eccleſiam, lavare manus, inducere ſe veſtibus ſacris, &c. Ita *Scotus ibi, verſ. Ex his, & communiſsimè DD.*

77 Dico quintò: præterita intentio non retractata ſufficit ad validè conficiendum Sacramenta. Quia apud prudentes illa volitio dicitur, ſeu reputatur actualiter permanere, dum non retractatur: ergo ſufficit. Sic videtur ſentire Scotus *ibi* §. *& verſ. c. Diſtinguitur,* quatenùs explicans diſtinctionem virtualem dicit, eſſe diſpoſitionem, quæ remanet in voluntate ex actu præterito, ſeu ex intentione priùs habita. ¶ Dices: ergo ab amente, dormiente, aut ebrio, qui priùs non retractavit intentionem, poteſt confici Sacramentum. Reſpondetur negando: quia etſi in eis poſsit remanere volitio non retractata: tamen præter intentionem requiritur, quod, dum conficitur Sacramentum, miniſter ſit compos rationis, vel in ſtatu vſus rationis. ¶ Dices ſecundò: ergo etiam ſufficiet ad conficiendum Sacramenta intētio virtualis interpretativa; nec requiretur, in illo præceſsiſſe realem, & phyſicam volitionem conficiendi Sacramentum, aut faciendi, quod facit Eccleſia, &c. Dicitur autem intentio virtualis interpretativa, quando aliquis operatur in ordine ad Sacramentum taliter, vt ſi interrogaretur, quid vellet facere? Aut quis ſit eius animus? Reſponderet, volo baptizare, verbi gratia, miſſam celebrare. &c. Hæc (inquam) volitio ſufficit ad conficiendum Sacramentum. (inquit quidam ex noſtris in manuſcriptis) Reſpondetur negando aſſumptum, aut conſequentiam: quia dicta intentio potiùs eſt præparatio animi, quam propria intentio. Ad Sacramentū autem conficiēdum aliqua propria intentio debet eſſe, vel ſaltèm præceſſiſſe in miniſtro; vt ſalventur

verba Eugenij IIII. *cap. 1. n. 27.* relata, necnon & Trid. tranſcripta *hic n. 60.*

78 Inſtabis: prædicta intentio interpretativa ſufficit ad recipiẽdum Sacramentum: ergo & ad illud adminiſtrandum. Antecedens patet in parvulo recipiente baptiſmum; necnon & in adulto repentè ſenſibus deſtituto, cui adminiſtratur extrema vnctio; eo ſolum quod prudenter interpretamur, eam velle recipere. Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas autem eſt inſtitutionis diverſitas, ſeu divina voluntas per Eccleſiam declarata. Concilia enim (præſertim Florentinum, & Tridentinum, *num. 60.* citata) in miniſtro requirunt intentionem: quod de propria intentione debet intelligi. Ex alia verò parte praxis Eccleſiæ fert, conferri aliqua Sacramenta ei, qui ſolum habet interpretativam intentionem ea recipiendi, vt probant exempla adducta de baptiſmo, extrema vnctione, & alia. ¶ Inſtabis ſecundò, qui ſic operatur, operatur piè, prudenter, & religiosè; ergo conficit Sacramentum. Reſpondetur negando conſequentiam: quia præter actionem piè, prudenter, & religiosè factam requiritur ad conficiendum Sacramentum intentio aliqua propria, quæ actualiter exiſtat, vel extiterit propter concilia id exprimentia. ¶ Inſtabis tertio: ad ſolvendum obligationem divini officij ſufficit illa virtualis intentio interpretativa, ſeu animi præparatio ſolvendi: ergo & ad conficiendum Sacramentũ. Reſpondetur negando conſequentiam: quia concilia non petunt in recitante intentionem ſatiſfaciendi: benè tamen in miniſtro conficiente Sacramenta.

Dubium XXIV.

79 Petes vigeſimoquartò, (incidenter) quæ intentio requiratur ad applicandum ſacrificium miſſæ pro aliquo particulari? Reſpondetur ſufficere præteritam non retractatam. Quia hæc ſufficit ad conficiendum Sacramenta: (ex dictis *à num.* 77.) ergo & ad applicandum fructum ſacrificij. Patet conſequentia: quia minor intentio requiritur ad iſtud, quam ad illud. Et ideò ad applicandum ſacrificij valorem ſufficit intentio Prælati; non autem ad conficiendum Sacramentum. Ita *G. Hurtad. diſput.* 4. *diffic.* 5. *citans Suarez, Vazquez, & Ægidium. Atque communiſſima ſententia.* ¶ Diſplicet tamen mihi Vazq. *diſput.* 138. *cap.* 6. *num.* 77. quatenùs requirit eamdem intentionem ad applicandum ſacrificium, ac ad coficiendum Sacramentum. Hoc (inquam) diſplicet mihi: quia quamvis aliàs dicerem cum communiori ſententia, ad conficiendum Sacramentum non ſufficere intentionem præteritam non retractatam; affir-

affirmarem tamen etiam cum communi ſentētia, (contra ipſum Vazquez) prædictam intentionem ſufficere ad applicandum fructum ſacrificij. Quia minor intentio requiritur ad applicandum fructum ſacrificij, quam ad conficiendum Sacramentum; vt conſtat ex probatione noſtræ cōcluſionis.

80 Sed obijcit Vazquez: eadem eſt voluntas offerendi ſacrificium, & conficiendi Sacramētum Euchariſtiæ. ergo eadem intentio requiritur. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: reſpectu Dei, concedo: reſpectu illius, pro quo offertur, nego. Itaque ſicut duplex poteſt intelligi obligatio; ita & duplex intentio offerendi. Prima reſpectu Dei, cui Sacerdos ſacrificium offert in eius cultum, & honorem: quæ intentio eſt eadem cum intentione conficiendi Sacramentum Euchariſtiæ. Et ideò dicit communior ſententia, non ſufficere ad ſacrificium offerendum in honorem Dei, ſeu ad conficiendum Sacramentum intentionem præteritam non retractatam; ſed quòd ſaltem debet eſſe virtualis: quamvis nos oppoſitum dixerimus à *n.* 77. Secunda autem intentio eſt reſpectu perſonæ creatæ, cui Sacerdos vult ſacrificium illud prodeſſe, ſeu eius valorem applicare. Quæ intentio non eſt eadem cum intentione ſacrificādi, aut conficiendi Sacramētum; nec requireretur à nobis, quòd eſſet virtualis ſaltèm: etiam ſi id expoſtularemus ad conficiendum Sacramentum in miniſtro. ¶ Obijcies ſecundò, obligatio pro Petro v. g. ſupra oblationem ſacrificij ſolùm eſt quidam reſpectus rationis: ergo intentio, quæ requiritur ad realem oblationem ſacrificij requiritur etiam ad hoc, vt ſit pro Petro. Reſpondetur negando antecedens: neceſſariò enim requiritur alia nova realis volitio ad applicandum ſacrificium pro Petro v. g. a volitione, qua volo ſacrificare. Neque iſta poteſt extendi ad hoc, vt ſit pro Petro. Quia quamvis probabile ſit, poſſe viſionem beatam extendi ad novum obiectum, ſeu creaturam de novo repræſentatam Beato; tamen creatura, ad quam ſe extendit viſio, eſt obiectum *quod* illius viſionis. Petrus autem, pro quo offertur, ſeu applicatur ſacrificium; non eſt obiectum illius actus ſacrificandi; atque adeò nequit extendi ad illum.

Dubium XXV.

81 PEtes 25. an intentio miniſtri poſſit fruſtrari ex incertitudine perſonæ? Reſpondetur ſub diſtinctione. Quare dico primò: quando intentio miniſtri ita determinatè fertur in certam perſonam, vt excludat aliam, vel alias, non fit Sacramentum, ſi conferatur perſonæ excluſæ. (v. g. miniſter ita determinatè vult baptizare Petrum, vt

vt excludat Ioannem, aut omnes alios) Quia tunc deficit intentio miniſtri: quæ ad efficiendam Sacramentum eſt omnino neceſſaria. ¶ Nota obiter, hanc exclusionem, vt mortaliter peccaminoſam, communiter damnari. Quia præbet occaſionem irritandi Sacramentum. Excipitur tamen matrimonium, in quo non requiritur tam vrgens causa ad excludendum expreſſè omnes alias perſonas ab illa, quæ mihi placet. Ita communiter AA.

82 Dico ſecundo: quando miniſter confert Sacramentum perſonæ falso exiſtimatæ, ſed non excluſæ (v. g. exiſtimat baptizare Principem; ſuppoſita tamen fuit perſona vilis; quam non excluſit; immo de hac ſuppoſitione non cogitavit) verum confert Sacramentum. Quia interpretatur, velle conferre Sacramentum perſonæ præſenti. quamvis non ſit ea, quam errando exiſtimat eſſe. Confirmatur in ſpeciali de baptiſmo: quia ly *te* poſitum in forma baptiſmi (idem dicendum eſt de alijs Sacramentis, in quorum formis ponitur pronomen *tu*) non ſupponit pro perſona vt exiſtimata à miniſtro; ſed vt eſt in ſe præſens: ergo, quamvis deficiat ſcientia in miniſtro, non deficit intentio ſaltem præſumptiva.

¶ Dices: ergo male diximus *n.* 77. & 78 ad conficiendum Sacramentum non ſufficere intentionem virtualem interpretativam. Reſpondetur negando: ibi enim negavimus ſufficere interpretativam ſolam, ſeu cum qua non coniungebatur realis alia intentio ſaltem præterita de Sacramento conficiẽdo. Nunc autem dicimus, ſufficere, non quidem ad efficiendum Sacramentum, (ſupponimus enim habere phyſicam, & realem intentionem conficiendi Sacramentum.) Sed ad determinandum perſonam, cui ſit conferendum. Hanc concluſionem defendunt *Suar. Vazquez, & Aliid. quos citat, & ſequitur G. Hurt d. 5. 4. diff. 7. & aſſerit ſic communiter tenere DD.*

83 Sed Silveſter verbo *Baptiſmus quæſt.* 15. affirmat, ſuppoſita perſona non confertur perſonæ falso exiſtimatæ: & ob id intentio miniſtri debet ferri in perſonam certam: ergo, deficiente certitudine perſonæ, irritabitur Sacramentum. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: eſt enim verum, ſi intendat, Sacramentũ non poſſe miniſtrari indivíduo vago: falſum autem, ſi intendat, valorem Sacramenti pendere ex ſcientia miniſtri circa perſonam, cui cõfertur Sacramentum. In noſtro autem caſu etſi miniſter falſam exiſtimationem habeat circa perſonam, cui Sacramentum adminiſtrat; adminiſtrat tamen Sacramentum, non individuo vago, ſed determinato per pronomen *te* ſic enim profert: *Ego te baptizo, &c.* ¶ Obijcies ſecundo, quando miniſter dicit: *Ego te baptizo*

tizo,&c. ly *te* idem eſt, ac dicere: *Ego te Petrum baptizo*: ergo, ſi nō ſit Petrus, deficit intentio miniſtri. Reſpondetur negando antecedens: miniſter enim prudenter interpretatur dicere: *Ego baptizo te ſuſcipientem baptiſmum, &c.* ¶ Dices: ergo qui matrimonium ducit, eodem modo interpretabitur dicere: *Ego accipio te in vxorem, &c.* Reſpondetur negando: quia cùm circa perſonam, cui confertur baptiſmus v.g. non ſit expreſsa intentio in miniſtro, (vt ſupponimus) recurrendum eſt ad prudenter interpretãdum ſuam voluntatem. (quod vocant intentionem interpretivam) In baptiſmi autẽ collatione prudentiſsimè interpretamur, intentionem miniſtri eſſe velle conferre baptiſmum ei, qui eſt præſens: cùm ex oppoſito nihil vtilitatis aut commodi ei accreſcat: & aliàs fiat irritũ Sacramentum. (quod de nullo miniſtro, quantumvis pravo eſt præſumendum velle) In matrimonio autem oppoſitum eſt interpretandum: quia eſſet grave incommodum contrahenti ducere in conſortem eum, vel eam, quã non vult. Quare prudentiſsimè interpretamur, quod, ſi interrogaretur, an vellet, ſtare matrimonium cum illa, quam falſo exiſtimavit? Negative reſponderet ductus deſiderio effugiendi tantum incommodum.

84 Ex dictis pro noſtra ſentẽtia infertur cum præcitatis Authoribus, proferentem verba cõſecrationis ſuper duas hoſtias vtramque cõſecrare, quamvis putaverit, eſſe vnam tantum, dummodo non habuerit intentionem excluſivam, nempè conſecrandi tantum vnam. Quia eius intentio conſecrandi prudenter interpretatur extendi ad totam materiam, quam coram ſe habet. Idẽ propter eamdem rationem dicẽdum eſt de proferente formam conſecrationis ſuper decem v.g. hoſtiolas, (Hiſpanè formas) quas putat eſſe plures, aut pauciores. ¶ Si tamen habuit intentionem excluſivam, nempè conſecrandi tantum vnam; illam tantum conſecravit, quam determinavit, (& regulariter videtur manere determinata ea, quam videt) ſi tamen nullam determinavit, & tãtùm voluit vnam cõſecrare, nullam conſecrat. Quia Sacramentum petit determinatam materiam. Idem dicendum eſt propter eamdem rationem de illo, qui in Sacramento pœnitentiæ ſe accuſat de quatuor mendacijs v.g. nõ determinando, eſſe vltima, vel prima, aut illa, quorum recordatur, aut quæ ipſe determinat. Ille enim (ſi plura adſint mendacia) non præbet ſufficientem materiã abſolutionis defectu determinationis materiæ. Igitur prudens intentio miniſtri debet ferri circa totam materiam, quam ad conſecrandum appoſuit non determinando numerum, quam vis aliàs certus ſit, poſuiſſe vnicam hoſtiam,

hoſtiam, aut quatuor tantùm hoſtiolas. Contingere enim poteſt, & de facto non ſemel contingit, me certum eſſe apeſuiſſe vnicâ, & poſteà comperire plures.

¶ Item, vt prudenter pœnitens procedat, debet ſe accuſare de omni peccato commiſſo contra materiā caſtitatis v.g. (loquor de illo, qui ſe accuſat de præteritis iam ſufficienter confeſsis) aut determinare tria v.g. poſtrema. Intentio autem prudens miniſtri debet ſe extendere ad abſolvendum pœnitentem à quacumque culpa, quæ poteſt eſſe materia illius confeſsionis.

DVBIVM XXVI.

85 PEtes 26. an intentio conditionata efficiendi Sacramentum ſufficiat ad eius valorem? Reſpondetur ſub diſtinctione. Quare dico primò: Sacramentum collatum ſub conditione de præterito, aut de præſenti (v.g. *abſolvo te, ſi reſtituiſti; aut ſi habes vſum rationis*) eſt validum, ſi in re poſita eſt talis conditio; nullum autem, ſi in re non ſit impleta. Quia, ſi impleta eſt conditio, intentio tranſit in abſolutam: & conſequenter nihil deficit, vt fiat Sacramentum. Si autem conditio non eſt adimpleta, evaneſcit intentio: & conſequenter non ponitur Sacramentum defectu intentionis miniſtri neceſſario requiſitæ. In hanc concluſionem conſpirant AA. loquendo de cōditione, quæ propter humanam dubitationem apponitur.

86 Dico ſecundò: validum eſt Sacramentum baptiſmi v.g. datum ſub cōditione aliqua omnino certa, & præſenti apud Deũ; non tamen apud nos. (vt ſi quis diceret v.g. *Ego te baptizo, ſi es prædeſtinatus*) Quia non apparet, quare iſta intentio miniſtri non ſufficiat. Secundò, quia ſæpe baptizatur quis ſub hac conditione, *ſi non es baptizatus*, quamvis [illegible] adimpletio illius conditionis nullatenùs ſciri poſsit. Ita Suarez *diſput. 13. ſect. 4. & G. Hurt diſp. 4. diffic. 6.* ¶ Sed quidam ex noſtris in manuſcriptis oppoſitam defendit; & objicit: Deus pro miniſtris Sacramentorum delegavit homines: ergo humano modo debent adminiſtrari Sacramenta: ergo independenter à conditionibus, quarum impletiones humano modo nequeunt cognoſci: & conſequenter miniſter alicuius Sacramenti ſolùm poterit ponere pro conditione in adminiſtratione Sacramenti id, quod humano modo poteſt cognoſci, vel de quo apud homines poteſt ſtare prudens dubitatio; aut (proprius loquendo) cuius dubitatio poteſt per homines deponi. Reſpondetur concedendo primam conſequentiam. Vnde ſolùm infertur, quod humano modo, hoc eſt, ſigna ſenſibilia debet ponere miniſter, & non ſigna ſpiritualia pro materia, & forma cuiuſcumque Sacramenti: non autem infertur,

fertur,

fertur, adimpletionem conditionis, quam apponit, debere eſſe cognoſcibilem modo, vel medio humano. Et ratio eſt, quod, ſicut, quamvis Chriſtus Dominus inſtituit Sacramenta ſenſibilia, quantum ad materiam, & formam; non tamen quantum ad intentionem miniſtri; (quæ eſſet ſenſibilis, ſi diſpoſuiſſet Deus, quòd à miniſtro exteriùs manifeſtaretur) ſed quantum ad hanc reliquit Sacramentum incognoſcibile modo, & medio humano: ita noluit determinare, quòd conditio aliquando appoſita à miniſtro eſſet modo, aut medio humano cognoſcibilis. Et confirmatur â ſimili de ſacrificio: quamvis enim inſtituerit Chriſtus Dominus ab hominibus offerendum; & conſequenter modo humano; tamen applicatio fructus illius fit aliquãdo pro illo, de quo modo humano nullo modo poteſt applicans certificari: v.g. cum applico miſſam pro illa anima, quæ maiores pœnas patitur in purgatorio; vel pro illa quæ propinquior eſt egreſsioni; vel pro illa neceſsitate, pro qua Deus miſſam voluerit acceptare.

87 Notant cõmuniter, quòd, quamvis validè fiat Sacramẽtum ſub conditione de præterito, aut de præſenti; tamen, vt licitè fiat, debet intereſſe neceſsitas. Quia ſine neceſsitate, aut cauſa exponere Sacramentum nullitati eſſet illicitum. Sufficiens autem neceſſitas, aut cauſa foret, ſi poſt prudentem examinationem nõ poſſet miniſter certificari de baptiſmo alicuius pueri, aut de vſu rationis adulti, vt illi conferretur baptiſmus, & iſti abſolutio. Exiſtente autem cauſa, parum refert, conditionem mentaliter, aut exteriùs apponi.

88 Dico tertiò: Sacramentũ datum ſub conditione de futuro contingenti eſt nullum. Quia ſimul debent coniungi appoſitio materiæ & formæ, atque intentio miniſtri. Sed quoadvſque impleatur conditio, intentio miniſtri non tranſit in abſolutã: (quod eſſe eſt neceſſarium in intentione ad efficiendum Sacramentum) & aliàs tunc non ſubſiſtit applicatio materiæ, & formæ: ergo non fit Sacramentum defectu intentionis. ¶ Dices: Sacramentum eſt quoddam ens morale: ergo, vt ſubſiſtat, ſufficiet, eius partes coniungi morali ſimultate: ergo validum erit, etiam ſi intentio miniſtri pro aliquo brevi tempore differatur poſt poſitionem materiæ, & formæ. Reſpondetur negãdo ſecundam conſequentiam: quia intentio miniſtri neceſſariò debet præcedere poſitionem materiæ, & formæ, vt actio illa ſit Sacramentalis, & non pura ablutio v. g. phyſica.

89 Dices ſecundò: huius abſolutionis v. g. *Ego te abſolvo, ſi reſtitueris cras*, ſenſus poteſt eſſe, modo te abſolvo, ſi verum eſt apud Deum, te cras reſtituturum: ergo tunc tenebit Sacramentum

factum

factum ſub conditione de futuro contingenti. Reſpondetur concedendo totum, ſi apponens cõditionem intendat prædictũ ſenſum. Tamen iſta conditio potiùs eſt de præſenti in prædicto ſenſu quam de futuro contingenti: vt benè notat Suarez *diſp. 13. ſect. 4* ¶ Dices tertio: propoſitio de futuro contingenti habet nunc determinatam veritatem, aut falſitatem: ergo quando dico: *Ego te abſolvo v. g. ſi cras reſtitueris*, verũ conficio Sacramentum, quando verum eſt, pœnitentem reſtiturum. Patet cõſequentia: quia, ſuppoſita veritate, ſtatim intentio miniſtri tranſit ad eſſe abſolutum: & conſequenter nihil deficit, vt fiat Sacramentum. Reſpondetur negando cõſequentiã: Ad probationem dico, in conditionali de futuro contingenti nõ attendi ad veritatem, quam propoſitio habet nunc in ſe, aut apud Deum; ſed ad effectum futurum, aut non futurum. Quare ſuſpenſus manet animus, ſeu intentio conficientis ſub conditione, quoadvſque tranſeat tempus in quo conditio à parte rei debeat poni: &, ſi tunc ponitur adimpletio cõditionis, intentio tranſit ad eſſe abſolutum: ſecus autem evaneſcit. ¶ Et confirmatur inſtantia matrimonij conditionati, cuius conditio eſt eventura: (v. g. *contraho tecum, ſi cras dederis tantam dotem*) eſt enim certum, vi illius conditionis ſuſpendi conſenſum, ſeu intentionem, quoadvſque adimpleatur conditio: ergo à ſimili in præſenti. Antecedens conſtat: alias, qui intra illud tempus contraheret abſolutè cum alia, non faceret matrimonium: quod eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ; vt benè notat Suarez ibi. ¶ Hinc putant aliqui, à noſtra tertia concluſione excipiendum eſſe Sacramentum matrimonij, quod valide fit (inquiunt) ſub conditione de futuro contingenti: v. g. *Contraho tecum, ſi cras dederis tantam dotem.* Falluntur tamen: quia etſi quando impletur conditio, perficiatur matrimonium in eſſe contractus: tamen nõ fit Sacramẽtũ, niſi tunc contrahentes denuo explicent mutuam corporum traditionem per verba abſoluta.

¶ Dices: ergo inter Chriſtianos dabitur aliquod matrimonium, quod non ſit Sacramentum. Reſpondetur permittendo propter dicta *n* 43.

De diſpoſitione miniſtri Sacramentorum.

DVBIVM XXVII.

90 PEtes 27. an ad valorem Sacramenti ſit requiſita fides, aut ſanctitas in miniſtro? Reſpondetur negativè. Quia tãtum ſe habet vt inſtrumentum Dei: ergo, vt recipienti poſſit conferre Sacramentum; immo & fructum illius, non requiritur, quod Sacramentum, aut fructum illius præcõtineat. Recolantur dicta

ćta à *num*.52. Hanc concluſionē quoad ſidem miniſtri definit Cōcilium Nicænum 1. *can.* 19. & quoàd ſidem, & Sanctitem Trident. *ſeſſ.*7.*can.*12. *de Sacramentis in genere.*

DVBIVM XXVIII.

91 PEtes 28. an in miniſtro requiſita ſit ſanctitas, vt licitè adminiſtret Sacramenta? Reſpondetur affirmativè. Quia irreverentiam in re gravi facit Deo, qui immundus tractat ea, quibus Deus mundat homines. Et ideò paſsim Scriptura, & Patres exhortantur miniſtros Sacramentorum, vt mundi illa adminiſtrent. Ita *Iſaiæ* 52. *Mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini. Et Exodi* 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* Et Auguſt. *in enarratione Pſalm.*103. ad verba illa, *qui tegit aquis ſuperiora eius*, ſic loquitur; *Videant, quam rationem ſint reddituri coram Deo, qui ſanctis non ſanctè vtuntur.* Atque Greg. *lib.*, 1. *epiſt.*24. dicit: *Neceſſe eſt, vt munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat.* Quod & alibi paſsim tàm apud Scripturam, quàm apud PP. reperitur. Igitur tàm propter authoritates Scripturæ, & Patrum, quàm propter rationem noſtræ concluſionis fatentur AA. communiſsimè, illicitum eſſe, miniſtrum (ſaltèm conſecratum, aut deſtinatum ad aliquod miniſterium; vt eſt Sacerdos ad abſolvēdum; Epiſcopus ad ordinandum, &c.) Sacramenta miniſtrare in peccato mortali.

92 Longè autem diſtrahuntur AA. in reddenda ratione, propter quam ſit peccatum mortale, aut fiat gravis irreverentia Deo à miniſtro, qui in peccato mortali Sacramenta alijs adminiſtrat? Nobis autem dicendum eſt, rationem eſſe, quod miniſter Sacramentorum debet cum Deo authore Sacramentorum; necnō & cum ſanctitate ipſorum Sacramentorum conformari, vt ita congruenter vtatur ipſorum miniſterio. Sed miniſter exiſtens ſub mortali non conformatur Deo authori Sacramentorum, neque ipſorum ſanctitati: ergo Deo, & Sacramentis irrogat, gravem iniuriam. Minor conſtat: Deus enim eſt author Sacramentorum, quatenus ſanctus: ſi enim ſanctus non intelligeretur, non poſſet per Sacramenta ſanctitatem diſtribuere, homineſque ſanctificare. Item Sacramenta ipſa ſunt ſancta: cùm cauſant ſanctitatem, ſeu gratiam. ¶ Vnde cōſtat, obligationē non miniſtrandi Sacramenta in ſtatu peccati mortalis non oriri ex aliquo præcepto poſitivo; (quia de hoc non conſtat; ſive fingatur divinum, ſivè humanum) ſed ex iure divino naturali orto ex natura Sacramentorum. Cùm enim ea inſtituerit Deus ad ſanctificandum; gravis irreverentia fit tàm ipſis, quàm ipſorum authori, quando ab

ab immundo miniſtro ſumuntur ad ſanctificandum. Sic Vazquez *diſp.136.cap 3.à num. 20.& aliȷ.*

93 Sed Caiet.*q 64.art 6.Suarez diſp.13.ſect.4.& Bonacina cũ alijs* dicunt, rationem, quare miniſter exiſtens ſub mortali peccat mortaliter adminiſtrando, ſeu irrogat Deo gravem iniuriam, eſſe, quia Sacerdos v.g eſt ſpecialiter deputatus per Sacramentum ordinis ad adminiſtrandum Sacraměta cum debita reverentia. Tamen hanc rationem benè refutat Vazq.*ibi cap.2.à num.16.* Sequeretur enim ex illa, eum, qui poſt acceptum Sacramentũ confirmationis exiſtens ſub mortali fidem profiteretur coram tyranno, mortaliter peccare: quia per Sacramentum confirmationis ad hanc fidei profeſsionem conſecratur per gratiam, & characterem. Item peccarent Subdiaconus, & Diaconus canentes Epiſtolam, & Evangelium; Epiſcopus benedicĕdo Chriſma, & Oleum. Patet, quia ad hac miniſteria ſunt conſecrati in ſua ordinatione, nõ ſolum per receptionem gratiæ, ſed etiam characteris.

Dubium XXIX.

94 PEtes 29. an miniſter, qui non eſt ſpecialiter deputatus in Eccleſia pro adminiſtratione Sacramentorum, peccet mortaliter adminiſtrãdo ſub peccato mortali exiſtens? Reſpondetur affirmativè. Itaque nõ ſolùm Sacerdos abſolvendo, Epiſcopus ordinando &c. ſed etiam Laicus baptizando, & contrahendo matrimonium exiſtendo in peccato mortali mortaliter peccat. Quia non ſe conformant Sacramentorum, & Chriſti Domini eius authoris ſanctitati: vt *num. 91. & 92.* latè probavimus. Ita Vazq. *diſp.136.cap.3. à num.28. Ochaga via quæſt.19. & G.Hurt. diſp. 4 diff.9.*

95 Sed Suarez *diſp.16.ſect.4. & Bonacina diſp.1. quæſt.3.punct. 2 oppoſitum defendunt: quod & probabilius reputat Coninch.* Et obijciunt: qui non ex officio, ſed ex neceſsitate adminiſtrat exiſtens ſub mortali, non videtur tantam irreverentiã Deo irrogare, quàm qui hoc facit ex officio, & ſine neceſsitate: ergo, quamvis miniſter deſtinatus, aut conſecratus ad aliquod officium peccet mortaliter adminiſtrando ſub mortali; non tamen qui non eſt miniſter ſpecialiter deſtinatus. Reſpondetur negando conſequentiam: vterque enim diſcordat a ſanctitate Sacramentorum, illorumque authoris; quamvis alias intra lineam peccati mortalis, & gravis irreverentiæ vnus aliquantulum minus peccet, quam alius. Sicut qui die prohibito manducat carnes ſuaſionibus attractus aliquantulum minus peccat intra latitudinem peccati mortalis, quam qui ſine aliqua perſuaſione carnes manducat. Adde, nullum adminiſtrare Sacramenta, qui non ſit mi-

miniſter à Deo ad hoc inſtitutus: aliàs nihil ageret : debent ergo omnes miniſtri Deo Sacramentorum authori, atque Sacramentis ipſis in ſanctitate conformari.
¶ Obijcies ſecundò: maiorem iniuriam irrogaret Regi pincerna ei manibus fœdis adminiſtrãs, quàm qui neceſsitate compulſus id munus obiret: ergo quamvis miniſter deputatus peccet mortaliter adminiſtrans in peccato, non autem qui non eſt deputatus. Reſpondetur negando conſequentiam propter dicta ad præcedens argumentum. Præterea exemplum non vrget: quia etiam reputaretur gravis iniuria illius, qui quamvis non ex officio, Regi miniſtraret immundus; ſi aliàs potuiſſet non immundus accedere: ſicut poteſt quilibet etiam laicus ſe præparare ad gratiam: vt iam declarabo.

DVBIVM XXX.

96 PEtes 30. quomodo debeat ſe præparare, ad dignè adminiſtrandum Sacramenta miniſter, qui ſentit, ſe eſſe ſub mortali? Reſpondetur, debere aut accedere ad confeſsionem, aut elicere actum ſupernaturalis contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia. Quia vno ex his duobus modis ſe diſponit vltimò ad receptionem gratiæ habitualis, aut ſanctitatis. ¶ Vnde conſtat, ad hanc præparationem non ſufficere ſupernaturalem attritionẽ; (quæ eſt deteſtatio peccatorum, aut diſplicentia de illis propter pœnas inferni, aut propter aliud ſupernaturale motivũ, quod nõ ſit divina bonitas, aut ſaltèm aliquod divinum attributum) ſed ad minus requiritur ſupernaturalis dilectio Dei ſuper omnia; aut ſupernaturalis contritio: quæ eſt diſplicentia, aut deteſtatio peccatorum propter divinam bonitatem, aut (vt ego opinor) propter aliquod Dei attributum.
¶ Conſtat etiam, non requiri neceſſario confeſsionem: cùm ad vltimò ſe diſponendum ad gratiam ſit aliud medium, nempè ſupernaturalis contritio, aut dilectio Dei ſuper omnia. Ita communiſsimè AA. contra Marſilium, & Adrianum: qui requirunt præviam cõfeſsionem illiùs, qui ſentit, ſe eſſe ſub mortali, ne in miniſtrando peccet mortaliter.

97 Dices: ad conficiendum Euchariſtiam neceſſarium eſt, miniſtrum exiſtentem ſub mortali præmittere confeſsionem: ergo ſaltèm hoc Sacramentum requirit præviam cõfeſsionem ad dignam adminiſtrationem. Antecedens docet Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Reſpondetur negando conſequẽtiam: quia confeſsio tunc requiritur, non propter adminiſtrationem, vel confectionem Sacramenti; ſed quia Sacerdos conficiens debet cõmunicare: ad cõmunionem autem præviam confeſsionẽ illius, qui præſentit mortale,

tale, requirit Tridentinũ. ¶ Contra: ergo miniſter, qui exiſtens ſub mortali diſtribueret Euchariſtiã iam ab alio conſecratam, nõ peccaret mortaliter. Reſpondetur concedendo *cum Suarez diſp. 16. ſect. 3. pro quo citat vtrumque Sotum, Navarrum, & Antoninum: quod etiam cum Vazq. tenet G. Hurt. diſput 4. diff. 9.* Vnde reijcio Silveſtrum, & Angelum citatos à prædicto Suarez dicentes mortaliter peccare Clericum, qui exiſtens ſub mortali tangit res ſacras v. g. calicem, corporalia, &c. Si enim hunc diſtribuentem Euchariſtiam liberamus à culpa, à fortiori eum excuſabimus in prædicto caſu.

Dubia incidentia.

98 SVnt AA. qui dicunt, gravem irreverentiam, aut peccatum mortale, quod reperimus in miniſtrando Sacramentũ in ſtatu peccati mortalis, oriri ex eo, quòd quis ſit ſpecialiter deputatus, aut conſecratus ad hoc miniſterium. Ita Bonac. *diſp. 1. quæſt. 3.* & Caietanus citatus *num. 93.* vbi contra prædictos AA. nonnulla incommoda inferebamus, nempè ſequi ex illorum ſententia peccare mortaliter Diaconum, qui exiſtens ſub mortali caneret Evangelium; Subdiaconum, qui cantaret Epiſtolam, Epiſcopum, qui conſecraret oleum, &c. Sed quia de aliquibus illorum extat aliqua inter AA. dubitatio, ſingula ſingillatim examinanda decrevi.

DVBIVM XXXI.

99 PEtes 31. an peccent mortaliter Diaconus, & Subdiaconus, qui exiſtentes ſub mortali, cantant ſolenniter Evangelium, & Epiſtolam? Reſpondetur negativè. Quia hæ actiones non ſunt ex opere operato ſanctificãtes: & conſequenter miniſtri non tenentur ad illas exercendas ſe vltimò diſponere ad ſanctitatem, vt ſe conforment cum authore gratiæ. Ita *Suarez, Vazq. Coninch, Ochagavia, & Bonacina, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 4. diff. 10.* ¶ Addit prædictus Hurtad. cum Vazq. & Ochagavia, nec peccatũ veniale tunc reperiri: non enim apparet præceptum, contra quod ſit tale peccatum.

100 Sed *Med. Cod. de Pœnit. tract. 1. q. 6. Angelus V. Clericus 8. Silveſter V. Clericus 2. §. 8. & Vict. de Sacr. q. 29.* oppoſitũ defendũt; & obijciunt caput vltimũ de tẽporibus ordinationum: vbi Gregorius 9 dixit, Clericos non eſſe impediendos in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, poſtquam egerint pœnitentiam: & addit, *quòd ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione divini iudicij obteſtandi, vt in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent:* ergo ſupponit Põtifex, Clericos ob peccata mortalia eſſe impeditos, aut prohibitos in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Reſp. ne-

negando conſequentiam: quia, vt benè vidit Vazq. *diſp.* 136. *cap.* 4. *num.* 49. duo in illo capite diſponuntur, nempè, & quòd Sacerdotibus interdictum cenſeatur miniſterium ordinis Sacerdotalis; necnon & quod alijs clericis ſit prohibitus acceſſus ad alios ordines; vt ex contextu apparet: præmiſerat quippè Pontifex: *Qu ódſi propoſita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alitèr aliàs notoria, non fuerint, non debent hi propter reos homicidij poſt pœnitentiam in iam ſuſceptis, aut ſuſcipiendis ordinibus impediri*: & poſtea ſubiungit prædicta verba: *Quod ſi non pœnituerint, &c.* Itaque poſtrema illa verba (*vt in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent*) ſolùm ſunt intelligenda de Sacerdotibus, quibus peccata occulta interdicunt, miſſam celebrare. Si enim de omnibus clericis (de quibus loquitur caput illud) intelligeretur, ſequeretur, etiam oſtiarium, aut quemcumque alium exercētem ordines minores peccare mortaliter, ſi exiſtat ſub mortali. ¶ Objicies ſecundò, prædicti indignè miniſtrant: ſed materia eſt gravis: ergo peccant mortaliter. Reſpondetur negando maiorem: etenim cùm non detur aliquod præceptum prohibens talem actionem in peccato mortali exercerceri, non apparet, vnde fiat indignè poſitivè, aut culpabiliter: quamvis alias decentius, aut congruentius exerceretur in ſtatu ſanctitatis.

Dubium XXXII.

101 Petes 32. an Epiſcopus, aut Sacerdos exercens Sacramentalia exiſtens ſub mortali peccet mortaliter? Reſpondetur negativè. Quia in his actionibus non eſt cauſa impertiens ſanctitatem: ergo non apparet, quare obligetur eſſe in ſtatu ſanctitatis. Vnde patet, quod Epiſcopus, aut Sacerdos conficiens chriſma v.g. conſecrans templū, calices, & benedicens paramenta Eccleſiaſtica, aquam: &c. etiam ſi ſit in ſtatu peccati mortalis, nullum peccatum committit. Ita *Suar. Vazq. Ægidius, quos citat, & ſequitur præcitatus Hurt.* ¶ Medina vero *n.* 100. citatus exiſtimat, mortaliter peccare Epiſcopum qui exiſtens ſub mortali cōficit chriſma; benedicit oleum; aut conſecrat Eccleſiam: & objicit quòd hæ actiones ſunt graves; & duæ priores videntur Sacramentales, quatenus per eas conſecratur materia Sacramenti: ergo peccat graviter, illas exercendo in ſtatu peccati mortalis. Reſpondetur negando conſequentiā: quia quantumvis graves ſint, in nulla illarum impertitur Epiſcopus gratiam ſanctificantem: & ideò non apparet, quare debeat eſſe in ſtatu gratiæ ad illas exercendas.

Dubium XXXIII.

102 Petes 33 an ſit peccatum mortale prædictas actiones (canendi ſolemniter Epiſtolam, conficiendi chriſma,&c.) ſæpiùs, longoque tempore exercere? Reſpondetur negativè. Quia in noſtra ſententia in nulla illarum actionum reperitur peccatum, adhuc veniale: ergo non apparet, vnde poſsit cõſurgere mortale ex frequẽtatione illarum actionum. ¶ Adde,quòd quamvis *cum Suarez diſp.16.ſect. 3.& cum Coninch q. 64.art.6.dub. 1. num.* 39. concederemus, veniale reperiri in aliquibus iſtarum actionum ; frequentatio tamen illarum non poſſet eſſe mortalis. Quia ex multis venialibus non poteſt (per ſe) fieri vnum mortale. ¶ Dices: frequentatio illa includit implicitum contemptũ, ratione cuius eſt peccatum mortale. Reſpondetur,hoc voluntariè dici:nec poteſt aſsignari ratio, quare potiùs in præſenti materia, quàm in mendatij iocoſi frequentatione v.g. ſit contemptus.

Dubium XXXIIII.

103 Petes 34. an concionari in ſtatu peccati mortalis ſit mortale? Reſpond. negativè. Quia non conſtat, contra quod præceptũ hoc ſit. Vnde etiã conſtat, nec eſſe veniale. Ita *Sotus, Suar. Vazq. Ochagavia,& Coninch, quos citat,& ſequitur Hurt. diſp.4 diff.11.* ¶ Sed *Caiet. q.64.art.6.& in Summa V Prædicatorum peccata* oppoſitũ defendit,& obijcit:prædicare eſt actus ordinis ſacri ex inſtitutione Eccleſiæ applicatus ordini ſacro,quamvis ex inſtitutione Chriſti D. conveniat Epiſcopo: ergo debet exerceri à perſona ſancta. Reſp. negando conſequentiã (admiſſo, eſſe actum ordinis ſacri) quia per prædicationem non dat ſanctitatem ex opere operato:& ideò nõ apparet,quare prædicans debeat eſſe in ſtatu gratiæ, & ſanctificãtis. ¶ Obijcies ſecundò ; qui prædicat in ſtatu peccati mortalis, iniuriam irrogat prædicationi: ergo peccat mortaliter. Patet conſequentia:quia materia eſt gravis. Antecedens probatur: qui enim ſic prædicat, denotat ipſo facto, prædicatores fuiſſe à Chriſto D. inſtitutos, vt ſolo verbo, & nõ opere prædicarent. Reſpond. negando antecedens. Ad probationem dico, eum, qui exiſtens ſub mortali prædicat, non denotare, Chriſtum D. inſtituiſſe prædicatores, vt ſolo verbo, & non opere prædicent: ſed prædicat in eo ſtatu;quia exiſtimat, & verè, nullo iure teneri ad prædicandum in gratia ; quamvis aliàs id eſſet convenientius,decentius, ac fructuoſius,vt ſic ſanctitas miniſtri cooperaretur,efficaciæ prædicationis.

Dubium XXXV.

104 **P**Etes 35. an contrahentes in ſtatu peccati mortalis peccent mortaliter, quatenus adminiſtrant matrimonium? Reſpondetur affirmativè. Quia ſunt veri miniſtri huius Sacramẽti à Chriſto Domino inſtituti. Sed exercent actionem productivam ſanctitatis: ergo debent, non diſcordare à Sanctitate Sacramentorum, atque Chriſti Domini eorum authoris. Maiorem ſuppono cum communiſsima ſententia, contra Canum *lib. 8. de Locis c. 5. Eſtium in 4. diſt. 26. §. 10. & Silvium in 3. p. quæſt. 42. art. 2. quæſt. 1. apud Auſonium Noctinoc compendiantem Dianam verbo Matrimonium num.* 14. vbi notat, ſententiam Cani vocari improbabilem, & nota dignam à Vazquez: & eam Rebellius appellat temerariam. Hanc noſtram concluſionem tenent Vazq. *diſp.* 136. *cap.* 3. *num.* 38. *Baſilius Pontius, Ledeſma, Navarrus, & Hurt. quos citat Diana 3. p. tract. 4. Reſ.* 199.

105 Sed oppoſitum defendunt Coninch *quæſt. 64. art. 6. num.* 38. *Fernandez de Heredia, Filliucius Laiman, Sãchez, Sotus, Gutierrez, & Villal. quos citat, & quorum ſententiam probabilem putat Diana ibi*: & obijciunt: contrahentes non ſunt miniſtri ſpecialiter ad hoc deputati: ergo non tenentur eſſe in ſtatu gratiæ, vt hoc Sacramentum adminiſtrent. Reſpondetur negãdo antecedens de deputatione facta à Chriſto Domino, à quo omnis mas, & fœmina conſtituitur miniſter matrimonij: & concedendo de deputatione ſpecialiter facta ab Eccleſia. Vnde negatur conſequentia: eo enim, quòd eſt miniſter à Chriſtõ Domino deputatus, vt in actione contrahendi ſit inſtrumentũ ſanctitatis productæ per Sacramentum, quilibet contrahens debet, non diſcordare à ſanctitate tàm Sacramenti, quàm authoris illius. ¶ Dices: ergo contrahentes in ſtatu peccati mortalis duo peccata committunt; aliud, quia Sacramentum indignè recipiunt; (de quo nulla eſt dubitatio) & aliud, quia indignè Sacramentum adminiſtrant. Reſpondetur concedendo totum: quod AA. noſtræ ſententiæ, & notant ex illa inferri, & expreſsè concedunt.

Dubium XXXVI.

106 **P**Etes 36. an ille, qui dubitat, ſe eſſe miniſtrum alicuius Sacramenti, peccet illud adminiſtrando? Reſpondetur affirmativè. Quia exponit ſe periculo nullitatis Sacramenti. Quare, cùm materia iſta ſit gravis, peccatum erit mortale contra virtutem religionis. Vnde a fortiori infertur, graviſsimè peccare eum, qui attentat facere Sacramentum, cuius non eſt legitimus miniſter: iſte enim certiſsimè nihil facit. ¶ Sed contra rationẽ,

 ... c.t

aut fundamentum noſtræ concluſionis obijcies: nullum eſt peccatum, ſe exponere periculo nullitatis Sacramenti: ergo ruit concluſio. Antecedens patet in illo, qui, inſtante neceſsitate, vtitur materia dubia: qui v. g. abſolvit ſub conditione puerum, de cuius vſu rationis prudenter dubitat; de illo, qui ſub conditione rebaptizat eum, de cuius baptiſmo prudens extat dubitatio. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: eſt enim verum, ſtante neceſsitate gravi: ſecus autem ſine illa. ¶ Dices, eſſe gravem neceſsitatem in miniſtro dubitante de ſuo miniſterio: ergo miniſtrando non peccat. Antecedēs probatur ex eo, quòd eſſet nimis grave, Sacerdotem v. g. qui dubitaret prudenter de ſua ordinatione, relinquere proplexum taliter, vt peccaret miniſtrando; & aliàs teneretur ſervare caſtitatē. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, illam dubitationem poſſe deponi: quia poſt factam prudentem examinationem, ſi adhuc prudens extaret dubitatio, ſub conditione eſſet reordinandus: ſicut ſub conditione rebaptizant puerum, de cuius baptiſmo prudenter dubitatur.

Dubium XXXVII.

107 Petes 37. an liceat miniſtrare eum, qui tantùm habet iudicium probabile, aut prudentiale, ſe eſſe legitimum miniſtrum? Reſpondetur, ſub diſtinctione. Aut enim ex tali adminiſtratione ſolùm ſequitur periculum annullandi Sacramentū: aut ſimul ſequitur grave damnū proximi in ſpiritualibus. In primo caſu licitè adminiſtrat: ſecus autem in ſecundo. Sumitur hæc reſolutio ex his, quæ docent AA. agentes de opinione, quam debent ſequi miniſtri in adminiſtratione Sacramentorum. De quo laté diſſeruimus *in tract. de Conſcientia* (nondum typis mandato) *diſp.* 4. *q.* 4. Vnde duo breviter reſumo pro deciſione huius difficultatis. Primum eſt, graviter peccare miniſtrum Sacramenti, qui circa materias, aut formas Sacramentorum vtitur opinione minùs tuta (etiam ſi ſit probabilis) in adminiſtratione Sacramenti, quod proximo eſt neceſſarium ad ſalutem. Quia quamvis communia pericula, & nocumenta imminentia caveantur ſufficienter communi, & probabili diligentia: tamen, quādo aliquod incommodum maximum, & irreparabile occurrit, recta ratio poſtulat, vt homo non ſatisfaciat communi diligentia, & quòd, ſi poteſt, omnem periculi probabilitatem amoveat. ¶ Secundum, quod ex prædicto tractatu reſumo, eſt, Sacramento nullam irreverentiam irrogari; quando miniſter vtitur opinione probabili. Quia tunc iuxta prudens iudiciū (quale eſt probabile) decenter tracta-

tractatur Sacramẽtum. Ita communior ſententia *contra Petrum Soto, Suarez, Monteſ. & Fabrum*; qui dicunt, tunc fieri Sacramento irreverentiam. Recolantur ibidem dicta. ¶ Vnde etiam adverto, quod, ſi in rei veritate aliqua materia, aut forma Sacramenti a Chriſto Domino, non fuit inſtituta pro materia, aut forma, quamvis probabilior opinio hoc affirmaret, immò quãvis in hoc conſpirarent omnes DD. in re non fieret Sacramentum; vt merito notat noſter Villalobos 1.*p.tract.*1.*diff.*13.*num.* 5. Quia materiæ, & formæ Sacramentorum ſunt de iure divino: & conſequenter ſuppleri non poſſunt authoritate Doctorum, aut iure humano. Hùc ſpectare poſſunt dicta *n.*2.

108 Igitur ex his, quæ in prædicto tractatu latiori calamo docuimus, & in præſenti reſumimus, patet vtraque pars noſtræ concluſionis. Si enim Sacramento nulla irrogatur iniuria ſequendo opinionem probabilem circa materiam, aut formam illius, quamvis aliàs immineat periculum nullitatis Sacramenti; (ſi talis materia, aut forma non fuerit aſsignata à Chriſto Domino, poterit profectò miniſter, qui ſolum habet iudicium probabile de ſua ordinatione v. g. licitè ſequi tale iudicium, & adminiſtrare, non obſtante, quòd ſi in re ita non ſit, ſe exponat periculo annullandi Sacramentum. Quia ſequendo opinionem probabilem, tale periculum parvi pendendum eſt. ¶ Item, ſi non licet ſequi opinionem probabilem circa materiam, aut formam Sacramenti, quando miniſtratur proximo Sacramentum ad ſalutem neceſsarium neceſsitate medij, (quando v. g. miniſtratur baptiſmus) quia in re tanti momenti auferenda eſt quæcunque dubitatio à ſalvatione proximi; idem profectò dicendum eſt in præſenti, nempè miniſtrum non poſſe vti iudicio; aut opinione probabili cum tanto diſpendio proximi: ſi enim in re non eſt miniſter, non fiet Sacramentum baptiſmi v. g. & conſequenter proximus excludetur à regno cœlorum, præſertim ſi parvulus moriatur.

109 Hinc infero, Epiſcopum, qui ſolùm habet probabile iudicium de ſua ordinatione in Sacerdotem, aut in Epiſcopum, illicitè ordinare alium in Sacerdotem propter ingentia, & irreparabilia incommoda, quæ ſequerentur, ſi fortè in re non eſſet Epiſcopus. Tunc enim ordinatus non eſſet Sacerdos: & poſteà ad confeſsiones approbatus invalidè abſolveret, &c.

110 Infero ſecundò, Sacerdotem, qui tantùm habet iudicium probabile de ſua ordinatione in Sacerdotem, illicitè adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ. Quia ſi in re non eſt Sacerdos, pœnitens non manebit

abſolutus: & conſequenter, ſi ante aliam confeſsionem, aut antequam eliciat ſupernaturalem contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia, moriatur, damnabitur; in caſu, quòd illa prior confeſsio facta fuit ſine contritione, ſed ſolùm cum attritione. Item in caſu, quod illa confeſſio non fuit de venialibus tantùm, aut de mortalibus iam ritè confeſsis. ¶ Excipio tamen caſum neceſsitatis moribundi, cui non ſuppeteret alius Sacerdos. Tunc enim teneretur Sacerdos miniſtrare Sacramentum. Quia aptius eſt mori cum abſolutione probabili, quam ſine illa.

¶ Item excipio caſum, in quo pœnitens ſciens, illum tantùm probabiliter eſſe miniſtrum, vellet, ab illo abſolvi. Scienti enim, & volenti nulla fit iniuria.

¶ Inſuper excipio caſum, in quo confeſsio facienda eſſet de venialibus tantùm, aut de mortalibus iam ritè confeſsis. Quia tunc ceſat grave illud periculum damnationis proximi.

111 Infero tertiò, prædictum Sacerdotē licitè celebrare. Quia dato, quod in re non eſſet Sacerdos non ſequeretur aliquod irreparabile damnum proximi.

¶ Dices talem Sacerdotem eſſe cauſam, aut occaſionem vt circumſtantes idolatrarent adorando Chriſtum Dominum, ſi in re ibi non erat: Reſpondetur, idololatriā nullam tunc committi: quia animus adorandi, & ſubmiſſio interior, ſemper habet pro obiecto formali veram excellentiā Chriſti D. Et idèò licèt actus exterior verſetur circa rem falſam, non habet rationem adorationis rei adoratæ ſecundùm quod eſt in realitate, ſed ſecundùm quod à nobis apprehenditur: qua ratione veram excellentiam habet in ratione obiecti. Recolantur dicta *in tract. de Adorat. c. 5. n. 64.*

112 Infero quarto, confeſſarium, qui habet iudicium tantùm probabile de ſua iuriſdictione, licitè excipere confeſsiones. Quia nullum tunc imminet periculum damnificandi proximum. Dato enim, quod eius opinio in re eſſet falſa; ſtaret adhuc Sacramentum confeſsionis. Quia, ſtante opinione probabili, (ſicut ſtante communi errore) Summus Pontifex confert iuriſdictionem, ne conſcientiæ fidelium graventur. Ita *Sanch. Leſsius, Bonac. & multi alij, quos citat, & ſequitur Diana 4. p. tract. 4. Reſol. 4. contra Peregrinū.* Et ratio eſt, quòd Chriſtus D. tradidit iuriſdictionē Pontifici in ædificationem Eccleſiæ. Quare Pontifex, & Eccleſia in hoc, & ſimilibus caſibus, in quibus poteſt ſupplere aliquem defectum, ipſum ſupplet, dando tacitè iuriſdictionem, quam poteſt. ¶ Sed obijcit Peregrinus: ſic operans facit contra rationem in re gravi: ergo peccat. Reſpōd. negando antecedens; qui enim habet iudicium probabile, non facit contra rationem, ſed conformiter ad illam.

¶ Ob-

¶ Obijcies ille miniſter voluntariè exponit ſe periculo faciendi irritum Sacramentum contra charitatem proximi: ergo peccat. Reſpondetur negando antecedens. Quia tunc Eccleſia, tacitè confert iuriſdictionem, & ſupplet illum defectum; (ſi in re opinio non eſt vera) vt nuper dicebamus.

113 Infero quintò, Epiſcopum, qui tantùm habet iudicium probabile de ſua Epiſcopatione, licitè miniſtrare Sacramentum confirmationis. Quia dato, q. òd in re non eſſet Epiſcopus; & conſequenter irritaretur illud Sacramentum, parum nocumẽti accreſcebat proximo: cùm illud Sacramentum non ſit ex neceſſarijs ad ſalutem. ¶ Propter eamdem rationem Sacerdos, qui tantùm habet iudicium probabile de ſua ordinatione, licite miniſtrat Sacramentum extremæ vnctionis. ¶ Excipio tamen caſum in quo moribundus non recepiſſet pœnitentiam, neque Euchariſtiam. Tunc enim poſſet pendere ſaluatio illius ex hoc, quod verum Sacramentum recipiat: in caſu ſcilicèt, quod tantum haberet attritionem de peccatis: cum qua attritione adiunctum Sacramentum extremæ vnctionis fortè conferret primam gratiam iuxta dicenda.

(.˙.)

De miniſtro, qui peccaminosè adminiſtrat Sacramenta.

Dubium XXXVIII.

114 PEtes 38. an ſit licitũ accipere Sacramentum ab eo, quem ſcio in adminiſtratione peccaturum? Reſpondetur, longè diſtrahi AA. in huius dubij deciſione. Nam *D. Thom. q. 64 art. 6. ad 2.* docet licere accipere Sacramentum a miniſtro exiſtente in peccato, quamdiu toleratur; ſecùs autem, ſi non toleratur; vt ſi ſit degradatus, excõmunicatus, aut ſuſpenſus. ¶ Caiet. autem ibidem, & Victoria reſtringentes primam propoſitionem D. Th. dicunt, licere quidẽ, quando miniſter eſt proprius Paſtor; ſecùs autem, ſi non ſit. Quia quiſque habet ius accipiendi Sacramenta à proprio Paſtore: quo iure non debet privari propter alienam malitiam. Secùs autem eſt dicendum de miniſtro, qui non eſt proprius Paſtor: quia non habet ius accipiendi Sacramentum ab illo. ¶ Alij dicunt, licere petere ab illo, qui eſt paratus miniſtrare, nõ autem ab illo, qui non eſt paratus. Quia petens ab iſto inducit eum ad peccandum; non tamen inducit primum: qui ex propria volũtate peccat. Ita philoſophari debent. qui generaliter negant, eſſe confitendam circumſtantiam inductionis ad peccandum, ſi alter ad peccandum paratus erat. Pro

qua ſententia Diana 1. *p. tract. de circumſtantijs aggravantibus Reſ.* 34. *citat Azor, Coninch, Ledeſmā, & Suar. quos ipſe ſequitur* contra *Bonacinam, Sanch. & G. Hurtad.* ¶ Sed vt benè notat Coninch. *q.64. art.6. dub. 2. n.42.* nulla ex his diſtinctionibus generatim ſatisfacit huius dubij deciſioni.

¶ Communior demùm ſententia dicit, licere accipere, immo & petere à pravo miniſtro, quando adeſt iuſta cauſa; ſecùs autem ſine illa: quamvis ſint etiam, qui affirment, ſolùm eſſe veniale petere, & accipere à pravo miniſtro, ſi inveniatur in loco publico excipiens confeſsiones aliorum, [illegible] ſi pœnitens poſſet accedere ad alium miniſtrum bonum. Ita *Diana 5. p. tract. 7. Reſol. 4. citans, & ſequens Çabreram, Martinum, Ledeſmam, & Sotum.* Et idem dicere tenentur, qui affirmant, ſolùm eſſe veniale, petere ſine cauſa honeſta pecuniam mutuatā ab vſurario parato. Ita *idem Diana ibi Reſ. 8. ſecutus vtrumque Hurtadū.* Videatur etiam idem Diana 3. *p. tract. 4. Reſol. 59. & 4. p. tract. 4. Reſol. 21.*

115 Pro deciſione autem ſuppono cum Ægidio *q. 64. artic. 6. dub. 2. n. 44.* quòd, ſi commodè poſſum accipere, aut petere Sacramentum ab alio, qui ſine peccato eſt illud miniſtraturus; teneor ex charitate, non petere, aut accipere ab eo, qui miniſtrando peccabit. Quia ex charitate teneor vitare peccatum alienum; cùm commodè poſſum. ¶ Quòd ſi alter eſſet mihi multo minùs vtilis, eo quòd indoctior; ideoque non poſſet ſatisfacere difficultatibus proponendis, aut minùs ſecurè; aut notabiliter minus poſſet me in ſpiritu dirigere, aut eſſet valde moroſus, &c. non teneor cùm tanto meo incommodo hunc eligere, aut alienum peccatum evitare. ¶ Inſuper ſuppono cum eodem Coninch *ibi n.* 45. quod, quando non conſtat mihi moraliter, ſacerdotem, quē cuperem adire, malè adminiſtraturum Sacramētum, debeo ſupponere, eum benè adminiſtraturum. Quicumque enim præſumitur bonus, donec cōſtet, eſſe malum. Neque ad id ſufficit, me ſcire recens lapſum in mortale: quia debeo credere eliciuiſſe iam contritionem; aut eliciturum, antequam conferat Sacramentum; maximè ſi videam eum ſponte ſe exponentem ad Sacramenta miniſtranda; niſi noſſem, eum iam diu alicuius peccati conſuetudine ſine cura ſalutis teneri.

116 Igitur loquendo de illo, quem certo ſcio peccaturum adminiſtrando Sacramentum, & alias non eſt excōmunicatus (de iſto enim erit ſermo à num. 117) dico: ſemper poſſum petere, & accipere Sacramentum ab illo, quando aliqua mea neceſsitas, aut vtilitas notabilis id exigit, ſivè ſit parochus, ſivè non; ſivè ſit paratus, ſivè non. Quia petens, aut accipiens ab illo eum

non ſcandalizo, aut non induco ad peccandum. Peto enim, aut accipio ab eo id, quod ipſe ſine peccato poteſt adminiſtrare, diſponendo ſe ad gratiam ſanctificantem per contritionem, dilectionem Dei, aut confeſsionem. Quare ex ſe ipſo peccat, & non inductus ad peccandum; & paſſive ſcandalizatur. Nemo autem tenetur, id, quod ſibi eſt vtile, omittere, vt evitet ſcandalum paſsivum alterius. Confirmatur ex communi doctrina dicentium, licitè peti mutuum ab vſurario. Item licitè ſe ornare fœminam iuxta patriæ conſuetudinem, quamvis certò prævideat, ab aliquo laſcivè eſſe appetendā. Inſuper licitè peti iuramentum à barbaris, quos ſcio per Deos falſos iuraturos. Igitur ſicut iſta multaque alia, vbi alius eſt certiſsimè peccaturus, poſſumus licitè facere, ſi aliqua iuſta cauſa, aut vtilitas interveniat ita in præſenti. Sic *Suarez diſput.* 18. *ſect.* 2. *Coninch quæſt.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. *num.* 43. *Bonac. diſput.* 1. *quæſt.* 6. *puncto* 1. & *Gaſpar Hurt. diſp.* 4. *diffic.* 12.

Dubium XXXIX.

117 PEtes 39. an ab excommunicato non tolerato licitè poſsit peti, & recepi Sacramentum? Reſpond. negativè. Quia Eccleſia prohibet communicare cum illo, præcipuè in rebus ſacris. (Vocant excommunicatum non toleratum eum, quem Eccleſia vitandum denuntiavit: quod fit publicando eius excommunicationem: aut qui notoriè eſt excommunicatus propter percuſsionem clerici.) Quare, cùm communicatio in ſacris ſit res graviſsima, frangere hoc præceptum, erit mortale.

118 Ab hac concluſione excipitur articulus mortis, in quo poſſum recipere baptiſmum; vt expreſsè docet Auguſtin. *lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 2. *& refertur in cap. Si quem forte* 24. *quæſt.* 1. Item tunc poſſum recipere pœnitentiam: vt clarè inſinuat Tridentinum *ſeſ.* 14. *cap.* 7. docens, quod *nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Et ratio huius permiſsionis eſt ingens neceſsitas horum Sacramentorum in illo articulo. Quia quamvis abſolutè poſsit quis ſalvari eliciendo contritionem ſupernaturalē, aut dilectionem Dei ſuper omnia. Tamen difficile eſt, hanc elicere; & conformius eſt fragilitati noſtræ elicere attritionē ſupernaturalē; quæ coniuncta cū Sacramēto eſt vltima diſpoſitio ad ſalutem.

119 Hanc exceptionem extēdo ad articulum mortis prudentialiter præſumptum. Quia concilium abſolutè loquitur de articulo mortis. In iure autem articulus mortis dicitur periculoſa

infir

infirmitas, &c. ſivè ſequatur mors, ſivè non. Et ideò in aliquibus textibus dicitur, quid facere debeat excommunicatus, qui in articulo mortis abſolutus fuit ab excommunicatione reſervata; ſi aliàs mors non fuit ſequuta. Ita noſter Villal. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 44. *num.* 6. *citans Ledeſmam, & Henriq. atque noſtros Rodriguez, & Cordubam.*

120 Extendo etiam prædictā exceptionem ad periculū mortis. Quia in periculo mortis currit eadem ratio, ac in articulo, nempè ingens neceſsitas Sacramentorum baptiſmi, & confeſſionis. Ita *præcitatus Villalobos, num.* 8. *citans Navarrum, Silveſtrum, Antoninum, Adrianum, Rodriguez, Mancium, Guevaram, Henriq. & Suar. (contra Sotum, Covarrubias, & Canum) Ita etiam Diana* 5. *part. tract.* 3. *Reſ.* 58. *alios citans.* ¶ Sunt, qui diſtinguant duplex periculum mortis: aliud, in quod quis incidit morali neceſsitate coactus: vt cùm bellum, aut navigationem aggreditur ex neceſsitate morali. Aliud eſt, quod quis omninò voluntariè aſſumit; vt, cùm quis ſine aliqua cauſa, aut neceſsitate bellū, aut navigationē aggreditur. Igitur *Sanchez, Trullench, & Ludovicus à Cruce* (citati à Diana *ibi Reſ.* 59.) exiſtimant, ſolùm in periculo mortis, in quod quis neceſsitate coactus incidit, poſſe abſolvi ab excōmunicato non tolerato: non autem quando quis tale periculum voluntariè aggreditur. Tūc enim (inquiūt hi AA.) non dicitur quis propriè in mortis periculo conſtitutus: cùm ipſe ſponte velit ſe cōſtituere. Tamen ego abſolutè aſſero, in quocumque periculo mortis poſſe quempiam abſolvi ab excōmunicato non tolerato. Quia AA. communiter ſine tali reſtrictione loquuntur. Secundò, quia in quocumque articulo mortis licet recipere Sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato non tolerato propter Tridētinum *num.* 118. citatum: & nemo diſtinguit de articulo, in quo quis reperitur voluntariè, aut neceſsitate compulſus: ergo neque de periculo eſt diſtinguendum. Idem argumentum conficio in materia ieiunij. Non enim tenetur lege ieiunij ille, qui moraliter ieiunare non poteſt, quamvis aliàs voluntariè talem impotentiam incurrerit: ergo a ſimili in præſenti: qui eſt in periculo mortis, poteſt ab excommunicato non tolerato abſolvi, etiam ſi in tali periculo omnino voluntariè reperiatur. Etiam enim tunc propriè dicitur in periculo mortis conſtitutus.

121 Dices: poteſt quis, vt effugiat obligationem præcepti ieiunij trāſire ad alium locum propinquum, vbi tunc non ſervatur ieiunium: ergo poterit quis, data opera, ſe conſtituere in periculo mortis, (v. g. aggrediēdo bellum periculoſum, navigationē, &c.)

&c.) vt ſic poſsit à quocumque abſolvi à quacumque cenſura. Antecedens docet Diana 1. *part. tract.* 9. *Reſol.* 19. *cum Fagundez* dicens, eſſe ſententiam probabilem, & ſecuram in praxi. Conſequentia autem patet à ſimili. Reſpondetur permittendo conſequentiam. Itaque non diſputo, qua conſcientia, vel culpa iſte ex fine gaudendi privilegio abſolutionis conceſſæ in articulo mortis (& ab Authoribus ad periculū mortis extenſo) ſe conſtituerit in tali periculo; aſſero tamen, quòd verè iam in illo conſtitutus gaudet prędicto privilegio, & poteſt à quocumque abſolvi: ſicut ille, qui temerariè, & culpabiliter ſe expoſuit mortis periculo (v.g. agitando tauros, aut alium provocando ad bellum, &c.) iſte enim, ſi iam verè exiſtit in articulo mortis, à quocumque abſolvitur. Vnde patet, diſparitatem inter fugientem obligationem ieiunij, & noſtrū caſum ſtare in hoc, quòd primus non peccat, nec propriè operatur in fraudem legis, ſed fugit obligationem legis per medium, quod non eſt illicitum, aut ſibi prohibitum. In noſtro autem caſu non quidem peccat volendo fugere, aut fugiendo obligationem non confitendi cū alio, quàm cum proprio paracho, aut volendo frui privilegio eligendi quemcumque, ſed peccatum aliquando ſtabit in eligendo medium, nempè periculoſum bellum, navigationem, &c. vt vtatur prædicto privilegio. ¶ Dixi autem conſulto, *peccatum aliquando ſtare, &c.* nam abſtineo à quæſtione illa, *vtrum omnino voluntariè aggredi periculoſam navigationem ſit illicitum?*

122 Extendo etiam prædictā exceptionem ad ſimplicem Sacerdotem: quem affirmo poſſe tunc eligi ad vtendum prædicto privilegio. Quia tunc nulla eſt reſervatio, & poſſunt omnes Sacerdotes abſolvere quoslibet pœnitentes: vt concedit Tridentin. *num.* 118. citatum: ergo ſi tunc adeſſet ſimplex Sacerdos, quāvis aliàs eſſet excommunicatus non toleratus, poſſet eligi in confeſſorem. Sic philoſophari tenentur Villalobos *num.* 119. *ibi n.*9. citans *Navarrum*, *Ledeſmam*, & *Rodriguez*, necnon & Diana 1. *p. tract.*5. *Reſolut.* 5. citans multos alios, qui affirmant, in articulo, & periculo mortis poſſe virtute Tridētini eligi ſimplicem Sacerdotem in præſentia alterius confeſſoris, etiam proprij Paſtoris adhuc contradicentis. ¶ Dices: ergo ſimplex Sacerdos excommunicatus non toleratus etiam poſſet tunc eligi ſecundum hos AA. & veritatem, etiam præſente, & contradicēte Parrocho, vel ſaltē præſente alio miniſtro idoneo. Reſpondetur concedendo totum. Nec tunc peccaret eligens, aut electus in confeſſorem: quia eo ipsò ac concedit Eccleſia, poſſe tunc eligi quemcumque (& conſequenter etiam excommuni-

n[illegible]nicatum non toleratum) reddit illum habilem ad illud miniſterium. Quare nec eligens invitat electum ad illicitum; nec electus illicitum, aut prohibitum exercet. Legantur dicenda *à num.* 127.

DVBIVM XL.

123 PEres 40. an in articulo, aut periculo mortis poſſit ab excommunicato non tolerato licitè recipere alia Sacramenta à baptiſmo, & pœnitentia? Reſpõdetur affirmativè. Itaque ſi aliquis fidelis in articulo mortis cõſtitutus non potuit recipere Sacramentum pœnitentiæ, poteſt à miniſtro excommunicato non tolerato recipere Euchariſtiam; & ſi non potuit recipere Euchariſtiam, poteſt recipere extremam unctionem, ordinẽ confirmationem, aut matrimonium. Quia probabilis ſententia fert, Sacramenta vivorum per accidens cauſare primam gratiam in ſubiecto diſpoſito per ſupernaturalem attritionẽ, ſi alias inculpabiliter non poteſt recipere Sacramentum pœnitentiæ, aut ipſum recepit informe. Sed poteſt contingere, quod ille fidelis in articulo mortis conſtitutus, qui nõ poteſt recipere Sacramentũ pœnitentiæ, habeat attritionem ſupernaturalem: (imo regulariter præſumendum eſt, illam habere) ergo applicandum eſt illi Sacramentum aliquod vivorum, vt forte cum illo ſalvetur; ſeu fiat ex attrito contritus (æquivalenter, ſeu quantum ad valorem) virtute præ[illegible] Sacramenti. Ita *G. Hurt. diſp. 4. diff.* 12.

124 Sed oppoſitum defendit Coninch (non multum conſtans) *q.* 64. *artic.* 6. *dub.* 2. *n.* 7. *cum aliquibus alijs*: & obijcit: Eccleſia abſolutè nobis prohibet cum excommunicato non tolerato cõmunicare, præcipuè in rebus ſacris; nec alicubi hunc caſum excipit pro articulo mortis: ergo vult, etiam pro tunc obligare ſuum præceptum. Confirmatur, quia Sacramenti vivorum non eſt tãta neceſsitas: ergo, ex eo, quod Eccleſia permiſerit recipi ab excõmunicato non tolerato pœnitentiæ Sacramentum, aut baptiſmi in articulo mortis, non eſt inferẽdum, idem velle de alijs Sacramentis. Reſpond. negando conſequentiam, quia currit eadẽ ratio in præſenti caſu de quocumque Sacramento vivorum, ac de pœnitentia, nempe difficilẽ eſſe contritionem; & ſic poſſe cõtingere, quod ſalvetur homo cum attritione, & reali ſuſceptione alicuius Sacramenti. Quare nos prudentiſsimè interpretamur, id velle Eccleſiam in articulo mortis. (quod & ad periculum mortis eſt extendendum iuxta dicta *num.* 120.) ¶ Ad confirmationem nego antecedens: quando enim non poteſt recipi pœnitentiæ Sacramentum, currit eadem ratio ad recipiendũ aliquod

ex Sacramentis vivorum, vt, ſi iſtud coniungatur cum attritione, homo ex attrito fiat contritus, (æquivalenter) & ſalvetur.

125 Dices: ergo idem dicendum eſt de illo, qui non recepit baptiſmum; & aliàs ſe ſentit attritum: ſi enim iſti adiungatur realis receptio alicuius Sacramenti vivorum, ex attrito fiet contritus, & ſalvabitur. Reſpond. negando totum: quia, qui non eſt realiter baptizatus, nondum eſt adſcriptus in familia Chriſti D. ſeu non intravit in eius familiā: (eſt enim baptiſmus ianua Sacramentorū Chriſti Domini) & conſequenter non eſt capax recipiendi alia Sacramenta. ¶ Contra: adultus poteſt elicere ſupernaturalē contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia ante realem ſusceptionem baptiſmi fluminis, aut aquæ: ergo recipere poteſt gratiā, & conſequenter ius ad gloriam ex meritis Chriſti D. ergo ſi tunc moriatur, ſalvabitur ſine reali ſuſceptione baptiſmi fluminis: ergo ſine baptiſmo aquæ quis adſcribitur in familia Chriſti D. ergo ſimiliter ſine baptiſmo aquæ poteſt recipere alia Sacramenta. Reſpondetur diſtinguēdo penultimum conſequens: eſt enim verum de familia Chriſti D. Eccleſiæ Triumphanti: falſum autē de familia Chriſti D. Eccleſiæ Militantis: & ideò negatur vltima conſequentia: cùm enim nō fuerit adſcriptus in Eccleſia Militante, nequit vti Sacramentis illius. Vnde conſtat, quod longè latior eſt familia Chriſti Domini, quæ dicitur, & eſt Eccleſia Triūphans, quàm eſt familia eius, quæ dicitur, & eſt Eccleſia Militans: huius enim membra ſolùm ſunt, qui realitèr receperunt baptiſmum, & fidem Catholicam. Membra autem Chriſti D. Eccleſiæ Triūphantis ſunt omnes, qui ex meritis Chriſti Domini ſunt in illa feliciſsima patria. Et cùm ex meritis Chriſti D. habuerint gratiam ſanctificantem, & gloriam eſſentialem omnes homines, necnon & omnes Angeli; (vt probavimus *in tract. de Incarnat. cap. 7. diff. 7. à num. 22. & cap. 9. diff. 1. à num. 36.*) fit, vt membra Chriſti Domini in Eccleſia Triumphāte ſint homines quotquot ibi ſunt, ſivè realiter receperint baptiſmum, ſive non.

126 Inſtabis: ex Tridentin. *ſeſſion 6. cap. 7. in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum accipit homo fidem, ſpem, & charitatem.* Sed forma, qua quis efficitur membrum Eccleſiæ Militantis, eſt fides: ergo adultus: qui ante baptiſmum aquæ iuſtificatur per contritionem, aut dilectionem, recipit fidem: ergo eſt membrum Eccleſiæ Militantis: ergo eſt capax recipiendi Sacramenta, quamvis non receperit baptiſmum in re. Reſpond. diſtinguendo minorem: (& negando conſequentias) ſi adiungatur realis ſuſceptio baptiſmi, concedo:

aliàs,

aliàs, nego. Et ratio eſt, quòd hæc Eccleſia eſt viſibilis: & conſequẽter quodlibet eius mẽbrum debet eſſe viſibile, vel à forma; vel ab aliquo connotato illius, quod eſt realis ſuſceptio baptiſmi.

¶ Adde, forte characterem baptiſmalem eſſe formã conſtituentem membrum Eccleſiæ Militãtis. Qui character neceſſariò cõnotat realem ſuſceptionem baptiſmi. Aut ſi character baptiſmalis non eſt forma, ſed hoc convenit fidei ſupernaturali; iſta tamen debet connotare illum characterem, vt aliquem cõſtituat membrum Eccleſiæ. Cuius non eſt alia ratio, quàm voluntas Chriſti Domini ſic diſponentis: cuius volũtatis diſpoſitio conſtat nobis ex Eccleſia, Patribus, & Authoribus conſpirantibus in hoc, quod baptiſmus eſt ianua Eccleſiæ, & Sacramentorum illius. Et ideò quãdiù homo realitèr non receperit baptiſmum aquæ, remanet incapax recipiendi aliquod aliud Sacramentum.

Dubium XLI.

127 Petes 41. an ab excommunicato tolerato liceat recipere Sacramenta? (Toleratum vocant illum, qui etſi verè ſit excommunicatus; tamen nec eſt notorius Clerici percuſſor; nec eſt ab Eccleſia denunciatus.) Reſpondetur affirmativè. Itaque, attenta vi excommunicationis illius, qui ab Eccleſia toleratur, licitum eſt mihi ſine vlla cauſa, aut neceſsitate petere, & recipere ab illo Sacramenta, ſi prudenter exiſtimem, (vt regulariter debeo exiſtimare) iam elicuiſſe contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia, aut ſaltèm illam eliciturum ante adminiſtrationẽ Sacramenti. Et ratio eſt, quòd *in decreto cõcilij Conſtantienſis, & Martini* 5. datur facultas fidelibus, vt ſine ſcrupulo communicent in ſacris cum excommunicato tolerato: ergo quamvis iſte favor, aut privilegium directè concedatur fidelibus, ne ſcrupulis irretiãtur; indirectè tamen conceditur excommunicato, vt ipſe ſine culpa poſsit adminiſtrare illis Sacramenta, quãdo ea ab ipſo petunt. Patet conſequentia: ſi enim ipſe miniſtrando peccaret, nõ poſſent fideles ſine ſcrupulo ab illo petere, & accipere Sacramenta; alioquin cooperatẽtur peccato illius; niſi aliqua neceſsitate excuſarentur, iuxta dicta *à num.* 115.

¶ Rem exemplo explicat Hurtado de Mendoza citandus. Si detur mihi facultas, vt omnes mei commenſales poſsint veſci carnibus diebus prohibitis: illa facultas mihi datur directè, vt ego poſsim, quos velim invitare; indirectè vero, & conſequenter redundat in favorem commenſalium: quia non poſſem ego illo privilegio frui, quin illi poſſent licitè carnibus veſci; quibus veſci non licet, niſi à me invitentur. Ita non licet Sacerdoti excõmunica-

nicato tolerato adminiſtrare Sacramenta, neque communicare cũ alijs, niſi invitetur a non excõmunicato; ſi tamen ego non excommunicatus ab eo petiero aliquam actionem Sacramentalẽ, licite poteſt [illegible] exercere (ſuppono elicuiſſe actum dilectionis Dei, aut ſupernaturalem contritionẽ [illegible] peccato mortali; propter quod fuit excommunicatus. Quia ſuppono etiam excommunicationem maiorem præſupponere peccatum mortale.) Et ideo ego ſine aliqua cauſa, aut neceſsitate poſſum petere Sacramenta ab illo excommunicato; quia etſi alias ſit ei prohitum, adminiſtrare Sacramẽta: & conſequenter mortaliter peccaret illa adminiſtrando: in præſenti tamen caſu illi nõ eſt prohibitum: & conſequenter neque venialiter peccat in dicta adminiſtratione. Ita *Sanch. in Matrim. lib. 7. diſp. 9 num.* [illegible] *& Petrus Hurtado de Mendoza in 2. 2. diſp. 173. ſect. 18 §. 249.* [illegible] *ſequitur Diana tom. 5. tract. 7. Reſ. 4.* ¶ Qui Diana ibi bene infert ex prædicta doctrina, (contra Granados) dictum Sacerdotem excommunicatum adſcribendo petentem adminiſtrationem Sacramenti non incurrere irregularitatem.

128 Sed Sacramentũ non eſſe petendum ab excommunicato, etiam tolerato docent [illegible] *Baſilius Pontius, & Granados citati ab eodem Diana ibi*: & [illegible] nt: tunc petitur Sacramẽtum ab eo, qui adminiſtrãdo eſt peccaturus: ergo petens peccat, eiuſque petitio habet rationem ſcandali activi. Patet conſequentia: quia petitur id, quod male, aut peccaminoſe eſt agendũ. Antecedens autem conſtat: non enim eſt in ſua poteſtate abſolvi ab excommunicatione: (vt ſuppono) excõmunicatum autẽ adminiſtrare eſt, peccatum mortale. Reſpond. negando antecedens: [illegible] dico, in noſtro caſu prædictum excommunicatum [illegible] alia abſolutione, [illegible] Eccleſia conceſſa in bonum fidelium: vt conſtat ex probatione noſtræ concluſionis.

Dvbivm XLII.

229 PEtes 42. (incidenter quidem) an liceat miniſtrare Sacerdoti celebranti in mortali? Reſpondeo affirmative. Quia hoc non eſt [illegible], aut cooperari [illegible] Sacerdotis; ſed iuvare ad [illegible], quam tamen a[illegible] præter ſuam malitiã indebite exercet. Ita *Granados, quos citat Suar. & Henr. cuius ſententiam ſequitur Diana 5. p. tract. 7. Reſ. 4 §. Non de*[illegible] *etiam Ochagavia* [illegible] *Sacramentis in genere* [illegible] *24* [illegible] *n. 5.* ¶ Idem omnino dicendum eſt de illo, qui adminiſtrat Epiſcopo exercenti ordines in peccato mortali. ¶ Limitat tamen hæc Ochagavia; nempe ſolum eſſe vera, quando miniſtrans requit cõ[illegible]

de evitare miniſterium illud: aut quia, ſi eſt famulus, expelletur à domo; aut quia cauſabit ſcandalum, ſi miniſter ſe excuſet à miniſtrando. Quod fere ſemper cõtinget. Et ideo minus ſcrupulosè in hac re eſt procedendum.

CAP. IIII.

De Sacramentorum effectibus.

IN Sacramentis legis gratiæ tres effectus reperimus, nempè gratiam ſanctificantem, & gratiam Sacramentalem, qui effectus omnibus, & ſingulis Sacramentis [illegible] legis ſunt communes, [illegible] & characterem, qui eſt ſpecialis effectus baptiſmi, confirmationis, & ordinis. De quibus omnibus ſingillatim eſt in hoc capite tractandum.

De effectu communi omnibus Sacramentis, qui eſt gratia ſanctificans.

Dubium I.

1 PEtes primò quid ſit gratia iuſtificans, aut ſanctificans? Reſpondetur, eſſe quemdam habitum, quo expellitur peccatum mortale a ſubiecto, in quo ille ponitur. Dicitur autem ille habitus gratia: quia gratis confertur: quamvis enim de facto non conferatur adulto, niſi præcedat in ſubiecto, cui confertur, ſupernaturalis contritio, dilectiovè Dei ſuper omnia, aut realis receptio Sacramenti ſimul cum attritione ſaltem, ita non aliquid illorum promeretur de condigno infuſionem prædicti habitus, ſed ſolum de congruo. In infantibus nullum meritum præcedit. ¶ Prædicta autem gratia dicitur ſanctificans, quia expulſo peccato mortali, reddit ſubiectum ſanctum: [illegible] enim Dionyſ. *de divinis nominibus c. 12. ſanctitatem [illegible] liberam, & immaculatam puritatem.* ¶ Item gratia illa [illegible] iuſtificans, quia ſubiecto, cui confertur, tribuit ius ad vitam æternam. Subitque prædictus habitus gratiæ alias excellentiſsimas denominationes, quas Scriptura, & PP. paſsim attribuunt. De quo *in tract. de Gratia.*

Dubium II.

2 PEtes ſecundò quotuplex ſit gratia ſanctificans, & à quo Sacramento utraque cauſetur? Reſpond. dividi in primam, & ſecundam. Primam appellant illam, quæ in ſubiecto non ſupponit aliam. Secundam autē, aut augmentum gratiæ, quæ aliam ſupponit in ſubiecto, cui infunditur. ¶ Eſt ergo certum, baptiſmum, & pœnitentiam ex ſua inſtitutione eſſe collativa primæ gratiæ. Et ratio eſt inſtitutio divi-

na

ſiá per Eccleſiam manifeſtata. Et ideo à Patribus, & Scholaſticis baptiſmus, & pœnitentia vocitãtur Sacramenta mortuorum, id eſt, collativa gratiæ vivificatricis à culpa mortali: quæ eſt mors ſpiritualis animæ: & conſequenter gratia collata vi baptiſmi, aut pœnitentiæ non præſupponit ex vi ſua gratiam in anima. ¶ Inſuper eſt certum Sacramẽta baptiſmi, & pœnitentiæ conferre ſecundam gratiam, quando reperiunt iam primam in ſubiecto: vt contingit in adulto, qui ante receptionem baptiſmi elicuerat ſupernaturalem contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia; & paſſim in iuſto, qui vtitur Sacramento pœnitentiæ. Et ratio eſt, quod omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem: ergo, quando baptiſmus, aut pœnitentia reperiunt in ſubiecto primam gratiã, (quam ex ſua inſtitutione, aut ex primaria intentione inſtituentis debebant conferre) conferunt ſecundam.

3 Eſt etiam certum, cætera quinque Sacramenta (nempè Euchariſtiam, confirmationem, ordinem, matrimonium, & extremam vnctionem) eſſe collativa ſecundæ gratiæ, & illam conferre dignè recipienti. Quia omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicẽ: ſed iſta ex ſua inſtitutione, ſeu ex primaria intentione inſtituentis non conferunt primam: ergo cõferunt ſecundam. Conſequentia eſt legitima. Maiorẽ definit Trident *ſeſ.7.can.6.* Minor autẽ cõceditur ab omnibus ex eo, quod prænumerata quicumque Sacramenta ſunt Sacramenta vivorũ; hoc eſt, debent recipi a ſubiecto habente vitam ſpiritualẽ animæ: quæ eſt gratia ſanctificans.

4 Ex quibus conſtat, commune eſſe omnibus Sacramentis legis novæ conferre gratiam ſanctificantem, ſeu iuſtificantem; diſtributione tamen accommoda: nam baptiſmus, & confeſsio, ſeu pœnitentia Sacramentum ex vi ſuę inſtitutionis aut per ſe ſunt collativa, aut cauſativa primæ gratiæ; ſecundam autem conferunt per accidens forte, & ex ſecundaria intentione inſtituentis. Quinque vero reliqua Sacramẽta conferunt ſecundam gratiam ſaltèm ex primaria intentione. Vtrùm autem per accidens, & fortè ex ſecundaria intẽtione inſtituentis poſsint Sacramenta vivorum conferre primam gratiã dicam *à n.8.*

Dubium III.

5 Peres tertio, an Sacramenta mortuorum de facto conferant primam gratiam adulto, qui ad illa accedit cum attritione tantùm, de qua ſibi conſtat? Reſp. affirmativè. Quia ad dignã receptionem pœnitentiæ, ſufficit attritio pro diſpoſitione: (idem à ſimili dico de baptiſmo) ergo etiam ſi non accedat quis cũ

contritione, aut dilectione Dei, recipiet effectum huius Sacramenti. Patet conſequentia: quia ponit ſufficientem diſpoſitionē, etiam ſi non ponat perfectiſſimam. Antecedens autem diffinit Tridentinum [illegible] ſeſſ. 14. c. 4. & prædocuerat Scotus *in 4. diſt. 14. q. 2. §. De ſecundo à verſ. Ad huius intellectum*. Hanc concluſionem defendunt *Suar. diſput. 7 ſect. 2. Vazq. diſp. 158. c. 4. à num. 32. & communis* [illegible] *ſententia.*

6 Sed oppoſitum defendunt *Gab. in 4. diſt. 4. q. 2. art. 2. Maior, Petrus de Soto, &* [illegible] *relatus à Suarez*: & obijciunt: adultus accedens ad Sacramēta mortuorum poteſt ſe diſponere per ſupernaturalem contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia: & conſequenter poteſt accedere ad Sacramentum in ſtatu gratiæ: ergo, dum ſolum cum attritione accedunt, [illegible] extra Sacramentum non excluditur peccatum mortale; [illegible] ſeu cum obice accedunt: & conſequenter non recipiunt gratiam. [illegible] conſequentiam [illegible] ſufficientem diſpoſitionē, [illegible] attritionem. Vnde patet, quod ad dignam receptionem Sacramentorum baptiſmi, aut pœnitentiæ non requiritur, quod ea recipiens accedat in ſtatu gratiæ; ſed quod de peccatis perſonalibus, ſeu a ſe commiſſis habeat diſplicentiam, ſaltem imperfectā, ſeu attritionē; quæ ſimul cum Sacramento vltimo diſponit ad infuſionē gratiæ: ſicut extra Sacramentum vltimò diſponit ſupernaturalis contritio, necnon & dilectio Dei ſuper omnia. Vnde etiam conſtat, baptiſmum, & pœnitentiam dici Sacramenta mortuorū: quia pro ſpiritualiter mortuis ſunt inſtituta; poſſuntque a mortuis prędicta digne, & fructuose recipi; ſicque paſsim recipiuntur, præſertim pœnitentia.

7 Nota demum, quòd poſtquā Tridentin. ſeſſ. 14. [illegible], ſufficere pro diſpoſitione Sacramenti pœnitentiæ [illegible], vel ſaltem a ſimili pro diſpoſitione baptiſmi attritionē, quæ ſit donum [illegible] *Maiora, Vega, Cordub.* [illegible] *apud* [illegible] *1. p. tract. 9. diff. 23.* attritionem exiſtimatam contritionem requiri ad confeſsionē. Nulla tamen concluſio hæc non [illegible] attritionem cognitam, vt talē, eſſe ſufficientem diſpoſitionē ad dignam receptionem Sacramenti pœnitentiæ (& a [illegible] loquendo [illegible]) Quod adeo [illegible] [illegible] vt aſſimilet hunc errore [illegible] ex Soto notat præcitatus Villalobos.

Dvbivm IV.

8 Pręguntatvr an Sacramenta viuorum habeant vim cōferendi primam gratiam? [illegible] pōd. affirmatiuè. Quia Sacramēta mortuorum (nempe baptiſmus, & pœnitentia) habent vim

vim conferendi ſecundam, eamque de facto conferunt, quoties reperiunt ſubiectum iuſtificatũ: ergo à ſimili Sacramenta vivorum conferent primam gratiam recipienti, qui primam non habet, & aliàs accedit cum attritione ſupernaturali, necnon & cum bona fide exiſtimans eſſe in ſtatu gratiæ. Ita *Coninch quæſtion. 62. art. 1. dub. 2. num. 42. citans Navarrum, Henriq. Caiet. & Suar. Tenent etiam Reginaldus tom. 2. lib. 26. num. 45. Diana 5. part. tractat. 13. Reſolut. 31. & Auſonius Noclinot verbo Sacramentum num. 8.*

9 Sed oppoſitum defendunt *Vazq. & G. Hurt. diſp. 3. diff. 4.* (qui tamen excipit extremã vnctionem) & obijciunt: ſi in ſtomachum mortui mittatur cibus, non cibat, aut nutrit, etiam per accidens: ergo neque Sacramentum vivorum cauſabit primam gratiam adhuc per accidens. Reſpond. negando conſequentiam: diſparitas autem eſt, quod poſt receptionẽ cibi in ſtomacho homo circa cibum efficit aliquid, nempè actuationem, & converſionem: quod efficere non valet mortuus. At recipiens Sacramentum nullam aliam actionẽ, præter ipſam receptionẽ, habet circa illud: quare ſemel applicatũ conferet gratiam vivificativam.

¶ Obijcies ſecundo, Sacramẽta vivorum conferre poſſunt primam gratiam: ergo etiam imprimemt characterẽ illa Sacramenta, quæ ad hoc nõ ſunt inſtituta. Reſpond. negando conſequentiam: quia character, & gratia non connectuntur, neque habent aliquam affinitatẽ; ſicut habent gratia prima, & ſecunda in omnium ſententia: immò in noſtra (*n.* 12. explicanda) idemmet gradus gratiæ dicitur prima gratia, quando in ſubiecto non reperit gratiam; & quando illam reperit, dicitur ſecunda.

10 Dices: ergo ſi non baptizatus exiſtimans eſſe baptizatus reciperet Euchariſtiam, v. g. reciperet characterem, aut ſaltem gratiam ſanctificantem. Reſpondetur negando non ſolùm de charactere, quẽ Deus ſolùm imprimit intuitu illorum Sacramentorum, quæ ad hoc inſtituit: qualia ſunt baptiſmus, cõfirmatio, & ordo. Immo hi characteres ſunt adeò diverſi, vt vnus nequeat conferri virtute alterius Sacramẽti: quare ſi non baptizatus reciperet confirmationem, non conferretur illi character baptiſmalis: neque ille, qui non eſt confirmatus, ſi ordinaretur in Sacerdotem, reciperet characterem confirmationis. Quod approbat praxis Eccleſiæ: ſi enim quis ordinatur ante confirmationem, illi poſtea confert Sacramentum confirmationis: quod non poſſet fieri, ſi iam recepiſſet characterem cõfirmationis: quia character reddit incapax ſubiectũ in poſterum recipiẽdi illud Sacramentũ, quod imprimit talem characterem. Et ideò

baptiſmus, confirmatio, & ordo nequeunt reiterari; quia imprimunt characterem. ¶ Igitur propter hæc nego conſequentiā de charactere. Nego etiam illam de gratia tàm ſanctificante, quàm Sacramentali: eo quod Sacramēta ſolùm poſſunt fructuosè applicari illi, qui ingreſſus eſt per ianuā Eccleſiæ: quæ eſt realis ſuſceptio baptiſmi.

Dubium V.

11 Petes quintò, vnde Sacramenta vivorum habeant poſſe cauſare primam gratiam? Reſpond. in duos modos philoſophandi (mihi probabiles) dividi AA. noſtræ ſententiæ *n* 8. relatos. Primus eſt illorū, qui exiſtimant, Sacramenta vivorū hoc habere per ſe, & ex primaria inſtitutione ſua ſecundùm rationem genericam Sacramenti; quamvis ſecundùm rationem ſpecificam fuerint inſtituta ad conferendum augmentum gratiæ, aut ſecundā gratiam. Quia quodcumque Sacramentū fuit inſtitutum ad conferendum ex opere operato gratiā non ponentibus obicē: vt cōſtat ex Trident. *ſeſ.*7 *can.* 6. & 8. Sed qui accedit cum attritione ſupernaturali non ponit obicem, immo ponit diſpoſitionē requiſitam ad gratiam Sacramentalē: ergo illam recipit virtute Sacramenti. Probatur minor: attritio enim ſimul cum reali ſuſceptione Sacramenti fit contritio: (æquivalenter, ſeu quātum ad hoc, quod eſt eſſe vltimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem) ergo ſicut contritio eſt digna diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem; ſic attritio, adiuncta reali ſuſceptione Sacramenti. Ita Coninch *ibi num.*43.

12 Dices: attritio ſimul cum reali ſuſceptione Sacramenti eſt quidem diſpoſitio ad primā gratiam; non vero ad ſecundam, ſeu ad augmentum gratię: ad hanc enim etiam requiritur, quod ſubiectum recepturum Sacramentū præexiſtat in gratia: propter hoc enim Sacramenta iſta dicuntur vivorum. ¶ Sed contra, quòd accidentarium eſt gratiæ denominari primam, aut ſecundam: iſtæ quippè denominationes cōpetunt gratiæ ex eo, quod in ſubiecto reperit, aut non reperit aliū gradum eiuſdem gratiæ. Sicut cuicumque beneficio alicui collato accidentariè advenit denominatio primi, aut ſecundi, eo, quò ſi reperit, aut nō reperit aliud in ſuſpiciente. Et ſicut columna accidentariè denominatur dextera, vel ſiniſtra; prima, vel ſecunda per ordinem ad aliam iuxta ſe exiſtentem. Vnde infertur, quod ſicut accidentarium eſt gratiæ eſſe aut denominari primam, vel ſecundam: ita accidentarium eſt Sacramento cuicumque conferre primam, aut ſecundam gratiam: etenim ex ſua primaria inſtitutione ſolùm habet eſſe ſignum à Chriſto Domino inſtitutum

tum ad conferendum ex opere operato gratiam ſanctificantem (idem dico de gratia Sacramentali; necnon & de charactere) non ponentibus obicem.

13 Fatemur autem, diſpoſitũ fuiſſe à Chriſto Domino, quòd ad Sacramenta vivorum accederetur in ſtatu gratiæ, ſeu, ne accederetur in ſtatu culpæ mortalis, ne irreverentia prædictis Sacramentis irrogaretur. Tamen hoc intelligendum eſt de illo, qui ſcienter accederet ſub mortali: qui enim bona fide accedit exiſtimans eſſe in ſtatu gratiæ, ſeu vivorum, nullam iniuriam irrogat Sacramento: & cùm alias ponat diſpoſitionem requiſitam ad fructum Sacramenti, nempè attritionem, virtute Sacramenti fiet ex attrito contritus: & conſequenter recipiet gratiam: quæ etſi aliàs denominaretur ſecunda; modo autem denominabitur prima. ¶ Vnde conſtat, quod diſcrimen reperiatur inter dignam, & fructuoſam receptionẽ Sacramenti baptiſmi, & pœnitentiæ (quæ vocant Sacramenta mortuorum) ex vna parte; & Sacramenta vivorum ex alia. Ad illa enim poteſt quis licitè, & fructuosè accedere cognoſcendo, ſe eſſe ſub mortali, dummodò accedat attritus de peccatis mortalibus perſonalib⁹, ſeu à ſe comiſſis. Ad Sacramenta autem vivorum nequit accedere cognoſcendo, ſe eſſe ſub mortali, quantumvis attritus accedat. Cùm enim Chriſtus Dominus diſpoſuerit, quòd accedat in ſtatu gratiæ, mortale ſacrilegium cõmittet accedendo cum ſcientia de peccato mortali. Hinc tamen non infertur, attritionem non eſſe ſufficientem diſpoſitionem, vt quodcumque Sacramentum inculpabiliter applicatum conferat gratiam.

14 Secundus autem modus philoſophandi eſt aliorum, qui exiſtimant, Sacramenta vivorum poſſe cauſare primam gratiam ex ſua inſtitutione ſecundùm rationem ſpecificam; ſecundariò tamen, & per accidens. In quo ſenſu noſter Villaleb. 1. *part. tract.* 4. *diffic.* 7. *num.* 2. tamquam probabile defendit, Sacramenta vivorum eſſe cauſativa primæ gratiæ.

15 Ego autem (vt *num.* 11. libavi) exiſtimo, vtrumque modum philoſophandi eſſe probabilem. Quia vterque eſt poſſibilis; & ſalvat, Sacramenta vivorum poſſe cauſare primam gratiam; inſuper & commendat clementiam, & bonitatem divinam: ſic in bonum hominum diſponentẽ Sacramentorum vſum.

16 Sed pro poſteriori modo philoſophandi (qui inter AA. eſt communior) dices, quòd frequẽter AA. dicunt, baptiſmũ, & pœnitentiam cauſare ſecundã gratiã per accidens, aut ex ſecundaria intentione inſtituentis: ergo à ſimili dicendum eſt, Sacramenta vivorum etiam, cauſare primam per accidens. Reſp. Ita loqui qui-

dem multos AA. Nos autem cū Coninch, & alijs dicimus, quodlibet Sacramentum per ſe ex vi ſuæ inſtitutionis, quatenùs Sacramentum eſt, aut ſecūdùm rationem genericā habere hoc, quod eſt, eſſe cauſativum gratiæ ſanctificantis: (quæ accidentariè denominatur prima, aut ſecunda) & conſequenter non eſt dicendum, quod aliquando cauſat gratiam per accidens: Quamvis alias ex vi alterius diſpoſitionis divinæ Sacramenta vivorum debeant recipi ab illo, qui (ſaltem in ſua prudenti exiſtimatione) eſt in ſtatu gratiæ: & conſequenter gratia, quam tunc recipit, accidentariè denominetur ſecūda. ¶ Quod ſi contra poſteriorem modum philoſophandi hæc eadem obijcias, nempè quodlibet Sacramētum per ſe, quatenùs Sacramentum eſt, ex vi ſuæ inſtitutionis, aut ſecundùm rationem genericam habere hoc, quod eſt, cauſare gratiam: ergo nunquam illam cauſat per accidens. Reſpōd. nullam rationem communē agere, niſi vt contractam: color enim, v.g. non movet potentiam viſivam, niſi vt contractus ad eſſe albedinis, nigredinis, &c. Et, quidquid ſit de rebus phyſicis, in Sacramentis non cauſat gratiam, aut alium effectum ratio Sacramenti, donec ſit cōtracta ad eſſe huius, vel illius Sacramentī. Cùm ergo diſpoſuerit Chriſtus D. quòd Sacramēta vivorum cauſent per ſe ſecundam gratiam; (ſicut Sacramenta mortuorum primam) dicimus, quòd, quando cauſant primā, hoc eſt ſecundariò, & per accidens: ſicut ſecundariò, & per accidens eſt, quod Sacramenta mortuorum, cauſent ſecundam.

Dubium VI.

17 Petes ſextò, an diverſa numero Sacramenta (duo baptiſmi, v.g.) æqualem gratiam cōferant diverſis ſubiectis æqualiter diſpoſitis? Reſpond. affirmativè. Quia non apparet, vnde inæqualitas gratiæ illis proveniat. Secundò, quia loquendo de gratia collata adultis virtute baptiſmi, (& propter eamdem rationē idem dicendum eſt de gratia ſanctificante collata virtute cuiuſcumque alterius Sacramenti) hoc videtur definiri à Tridentino, aut ſaltèm ex eius definitione evidenter colligi; dum *ſeſ. 6. cap. 7.* definit, vnumquemque recipere in baptiſmo *iuſtitiam ſecundùm propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem*. Vndè implicitè definitur, vel ſaltèm evidēter ex illa definitione infertur, quòd, quando recipientes habent æqualē diſpoſitionem, recipiunt æqualem iuſtitiam, ſeu ſanctitatem virtute Sacramenti. Ita *Scotus in 4. diſtinct. 4. quæſt. 7. per totum §. Sic ergo D. Thom. quæſt. 69. artic. 8. Vazquez, Suarez, & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 3. diff 5. dicens, ſic communiter ſentire Theologos.*

18 Vn-

18 Vnde infertur, omnibus parvulis ex opere operato æqualem conferri gratiam ſanctificantem virtute baptiſmi. Quia ſunt æqualiter diſpoſiti negativè, id eſt, non habent indiſpoſitionem repugnantem gratiæ virtute baptiſmi collatæ: quam indiſpoſitionem haberet adultus recipiens baptiſmum cum complacentia de peccato mortali perſonali, vel ſine diſplicentia de illo. ¶ Infertur ſecundò, adultis inæqualiter diſpoſitis inæqualem conferri gratiam ex opere operato. Quia gratia ſanctificans datur ad menſuram diſpoſitionis illius, qui recipit Sacramentum.

19 Ex dictis repello Palud. qui *in 4. diſt. 4. quæſt. 1.* affirmat, Sacramenta eiuſdem ſpeciei diverſis hominibus applicata ſemper ex vi ſua conferre gratiam inæqualem. Et obijcit homines creati, & prædeſtinati ſunt ad reparandum ruinam Angelorum. Sed Angeli, qui lapſi ſunt, fuerunt diverſi in gratia: ergo homines, qui ſubrogandi ſunt pro Angelis lapſis, diverſam recipiunt gratiam. Probatur minor: quia Angelis dedit Deus gratiam ad menſuram naturæ: ſed non fuerunt duo Angeli in eadem ſpecifica natura: ergo neque fuerunt duo Angeli æquales in gratia: ergo homines, qui ſubſtituuntur pro Angelis lapſis, debent eſſe ſemper inæquales in gratia: ergo Sacramenta applicata diverſis hominibus (ſaltem parvulis illis, qui decedunt ante vſum rationis) ſemper ex vi ſua conferunt inæqualem gratiam. Reſpondetur negando maiorem: vt enim dixi *in tract. de Prædeſtinatione (non typis mandato) diſp. 2. q. 6.* prædeſtinatio hominum ad gloriam non fuit occaſionata ex ruina Angelorum; ſed orta fuit per ſe primò ex divina voluntate independenter à prędeſtinatione, vel non prædeſtinatione Angelorum; necnon & ab eorum ruina, vel non ruina. Quæ ſententia eſt expreſſa D. Anſelmi *in libro Cur Deus homo? cap. 18.* dicentis: *Ideò homines futuros eſſe beatos, etſi Angeli non peccaſſent: quia aliàs eſſet hominibus gaudium, quòd Angeli peccaverint, & finaliter à gratia ceciderint.* Et eadem ratione ibi generatim concludit, *nullam eſſe in cælo animam, quæ ſibi perſuadeat, ſine peccato alteriùs non fuiſſe gloriam fruituram.*

19 Quare ſi aliquis Pater adducatur dicens, homines aſſumptos fuiſſe, vt ſedibus Angelorum, quas illi amiſerant, perfruantur; reſpondendum eſt, pro nobis ſtare Anſelmum. Niſi velis dicere, PP. ſic loquentes eſſe intelligendos de prædeſtinatione hominũ in executione in re exhibita. Loquuntur (inquam) de prædeſtinatione hominum, non quatenùs præciſè eſt electio ad gloriam: ſed quatenùs in executione ponitur in tempore Itaque poſtquam Deus decreverat, dare hominibus gloriam, necnon & gratiam ad eius conſequutionem neceſſariam,

riam, decrevit permittere peccata Angelorum vſque ad finalem impœnitentiam, & ſe cooperaturum cum eis ad ſubſtantiam actus peccati, vel non cooperaturum ad actum illum, cuius omiſſio eſt peccatum. (vtrumque enim decretum, nempè de permiſsione, & cooperatione, vel non cooperatione, requiritur, vt Deus præcognoſcat peccatum: vt docet Scotus *in 1. diſt. 41. §. Po. teſt aliter verſ. Primum illorum, & diſt. 47. in fine*) Et tunc certiſsimè ſciens, vacuas relinquendas eſſe multas Angelorum ſedes, ordinavit, quod complerentur per homines, quos iam prædeſtinaverat. Igitur, quia in re homines, qui ſalvantur, ſubſtituuntur vice Angelorum, dicuntur à Patribus ad id prædeſtinati: id eſt, vt in executione in re, ſeu in tempore exhibita hoc conſequantur, quòd Deus diſpoſuit. De hac ergo prædeſtinatione exponendi ſunt PP. præſertim D. Auguſt. *cap. 14. de Bono perſeverantiæ* dicens: *prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi*. Recolātur quæ ibidem diximus.

20 Hæc dixerim negando maiorem illam Paludani; (homines fuerunt creati, & prædeſtinati ad reparandam ruinam Angelorum) illa tamen admiſſa, reſpondetur ſecundo negando minorem: (ſcilicet, Angeli, qui lapſi ſunt fuerūt neceſſario diverſi in gratia) Ad probationem admitto etiam maiorem, & nego minorem: (nempè quod non fuerunt duo Angeli in eadem ſpecifica natura) quia in noſtra, & Scoti ſententia, non ſolum eſt poſsibile, eſſe plures Angelos ſolùm numero differentes; ſed etiam id de facto admittimus: vt probavimus in *tract. de Angelis cap. 3 diff. 2 dub. 2.* Imò *dub. 3.* latè propugnavimus, omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei.

21 Ex dictis pro noſtra concluſione repellendi ſunt etiam *Gab. in 4 d. 4. quæſt. 2. art. 2. concl. 7. Baſilius quæſt. 1. art. 3. & EKius de Baptiſmo hom 13.* affirmantes, maiorem gratiam vni, quàm alteri parvulo conferri in baptiſmo (Idem eſt de confirmatione, & alijs Sacramentis, quæ validè parvulo applicarentur.) ob devotionem miniſtri, parentum, vel adſtantium. ¶ Sed contra hos vrget, quod ſine fundamento admittunt, purum hominem alteri mereri de condigno gratiam ſanctificantem. ¶ Pro qua tamen ſententia obijcies: diverſi parvuli prædeſtinati ſunt ad diverſos gradus gloriæ: ergo neceſſarium eſt, quod in baptiſmo v. g. recipiant diverſos gradus gratiæ, ad cuius menſurā detur illis gloria. Sed Sacramentum ex ſe æqualiter diſpoſitis (qualiter ſunt parvuli) præſtat æqualem gratiam: ergo maioritas illa gratiæ, quæ datur vni præ alio, provenit ex devotione miniſtri, parentum, vel adſtantium. Reſpondetur negando antecedens: quia omnes homines, qui ante vſum rationis morituri ſunt recepto, baptiſmo, præ-

prædeſtinati ſunt ad æqualẽ gloriam: & conſequenter æqualem gratiam recipiunt in baptiſmo, tamquam diſpoſitionem, ad cuius menſuram datur gloria. Vt docet Scotus *in 4 diſt. 4. quæſt. 7. §. Sic ergo verſ. De tertio* verbis illis: *comparando parvulum ad parvulum, cùm nullum habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte ſui recipiendam*: ſentit ergo quod, ſi ante vſum rationis moriantur, habituri ſunt æqualem gloriam: hæc enim datur ad menſuram gratiæ.

22 Dices, quòd Scotus ſubdit: *Poteſt tamen in parentibus vnius eſſe maior motus, quàm alterius pro ſuo parvulo; vel in aliquibus alijs miniſtrantibus, vel aſsiſtentibus baptiſmo: propter quorum merita Deus vni parvulo poteſt cõferre maiorem gratiam, quàm alteri; ſed hoc non virtute baptiſmi, ſed meriti. Et hoc modo fortè parentes Beati Nicolai orationibus ſuis meruerunt ſibi maiorem gratiam: quæ erat in eo, etiam parvulo, principiũ tàm mirabilis effectus, vt duobus diebus in hebdomada vnica tantum lactatione contentus maneret. Et quoàd hoc magis optandum eſt, puerum baptizari à bono Sacerdote, quàm à malo: quia orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante, & poſt baptiſmum, magis exaudiũtur, & valent illi, pro quo fiunt, quàm orationes mali*: Hucvſque Scotus: vnde apertè videtur nobis opoſitus. Et ideò G. Hurtado *diſp. 3. diff. 5.* & aliqui alij Scotum citant pro ſententia Gabrielis, & aliorum. Reſpondetur, Scotum nobis non opponi. Tùm, quia apertè fatetur, illam maiorem gratiam non dari *virtute baptiſmi, ſed meriti.* (de congruo) Tùm, quia ſolùm loquitur de poſsibili, aut dubitativè: vt patet ex illis verbis; *propter quorum merita Deus vni parvulo poteſt conferre maiorẽ gratiam*: atque ex illis: *Et hoc modo fortè parẽtes B. Nicolai, &c.* Quod & notavit noſter Cavellus in ſcholio illo, & in margine. Igitur Scotus neque eſt nobis oppoſitus: neque de facto concedit in parentibus parvuli, in Sacerdote; aut in adſtantibus baptiſmo meritum non ſolùm de condigno, ſed neque de congruo.

23 Denique ex dictis pro noſtra concluſione repello ſententiam aliorum, (quam referunt PP. R. præſertim Suarez, & Ægidius citati) qui dicunt, Sacramenta eiuſdem ſpeciei ſemper conferre æqualem gratiam, adhuc inæqualiter diſpoſitis: quia Sacramenta operantur, tamquam agentia naturalia; quæ, vbi non eſt impedimentum, operantur, quãtum poſſunt: ac proinde in ſubiectis capacibus carentibus obice, quantumvis inæqualiter diſpoſitis, cauſabunt æqualem gratiam: quia operantur, quãtum poſſunt; &, quantum eſt ex ſe, ſemper poſſunt idem. ¶ Tamen horum doctrina ſuſtineri non poteſt, poſtquam Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.*

ita-

ſtatuit, in iuſtificatione adultorum, quæ fit in baptiſmo, (idem eſt de alijs Sacramentis) vnumquemque recipere gratiam ſecūdum propriam diſpoſitionem, & cooperationem: vt expendebamus *n.* 17. ¶ Nec fundamentum oppoſitæ ſentētiæ convincit. Dicuntur enim Sacramenta operari, ſicut agentia naturalia; quia abſque ſui libertate operantur. Non tamen operantur ad vltimū de potentia ſemper, & independenter à diſpoſitione ſubiecti: ſed ſunt inſtrumenta cauſæ liberæ; quæ illa aſſumit ad producendum maiorem, vel minorem gratiam; vel potiùs illis ad maiorem, vel minorem gratiam conferendam excitatur iuxta ſuſcipientis diſpoſitionem: vt bene notat G. Hurtado *diſp.* 3, *diff.* 5.

Dvbivm VII.

24 Peteſ ſeptimò, vtrùm Sacramenta in voto conferant eamdem gratiam ſanctificātem, ac conferunt realiter ſuſcepta? Reſpondetur negativè. Sed claritatis gratia eſt præmittendū, quod votum (quoad præſens attinet) vocant affectum, voluntatem aut deſiderium recipiendi Sacramentum. (Euchariſtiæ v. g.) Quod votum dividunt in implicitum, & explicitum, aut expreſſum. Tale vocant ipſummet affectum quo deſidero recipere aliquod Sacramentum. Implicitum autem vocant actum contritionis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia. Cùm enim actus iſte ſit vltima diſpoſitio ad iuſtificationem; fit, vt, qui elicit talem actum, implicitè, virtualiter, ſeu interpretativè velit obſervare omnia, quæ ad ſalutem ſuam ſunt neceſſaria: & cùm realis ſuſceptio aliquorū Sacramentorum ſit neceſſaria, ſaltèm neceſsitate præcepti, ad ſalutem, fit, vt etiam includat actus ille implicitè, virtualiter ſeu interpretativè affectum recipiendi ea Sacramenta, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, tàm neceſsitate medij, quam neceſsitate præcepti. Quo ſuppoſito.

25 Dico primò: votum explicitum recipiendi Sacramentum (Euchariſtiæ v. g.) non confert gratiam ſanctificātem, quam cōfert ipſummet Sacramentum in re ſuſceptum. Quia Deus non alligauit ſuum pactum de conferendo gratiam ſanctificantem ex opere operato affectui recipiendi Sacramentum, ſed reali ſuſceptioni illius. Quod apertè convincit inſtantia illius, qui exiſtens ſub mortali (originali, aut perſonali) habet explicitum affectum, ſeu deſiderium recipiendi baptiſmū, ſeu Sacramentum pœnitentiæ: iſte enim non recipit gratiam ſanctificantem: quia per tale deſiderium non diſponitur vltimo ad iuſtificationem; ſicut vltimo diſponitur, qui elicit ſupernaturalem contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia. ¶ Dices: ſal-

ſaltem in homine iam iuſtificato talis affectus, ſeu votum explicitum conferret gratiam, quam conferret ipſum Sacramentum. Patet aſſumptum: ille enim affectus eſt meritorius de condigno præmij ſupernaturalis: ergo propter illum Deus ſtatim confert gratiam ſanctificantem, ſed non eſt ratio, ob quam dicimus, talem gratiam non conferri virtute Sacramenti ad cuius receptionem ille affectus terminatur: ergo ille affectus dat eamdem gratiam, quam conferret realis ſuſceptio Sacramenti. Reſpondetur negando aſſumptum. Ad probationem admitto primam conſequentiã, & nego minorem: quia reali ſuſceptioni Sacramenti tantũ Deus alligavit ſuum pactum de conferendo gratiam ex opere operato. Quare gratia, quam Deus confert propter illum affectum, eſt, non ex opere operato, ſed ex opere operantis. ¶ Admiſſa autem primam cõſequentiam, eſt enim controverſia in *tract. [illegible]*, vtrum ſtatim conferatur gratia propter opus meritorium, (non eſt ſermo de receptione Sacramentorum quando talis actus remiſſe fit) & vtrumque eſt mihi probabile in Scoto *in 4. diſt. 21. q. 1. § [illegible] eſt probabile*. Quare loquendo de affectu remiſſo recipiendi aliquod Sacramentum, incertum eſt, quod propter illum ſtatim Deus conferat gratiam ſanctificantem. Si autem loquamur de affectu intenſo, datur quidem gratia ſtatim propter illum, ſed non ex opere operato, ſed operantis. Vnde iterum probo, ſeu confirmo noſtrã concluſionem: eſt enim certum, quod propter remiſſiſsimam realem ſuſceptionem Sacramenti ſtatim confert Deus gratiam ex opere operato.

26 Dico ſecundo: votum implicitum recipiendi Sacramentũ (Euchariſtiæ v. g.) non confert gratiam ſanctificantem, quam conferret realis ſuſceptio Sacramenti. Quia ſoli reali ſuſceptioni alligavit Deus ſuum pactum de conferendo gratiam ſanctificantem: vt dicebamus *num. 25*. Hanc concluſionem præcipue intendunt, & propugnant *Sotus, Suar. & Coninch, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 3. diff. 6. dicens, ita communiter ſentire DD.*

27 Dices: per tale votum datur peccatori prima gratia, & iuſto augmentum illius: ergo tale votum confert eamdem gratiã, ac conferret Sacramentum. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, & negando conſequentiam: datur enim ex opere operantis; non autem ex opere operato.

28 Inſtabis: vnde habemus quod illa gratia non detur ex opere operato? Reſpondetur: quod ex eo, quod Chriſtus Dominus ſoli reali receptioni Sacramenti ligavit ſuum pactum de conferendo gratiam, habemus, quod gratia ſanctificans collata ad poſitionẽ perfectæ contritionis, aut dilectionis

ctionis Dei ſuper omnia, non eſt, quam conferret ipſamet realis ſuſceptio Sacramenti; ſed quæ in quacumque lege, & ſtatu tribueretur vi, & efficacia contritionis perfectæ, aut dilectionis Dei ſuper omnia. ¶ Inſtabis vlteriùs: Si vi contritionis confertur peccatori prima gratia, & iuſto augmentum illius, quid conferre poteſt negare, contritionem conferre gratiam, quam conferret ipſummet Sacramentum, cuius receptionẽ implicite includit? Reſpondetur, multum conſtare, negare Sacramentum in voto conferre gratiam, quam conferret realiter ſuſceptum. Qui enim oppoſitum affirmant, tenentur dicere, contritum recipere duas gratias, alteram ex opere operantis, ſeu vi, & efficacia ipſius contritionis; & aliam ex opere operato, ſeu vi, & efficacia Sacramenti, quod implicite, aut virtualiter includit. Sicut duas recipit, qui ſupernaturaliter contritus accedit ad Sacramentum pœnitentiæ v.g. Quod ſine fundamento aſſereretur. Immo inde ſequeretur, maiorem gratiam accipere, qui ſolum in voto implicito reciperet Sacramentum, quàm, qui illud realiter reciperet. Patet ſequela: quia in contritione, aut dilectione Dei implicite continentur, tamquam in voto, voluntas recipiendi pœnitentiam, Euchariſtiam, & alia, de quorum receptione extat neceſſitas medii, & præcepti; necnon & adimplendi totam legem: ergo, ſi contritio perfecta cauſat gratiam nõ ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato vi, & efficacia Sacramentorum, quæ implicite includit, quoties quis habet contritionem, aut dilectionem Dei, tantam gratiam reciperet, ac ſi realiter reciperet omnia illa Sacramenta, quorum eſt votum; immo & tantam gratiam, ac ſi totam legem in re adimpleviſſet, cuius eſt votum, aut affectus implicitus ſervandi totam legem: & conſequenter vberiorem gratiam reciperet, ac recipit qui realiter recipit Sacramentum: ille enim ſolum recipit gratiam vi illius Sacramenti collatam.

28 Ex quibus modo firmiſſimè ſtatuo numquam eſſe conſulendam receptionem pœnitentiæ, aut Euchariſtiæ ſolùm in voto illi, qui realem receptionem poteſt ponere. Eſt enim conſulere minus vtile, relicto vtiliori. Siquidem, qui realiter recipit Sacramentum, recipit duas gratias: vnam propter diſpoſitionem, ſeu ex opere operantis; & aliam vi, & efficacia Sacramenti, ſeu ex opere operato. Qui autem ſolùm in voto recipit Sacramentum, vnam tantùm recipit ſcilicèt ex opere operantis. Immo, ſi votum ſit remiſſum forte tunc nõ recipit gratiã; ſed differtur receptio vſque ad vltimum inſtans vitæ, vt [illegible] libabamus n.26.

DV-

Dubium VIII.

29 Petes octavò, quando gratia ſanctificans confertur vi Sacramenti? Reſpondetur conferri in vltimo inſtāti terminativo totius temporis, in quo ſucceſsivè fit Sacramētum. Quia Sacramenta non conferunt gratiam, quoadvſque completa ſint in ſuo eſſe. Secundo, quia gratia petit produci in inſtāti: (eſt enim de genere permanentium) ſed in nullo alio congruentius quam in illo: ergo, &c. Tertio, quia, qui iuſtificatur per contritionem, iuſtificatur in inſtanti: ergo & qui iuſtificatur per Sacramentum. Quartò, quia numquam cauſa producit ſuum effectum in tempore, ſi illum poteſt producere in inſtanti, aut niſi ſit impedita illum producere in inſtanti. Sed Deus, medio Sacramento, producit phyſicè gratiam; & alias poteſt illam producere in inſtanti, ſeu non poteſt dici, quod eſt impeditus illam producere in inſtanti: ergo in inſtanti prædictū Sacramentum producit (tamquam inſtrumentum morale) gratiam ſanctificantem, & illam communicat recipienti Sacramentum.

30 Vnde reijcio duas ſententias nobis oppoſitas, quas referunt, & refutant præcitati Suar. & Coninch. Prima dicit, Sacramenta conferre gratiam in tempore indeterminato, quæ immediatè antecedit eorum primum non eſſe, ſeu primum inſtans, in quo verum eſt dicere iam Sacramentum fuit perfectum, & amplius non eſt. Secunda affirmat, eo tempore Sacramentum conferre gratiam, quo vel vltima ſyllaba formæ pronunciatur ſuper materiam perfectè applicatā: vel in applicatione vltimæ particulæ materiæ neceſſariæ; v. g. vltimæ guttæ aquæ neceſſariæ in baptiſmo, quo pronūtiatio formæ præceſsit. ¶ Tamen vtraque iſta ſententia refutatur ex dictis: cùm enim gratia ſanctificans ſit de genere permanentium; petit habere totum ſuum eſſe eſſentiale in inſtanti. Immo dato, quod poſſet ſucceſsivè produci, & præter ſuum modum connaturalem, nō apparet aliqua ratio ſuadens, ſic de facto contingere. ¶ Dices: Sacramentum non poteſt cauſare, antequam ſit; neque poſtquam deſivit eſſe: ergo cauſat in prædicto tempore, & non in inſtanti: quia in inſtanti non habet eſſe: cū ſucceſsivè fiat, & quoad applicationem materiæ, & quoad prolationem verborum. Reſpondetur, hoc argumentum fortè vrgere eos, qui dicunt, Sacramentum phyſicè cauſare. Nos autem minimè vrget qui ſolum eis cōcedimus cauſalitatem moralem: (vt dicemus *c. 5. à n.* 1) in cauſis enim moralibus oppoſitum poteſt contingere: quia illarum cauſalitas ſolum pendet ex libera voluntate inſtituentis, aut conſtituentis

tiam vi Sacramenti reciperet non ſolum recedente fictione, aut quando diſpliceret ſibi de fictione, cum qua acceſsit ad Sacramentum; ſed neque quando actualiter accedebat. Immò tunc mortaliter peccaret propter irriſionem Sacramenro factam; vel ſaltem ſimulationem in re tàm gravi; ex qua ſimulatione gravis irreverentia acreſcebat Sacramento. Loquimur ergo de fictione oppoſita gratiæ ſanctificanti, quæ confertur vi Sacramenti: quam fictionem habet adultus, qui accedit ad baptiſmum v g. ſine diſplicentia omnium peccatorum ſuorum perſonaliū mortaliū. Quærimus ergo, an, ſi iſte poſteà conteratur de peccatis, & ſimiliter de indiſpoſitione, qua acceſsit ad Sacramentum, recipiat gratiam ſanctificantem, quam ex opere operato cauſaſſet Sacramētum, ſi fuiſſet receptum cum debita diſpoſitione? Reſpōd. longiſsimè diſtrahi AA. quorum placita iam refero.

33 Vniverſaliter de omnibus Sacramentis affirmant *Petrus de Soto de Inſtitutione Sacerdotum lect. 5. de Baptiſmo, & Caiet. tom. 1. Opuſcul. tract. 5.* ¶ *Suarez diſput. 28. ſect. 6.* ſolùm dubitat de Sacramento Euchariſtiæ. De pœnitentiæ autem Sacramento affirmat, quod, ſi dari poteſt informe, veriſimilius eſt, habere effectum, recedente fictione. Quod fatetur de reliquis Sacramentis. ¶ Coninch *quæſt. 62. artic. 1. dub. 5. à num. 72.* ſolùm excipit Euchariſtiam, & pœnitentiam. Pro qua ſententia Gaſpar Hurtado *diſput. 3. diffic. 8.* refert Ludovicum Tena Catedræ Scoti in hac Complutenſi Academia Moderatorem. ¶ Durandus *in 4. diſtinct. 4. quæſt. 4. & Canus de Pœnitentia p. 5.* docent, baptiſmum, & Pœnitentiam conferre gratiam, recedente fictione. ¶ Maior *in 4. diſtinct. 4. quæſt. 2. & Covarrubias in cap. Alma mater 1. p. §. 4. num. 24.* docent, hæc tria Sacramenta (Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem) fictè ſuſcepta conferre gratiam, recedente fictione. Quibus Palud. *in 4. diſtinct. 4. quæſt. 5. & Silveſter verbo Baptiſmus 4.* addunt Sacramentum pœnitentiæ.

¶ Sotus *in 4. diſtinct. 6. quæſt. 1. art. 8. Vazquez diſp. 161. & G. Hurt. diſput. 3. diffic. 8.* docent, conferre gratiam, recedente fictione, nulli Sacramento convenire, niſi Baptiſmo, ſi alicui convenit. ¶ Scotiſtæ communiter docent, ſaltèm baptiſmum, recedente fictione, cauſare gratiam. Præſertim legantur Angles *quæſt. de effectibus Baptiſmi art. 3. & Fabro diſput. 12. cap. 1. num. 1.* Quod probabiliter docet Scotus *in 4. diſtinct. 4. quæſt. 5. §. Reſpondeo verſ. Etſi obijcitur, & verſ Aliter poteſt dici, quòd quando.*

34 Sit concluſio: nullum Sacramentum, recedente fictione, cauſat gratiam. Quia minùs rationabile apparet, Deum conferre gratiam virtute Sacramenti illi, qui ſcienter, & plena voluntate intulit Sacramento iniuriam, illud indignè recipiendo. Ita loquendo de baptiſmo (cui maximè hoc erat concedendum) probabiliter docet Scotus *ibi à verſ. Tertio modo principaliter* affirmans, quòd *pœnitens de fictione tantùm recipit gratiam virtute pœnitentiæ*. Nec obſtat, quòd *in Reportatis ibidem quæſt.* 7. non meminerit huius modi philoſophandi. Hoc enim argumentum eſt ab authoritate negativa: & nobis ſufficit, quòd non contradicat ſibi in ſententiarijs. Noſtram concluſionem etiam probabiliter defendunt *Tartaretus ibidem §. Alius eſt modus, Gregorius Ruiz controverſia 16. in 4. §. Tertius modus Scoti. Immò, & Melchi. Flavius eam abſolutè tenet in illo loco Scoti, atque Iribarne ibidem diſput. 15. artic. 3. §. Dico primo.*

35 Dico notanter in noſtra concluſione *non conferri gratiam, recedente fictione, ei, qui ſcienter, & volens indiſpoſitus recepit Sacramentum; quia illi iniuriam intulit*. Exiſtimo enim, quod illi, qui exiſtens in peccato mortali perſonali, ignorans tamen invincibiliter accederet ad baptiſmum v.g. ſine elicientia attritionis, (In quo caſu Coninch ibi *num.* 80. dicit, dari obicem quaſi negativum.) recedente obice, impedimento, aut fictione, (ſi tunc propriè eſt fictio) Sacramentum præſtaret eamdem gratiam, quam dediſſet, ſi in ſua receptione defuiſſet obex. (In hunc ſenſum voco omnes PP. & AA. qui dicunt abſolutè, Sacramentum cauſare gratiam, recedente fictione.) Et ratio eſt, quod ſic præſumēdum eſt de bonitate divina: Cùm enim inſtituerit Sacramenta in bonum hominum, non eſt præſumendum, Deum velle privare hominē effectu, aut fructu Sacramenti, quod bona fide, & ſine culpa recepit, aliàs indiſpoſitus. Quare quādo iſte memor peccati, quod invincibiliter obliviſcebatur, elicit diſplicētiam de illo, aut quomodocunque tollit illud impedimentum, Deus confert illi gratiam, quam contuliſſet Sacramentum in ſui receptione, ſi tūc non fuiſſet illud impedimētum.

36 Addo, mihi eſſe ſatis probabile, in hoc caſu infundi gratiā in ipſa Sacramenti receptione: ſuaſum quippe mihi eſt, impedimentum ad infuſionem gratiæ in receptione Sacramenti non tam eſſe præexiſtens peccatum, quàm mortale commiſſum in ipſa receptione Sacramēti. Quare, deficiente peccato mortali, ſeu tunc non commiſſo, Sacramentum confert gratiam ſanctificantem, qua peccatum mortale expellitur, Quod duo mihi pro-

probant. Primum eſt baptiſmus infantis, cui gratia ſanctificans confertur, & remittitur mortale originale, (quod ſuppono eſſe mortale) non alia mihi ratione, niſi quia mortale præexiſtens nō impedit gratiam infundi virtute Sacramenti; ſi alias hoc inculpabiliter applicetur. Alterum exēplum eſt adulti, cui in pœnitentiæ Sacramento confertur gratia, etiam ſi vnū aut multa mortalia in confeſsione omittat, dummodo ea inculpabiliter omittat propter ignorantiam, aut oblivionem. Potius ergo impedit infuſionem gratiæ peccatum mortale commiſſum in ipſa receptione Sacramenti, quam præexiſtens. Et merito: Sacramenta quippe (præcipuè mortuorum) inſtituta ſunt ad deſtruendum peccata mortalia: cur ergo dicemus, ea non deſtruere, quando inculpabiliter applicantur? & cōſequenter ipſis Sacramentis nulla fit iniuria: ſicuti fit, quando in ipſa Sacramenti effectione, aut applicatione mortale committitur. Si enim committitur; iure quaſi offenſum Sacramentū, aut (propriè loquendo) author illius retrahit ſuum benevolum concurſum effectivum gratiæ ſanctificantis, nōn ſolum pro tunc, (vt nulli Catholicorum eſt dubium) ſed etiam, ſi poſteà recedat fictio, vt nos jam probavimus.

57 Igitur ab his expeditus revertor ad noſtram concluſionem, qua diximus, nullum Sacramentum, recedente fictione, cauſare gratiam ſanctificantem. Contra quam obijcies; ſunt expreſſæ authoritates dicentes, quod pœnitens de fictione recepit effectum baptiſmi: ergo falſa eſt concluſio. Pro antecedentis probatione ſufficiat August. *in libris contra Donatiſtas præcipuè lib. 1 cap. 12 & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5.* vbi apertè docet, baptiſmum in hæreſi, aut ſchiſmate receptum tunc incipere prodeſſe, ac valere ad ſalutem, & remiſsionem peccatorum, quando baptizatus ad vnitatem Eccleſiæ per pœnitentiam convertitur. (Verba Auguſtini traſcribunt RR. præſertim Coninch *quæſt. 62. art. 1. dub. 5. à num. 65.*) Reſpondetur, diſtinguendo antecedens: eſt enim verum, quod pœnitens recipit effectum baptiſmi per æquivalentiam: falſum autem, quod illum recipiat formaliter, & in ſe. Itaque quando quis debitè pœnitet de fictione, ſeu indiſpoſitione, qua acceſſit ad baptiſmum, recipit gratiam virtute contritionis, dilectionis Dei, aut Sacramenti pœnitentiæ; non autem virtute baptiſmi. Cum ergo quæcunque gratia ſanctificans (ſive ſit baptiſmalis, ſive pœnitentialis, ſive quocumque alio titulo, detur) expellat omne mortale, & faciat filium regni, ſeu det ius ad vitam æternam; & aliàs iſte, etſi pec-

caminoſè, adimpleverit præceptum recipiendi baptiſmum; gratia pœnitentialis, ſeu quæ ei confertur virtute Sacramenti pœnitentiæ, eſt baptiſmalis æquivalenter; ſeu, quantum ad hoc, quod eſt facere filium regni valet tantum, quantum valeret gratia baptiſmalis, ſi ei tunc conferretur. Propter hoc ergo Auguſtinus dicit, quod, quando pœnitet, incipit baptiſmus prodeſſe ad ſalutem: quia, ſcilicet, tunc recipit gratiam; & aliàs deobligatur, recipere baptiſmum. Ita Scotus citatus.

¶ Inſtabis, quòd iſta gratia pœnitentialis non æquivalet baptiſmali, quantum ad hoc, quòd eſt, plenè remittere culpam, & pœnam: ergo fictè recipienti baptiſmum non patet modus ad recipiendum effectum plenariæ remiſsionis. Reſpondetur, ita eſſe. Et meritò: quandoquidem illo effectu ſe ſua ſponte privavit ſcienter faciendo irreverentiam, & iniuriam Sacramento. Sicut, qui finaliter peccat mortaliter, præcludit ſibi viam ad conſequendum vitam æternam.

38 Obijcies ſecundò: ſcienter recipiens fictè baptiſmum v. g. non recipit gratiam baptiſmalem, recedente fictione? Ergo præcluditur illi via ſalutis. Patet conſequentia: quia ſine gratia baptiſmali ſalvari non poteſt: & aliàs baptiſmus nequit iterari. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem reſpondetur ex Scoto *ibi verſic. Tertio modo* negando, ſine gratia baptiſmali non poſſe hominem ſalvari: cùm enim gratia ſanctificans quocumque titulo collata ſit ſemper eiuſdem ſpeciei, ſeu rationis, fit, vt per gratiam collatam vi dilectionis Dei ſuper omnia, perfectæ contritionis, aut virtute Sacramenti pœnitentiæ, aut cuiuſcumque alterius ille, qui fictè recepit baptiſmum, iuſtificetur, & fiat filius regni: & conſequenter pateat ſibi aditus ad ſalutem, & vitam æternam conſequendam. Hinc meritò *num.* 37. dicebamus, gratiam ſanctificantem collatam vi pœnitentiæ (aut quocumque alio titulo) quantum ad hoc, quod eſt, facere filium regni, eſſe baptiſmalem non formaliter, ſed per æquivalentiam.

DVBIVM X.

39 PEtes decimò, qualiter tollenda ſit fictio, vt Sacramentum præſtet effectum? Reſpondetur, hoc dubium in noſtra ſententia non habere locum, ſeu eſſe de ſubiecto nō ſupponēte. Cōſtat enim ex dubio præcedēti, Sacramentū receptū cū fictione poſitiva (qualem habuit ille, qui voluit recipere Sacramentum cognoſcendo

do ſe eſſe indiſpoſitum ad recipiendum fructum illius, ſeu gratiam ſanctificantem : quam benè indiſpoſito præſtat Sacramentum) non conferre gratiam poſteà, recedente fictione. Inſuper conſtat ex *num.36.* quod, ſi fictio eſt negativa, (qualem habet qui exiſtēs ſub mortali acceſsit ad Sacramētum inculpabiliter propter ignorantiam, aut oblivionem invincibilem) Sacramentum ſtatim in ſui receptione præſtat gratiam ſanctificantem. igitur quamvis in noſtra ſententia hoc dubium non habeat locum: tamen quia oppoſita ſententia (quæ affirmat, recedente fictione, Sacramentum conferre gratiam) eſt Scoto probabilis, atque inter AA. communior; vt conſtat ex *num.33.* prædictum dubium reſolvimus in præſenti.

40 Inquirimus ergo, an, vt Sacramentum fictè ſuſceptum præſtet gratiam ſanctificantem, quā contuliſſet in ſui receptione, ſi fictio tunc non fuiſſet, ſufficiat attritio? Reſpondetur, ſub diſtinctione. Quare dico primò: attritio non ſufficit, quando præceſsit fictio poſitiva. Quia cùm hæc ſit peccatum mortale novum debet remitti vel per contritionem, aut dilectionem Dei, aut per receptionem, non præexiſtentis, ſed alterius Sacramenti: nullum enim Sacramentum remittit irreverētiam, ſeu culpam mortalem illatam ſibi in ſui receptione. ¶ Dico ſecundò: ſufficit attritio, quādo fictio ſuit negativa. (id eſt, quando, qui erat ſub mortali, inculpabiliter recepit Sacramentū) Quia iſta ſufficiebat in ipſa receptione; & aliàs non eſt novum peccatum petens ad ſui expulſionem maiorem diſpoſitionem : ergo ſufficiet etiam poſtea, ſeu quoties virtute Sacramenti conferenda ſit gratia. Ita *Suar. Palud. & Henr. (citantes alios) quos citat, & ſequitur* (vt credo) *Coninck. q.62. art.1. dub.6. num.83.* ¶ Dices: ergo etiam ſufficiet attritio, vt Sacramentum receptum cum obice, aut fictione negativa cauſet gratiam, etiam ſi poſteà comiſſum fuerit aliquod novum peccatum mortale. Reſpondetur negando conſequentiam : (quam contra communem Doctorum ſententiam Palud. *in 4. diſt.4. q.5.* probabiliter conceſsit: vt teſtatur Coninch *ibi num.82.*) quia Sacramenta non remittunt peccata ſequentia, ſeu quæ poſt ſui receptionem committuntur, ſeu futura.

41 Ex prædicta diſtinctione fictionis negativæ, & poſitivæ conſtat, quid ſibi velit Scotus *ibi verſ. Etſi obijcitur* verbis illis: *fortè peccavit novo peccato mortali faciens irreverentiam Sacramento baptiſmi recipiendo illud cum tali fictione:* vbi Scotus videtur dubitare, eſſe peccatum recipere Sacramentum cum fictione. Reſpondetur, Scotum non dubitaſſe, eſſe mortale accedere ad Sa-

cramentum cum fictione poſitiva. Scotus ly *forte* appoſuit ad denotandum, dupliciter poſſe fictè accedere aliquem ad Sacramentum; nempe cum fictione poſitiva, id eſt, cognoſcendo ſuam indiſpoſitionem) necnon, & cum negativa. (hoc eſt, inculpabiliter nō attendendo, eſſe ſub mortali) Quia ergo accedendo cum fictione poſitiva committebatur novum peccatum; ſecus autem accedendo cum fictione negativa; dixit Scotus: *fortè peccavit.* Quod, & notavit Cavellus in margine dicens: *quia ſi ex oblivione, vel inadvertentia homo ſuſceperit Sacramentum ſine attritione non peccat mortaliter.* Immo (addo ego) tunc recipit gratiam ſanctificantem: vt probabamus, *n.*36.

Dubium XI.

42 PEtes vndecimò, an Sacramenta antiquæ legis contulerint ex opere operato gratiā ſanctificantem? Reſpondetur affirmative. Quia in quacumque lege tam naturæ, quam in ſcripta fuit aliquod proprium Sacramētum: vt dixi *c.* 2 *num.* 3. & 8. Sed ſignatum cuiuſcūque proprij Sacramenti eſt gratia ſanctificans ex opere operato conferenda. (Excipe Euchariſtiam) vt diximus *c.* 1. *num.* 20. & *cap.* 2. à *num.* 11. ergo Sacramenta antiqua contulerunt gratiam ſanctificantem ex opere operato.

De alio effectu communi omnibus Sacramentis, qui dicitur gratia Sacramentalis.

CErtum eſt, nullum eſſe Sacramentum, quod præter gratiā ſanctificantem iam explicatām, non habeat alium effectum, qui dicitur gratia Sacramentalis. Quo ſuppoſito.

Dubium XII.

43 PEtes duodecimò, in quo conſiſtat ratio gratiæ Sacramentalis? Seu an ſit diſtincta à gratia ſanctificante? Reſpondetur, gratiam Sacramentalem diſtingui à gratia ſanctificante penes hoc, quod includit divinā acceptationem habentem ſe per modum legis, & pacti, quo Deus acceptat ſubiectum habens talē gratiam, & dat illi ius ad collationem ſpecialium auxiliorum in ordine ad proprios fines cuiuſcumque Sacramēti. Quia in Tridentino *ſeſſ.* 14 *in proœmio ad extremam vnctionem* dicitur: *Quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparavit,* (Deus) *quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni graviori ſpiritus incommodo poſſint: ita, & in extremæ vnctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmiſſimo quodam præſidio munivit.* Ita *D. Thom. Suar. Vazq. & Communis citati à G. Hurt. diſp.* 3. *diffic.* 2. Et colligitur ex Scoto *in* 4. *diſt.*

1. *quæſt. 6. in fine* dicente: *Vnde gratia exiſtente in vna anima, Sacramenta tamen diverſa diſtinguūtur penes diverſa ſignificata propria: quæ ſunt diverſi effectus eiuſdem gratiæ*: hoc eſt, diverſa iura in ordine ad diverſos effectus: quia antequam diverſos effectus producat gratia, non poteſt diſtingui à ſe ipſa per effectus.

44 Vnde infero, gratiam Sacramentalem ſupponere gratiam ſanctificantem, & in illa fundari. Itaque eidem phyſicæ entitati gratiæ ſanctificantis annexuit Deus duo iura. Aliud, quo ſubiecto habenti gratiam debeatur vita æterna; remittatur mortale, &c. quæ omnia iura pro vno iure accipio in præſenti. Aliud ius eſt, per quod ipſamet gratia ſanctificans conſtituitur in eſſe gratiæ Sacramentalis: & vi huius tenetur Deus conferre auxilia oportuna ad proprios fines Sacramentorum conſequendos. v.g. gratiæ ſanctificanti, quam Deus præſtat in receptione Euchariſtiæ, alligavit Deus ſuum pactum, quo obligatus manſit, ſeu quo dedit ius gratiæ, vt moveretur Deus ad tempore oportuno conferendum auxilia neceſſaria ad conſequendum proprium finem illius Sacramenti, v.g. vt recipiens Euchariſtiam creſcat in vita ſpirituali.

45 Infero ſecundò; auxilia iſta ſolùm conferre Deum in præparatione animi, hoc eſt, vi gratiæ ſanctificantis non confert Deus auxilia in ipſa receptione Sacramenti: ſed tunc confert gratiam ſanctificantem, & ius in ea fundatum, vt tempore oportuno det auxilia neceſſaria ad proprium finem illius Sacramenti, vi cuius contulit gratiam ſanctificantem. Ex tunc tamen manet Deus obligatus, & paratus prædicta auxilia conferre tempore oportuno.

46 Infero tertiò, hæc auxilia, quæ Deus confert virtute gratiæ Sacramentalis, eſſe efficacia. Quia Tridentinum *ſeſſion. 13. cap. 2.* dicit, Chriſtum Dominum voluiſſe Euchariſtiam ſumi, *tamquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur*: ſed præſervamur per auxilium efficax, & non ſolùm per ſufficiens: ergo prædicta auxilia ſunt efficacia. ¶ Dices: ergo qui ſemel dignè recipit Euchariſtiam, quæ ad perſeverandum ordinatur, perſeverat infallibiliter vſque ad mortem. Reſpondetur negando: quia ita Chriſtus Dominus annexuit auxilia efficacia gratiæ ſanctificanti collatæ vi Sacramētorum, vt non certò, & infallibiliter, ſed tantùm pro libito ſuo conferantur: ad modum, quo quælibet oratio bona eſt impetrativa, ſed non infallibiliter. Vnde conſtat, diverſimode alligaſſe Deum ſuum pactum gratiæ habituali ad ſanctificandum, faciendum filium adoptivum, amicum, &c. ac alligavit ad præ-

ſtandum auxilia efficacia ad Sacramentorum fines conſequendos: gratia enim vi, & efficacia prioris pacti habet certò, & infallibiliter facere filium adoptivum, amicum, &c. ratione tamen poſterioris ſolum habet eſſe inductricem, & excitatricem Dei, vt ipſe conferat tempore opportuno auxilia efficacia; ſed non certò, & infallibiliter, ſed pro menſura ſuæ libertatis; & ad modum, quo virtute orationis movetur Deus ad concedendum petitum, non certò, & infallibiliter, ſed pro libito ſuæ libertatis, vt benè notat G. Hurt. *diſp.3. diff 3. in fine.*

47 Ex dictis pro noſtra concluſione reijcio Paludanum *in 4. diſtinct. 2. quæſt. 3.* docentem, gratiam Sacramentalem eſſe habitum quemdam ſuperadditum gratiæ ſanctificanti diverſum in ſingulis Sacramentis. Id tamen a Scholaſticis communiter reijcitur: quia dicitur ſine fundamento, & neceſsitate.

¶ Reijcio etiam Capreolum in *4. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 3.* qui non multum diſſentiens à Paludano docet, gratiam Sacramentalem eſſe, qualitatem ſuperadditam gratiæ iuſtificanti, & diverſam in ſingulis Sacramentis: quam in Sacramentis imprimentibus characterem dicit eſſe ipſummet characterem; & in alijs Sacramentis eſſe alias diſtinctas qualitates. Sed Capreolus etiam communiter reijcitur; quia ſine fundamento, & neceſſitate conſtituit illas qualitates diſtinctas à gratia iuſtificante. Adde, quòd contra rationem in Sacramento imprimente, characterem conſtituit gratiam Sacramentalem in charactere: quia contingit, imprimi characterem ſine gratia Sacramentali: vt patet in baptiſmo fictè recepto. Inſuper contingit, recipi gratiam Sacramentalem, quin imprimatur character: vt conſtat in baptiſmo fictè ſuſcepto, quando recedit fictio. Tunc enim datur gratia tam ſanctificans, (vt fert communior ſententia nobis oppoſita iuxta dicta *à num. 34.*) quàm Sacramentalis; & tamen non imprimitur character: quia iam impreſſus ſupponitur.

¶ Reijcitur etiam D. Bonavent. *in 4. diſtinct. 1. art. 1. quæſt. 6.* dicens, gratiam ſanctificantem eſſe Sacramentalem, quatenus curat animam à peccatis. Tamen per hoc nequeunt diſtingui hæ duæ gratiæ: quia quæcumque gratia ſanctificans eſt curativa peccatorum, & de facto curabat in lege antiqua ſine ordine ad Sacramenta, prætertim gratia, quæ dabatur, deperdita prima.

Dubium XIII.

48 PEtes decimotertiò, an detur Sacramētum dignè ſuſceptum ſine gratia Sacramentali? Reſpondetur affirmativè. Quia diverſa diſpoſitio requiritur ad gratiam ſanctificantem vi Sacramēti collatam; ac requiritur ad gratiam Sacramentalē: poteſt ergo contingere, (& de facto ſæpè contingere credo) quòd recipiens Sacramentum habeat diſpoſitionem requiſitā ad gratiam ſanctificantem; non autem ad gratiam Sacramentalem: ac per conſequens, quod recipiat illam; non autem iſtam. Antecedens conſtat ex dictis *à num.* 2. *&* *à num.* 17. *& num.* 40. vbi ſtatuimus diſpoſitionem requiſitā ad hoc, vt Sacramenta vivorum conferant gratiam ſanctificantē, eſſe, quòd recipiantur ſine obice, hoc eſt, ſine culpa mortali cognita. Conſtat etiam, diſpoſitionem requiſitam, vt Sacramenta mortuorum præſtent gratiam ſanctificantem eſſe peccatorum diſplicentiam, quæ ſaltèm ſit ſupernaturalis attritio. Ex quibus conſtat probatio prioris partis antecedētis, nempè, quæ diſpoſitio ſit requiſita ad gratiam ſanctificantē. De poſteriori autem parte antecedentis, ſeu vt declarent, quæ diſpoſitio, ſit neceſſaria ad gratiā Sacramentalem diverſimode loquuntur AA. Ego autem exiſtimo, requiri voluntatem recipiēdi Sacramentum. (ſufficit implicita contenta in contritione ſupernaturali, aut dilectione Dei ſuper omnia: vt declaravi *n.* 24. Immo ſufficit voluntas interpretativa, propter quam ſolùm conſuevit adminiſtrari Sacramentū extremæ vnctionis moribundo ſubitò ſenſibus deſtituto:) Inſuper requiritur accedere ſine tepiditate, hoc eſt, ſine propoſito committendi venialia: immo & cum diſplicentia de commiſsis. Hæc duo tantùm exiſtimo requiri neceſſario. Quia, cùm per gratiam Sacramentalem remittantur venialia præterita, & præſervemur à futuris, videtur neceſſariò requiri pro diſpoſitione huius gratiæ deteſtatio præteritorū, & prçcautio circa futura. Sicut idēmet requiritur loquēdo de mortalibus, vt conferatur gratia ſanctificans, ſivè in Sacramento, ſivè extra Sacramentum. Et ſicut nihil aliud requiritur ad collationē gratiæ ſanctificātis: ita nihil aliud requiritur ad poſitionem gratiæ Sacramentalis. ¶ Scio, multa alia ab alijs requiri, nempè actualem fidem de illo Sacramento; ſpem cōſequendi gratiam Sacramentalem, & media illa, ſeu medio illo Sacramento ſalutem animæ; & non pauca alia. Tamē hæc omnia ad conſequendum gratiam Sacramentalem ſunt quidē vtilia, aut neceſſaria ſecundùm quid; (vt vocant) non tamen ſunt adeò neceſſaria, vt ſine illis, aut ſine aliquo illorum non detur

tur gratia Sacramentalis.

49 Ex dictis infertur, ponere obicem gratiæ Sacramentali; & conſequenter illam non recipere, eum, qui complacet de venialibus præteritis, aut habet animũ non evitandi futura; ſeu potiùs qui non diſplicet de præteritis, & non proponit præcavere venialia futura. Quod probo à paritate gratię ſanctificantis: quam ſtatuit Deus conferre non cuicumque recipienti Sacramentum; ſed ſolùm recipienti illud cum debita diſpoſitione, ſeu non ponenti obicem, id eſt, illi, qui diſplicet, vel ſaltèm non complacet de mortalibus præteritis, & proponit (ſaltèm interpretativè) præcavere futura.

Dubium XIV.

50 Petes decimoquartò, an duo Sacramenta eiuſdẽ ſpeciei, vel rationis (duæ communiones, v.g.) conferant æqualem gratiam Sacramentalem diverſis ſubiectis æqualiter diſpoſitis? Reſpond. affirmative. Quia non apparet, vnde inæqualitas gratiæ illis poſſit provenire: vt in ſimili diximus *à num.* 17. agendo de gratia ſanctificãte. Vnde multa in præſenti ſunt mutuanda.

Dubium XV.

51 Petes decimoquintò, an Sacramentum in voto eamdem gratiam Sacramentalẽ conferat, ac cõferret realiter ſuſceptum? Reſpondetur negativè. Quia ſoli reali ſuſceptioni Sacramenti alligavit Deus ſuum pactũ conferendi gratiam Sacramentalem: vt in ſimili diximus *à num.* 24. loquendo de gratia ſanctificante: vnde multa ſunt mutuanda.

Dubium XVI.

52 Petes decimoſextò, quãdo conferatur gratia Sacramẽtalis? Reſpondetur, quod, quãtũ ad ius, datur quãdo datur gratia ſanctificans, in qua tale ius fundatur; collatio tamen auxilij confertur, quando recipiens Sacramentum vult oportune operari ad conſequendum finem illius Sacramenti. Vnde patet, ab inſtanti, in quo Deus confert gratiam ſanctificantem vi alicuius Sacramenti manere paratum ad conferendũ auxilia tẽporé oportuno, quæ neceſſaria fuerint ad talem conſecutionem. Recolantur dicta *à num.* 44.

Dubium XVII.

53 Petes decimoſeptimò, an praecedente impedimento, Sacramenta conferant gratiam Sacramentalem? Reſpond. negativè. Quia iſte ſponte, ſeu ſciens, & volens ſe privavit illa gratia, inferendo aliqualem iniuriam, ſeu irreverentiam Sacramento; ſiquidem non poſuit diſpoſitionem requiſitam, vt Sacramentum conferret gratiam

Sa-

Sacramentalem; & hoc ſcienter, & plenariè volens: (vt ſuppono) ergo non videtur congruũ, quòd Sacramentum ei conferat gratiã Sacramentalem, quando recedit fictio, ſeu impedimentum. Patet conſequentia ex dictis *à num. 34.* Vnde multa huc poſſunt vocari.
¶ Dices: *num. 35.* diximus, recipere gratiam ſanctificantem, quando recedit fictio, illum, qui etſi indiſpoſitus, ſeu ſub peccato mortali acceſsit ad Sacramentũ, illi tamen non intulit iniuriam; eoquòd oblivione, aut ignorantia inculpabili acceſsit exiſtimans eſſe ſine culpa. Immò *num. 36.* addidimus, illi gratiã ſanctificantem conferri in ipſa Sacramenti receptione: ergo idem in præſenti eſt dicendum, nempè conferri gratiam Sacramentalem illi, qui ob naturalem inadvertentiã non elicuit diſplicentiam de venialibus, quando poſteà de illis diſplicet; immò, & in ipſa Sacramenti receptione. Patet: quia hic ceſſat fundamentum noſtrę concluſionis, nempè Sacramento factam fuiſſe iniuriam, ſeu irreverentiã; propter quod minùs congruum videtur, Sacramentum conferre gratiam Sacramentalem. Reſpondetur, ita eſſe. ¶ Ex dictis conſtat, nos hoc dubiũ exagitare ſolùm in caſu, quo recipiẽs Sacramentũ accedit cùm diſpoſitione requiſita ad gratiã ſanctificantẽ, & illam de facto recepit; non autẽ accedit diſpoſitus ad recipiendum gratiam Sacramentalem.

De alio effectu aliquorum Sacramentorum, qui dicitur character.

DVBIVM XVIII.

54 PEtes 18. Quid ſit character? & quas proprietates habeat? Reſpondetur, quod characterem (Græcè, Latinè figuram) vocant ſignum, ſeu ſigillum, quo ſolet ſignari res aliqua; vel, vt cognoſcatur, & diſtinguatur ab alijs: quo fine ſolet ſignari ſervus, aut ovis charactere proprio Domini ſui. Vel, vt in pretio habeatur: qua intentione ſignatur pecunia, ſeu metallum ſigillo, aut charactere Regio. Vel, vt ad aliquod munus deputetur: quo fine milites charactere militari inſigniuntur. Hanc eſſe acceptionem characteris, conſtat ex vſu omnium loquentium de prædicta voce. Verum eſt, quòd cùm voces communiter primo ſint impoſitæ ad ſignificandum res externas, ſeu ſenſibiles; per vocẽ *character* (quæ adinventa fuit à profanis) ſignificamus ſæpè ſignum ſenſibile. Propter quod baptiſmus ipſe, & quodcumque aliud Sacramentum charactizans dici poteſt character generaliùs accipiendo vocem *character*: vt notat Scotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 9. §. Hic intelligendum, verſ. De primo.* Sed quid quid ſit de prima, & iam minùs propria impoſitione huiꝰ vocis *character*; iam tranſlata

eſt

eſt à Patribus, & Scholaſticis ad ſignificandum ſignum ſpirituale impreſſum a Deo in anima ſuſcipientis Sacramentum non iterabile: vt conſtat ex Tridentino *ſeſ. 7. can. 9. de Sacramentis in genere.*

55 Quod ſignum, ſeu character ex convenientia Theologorum habet aliquas proprietates: *Quarum duæ ſunt communes ſibi, & cuilibet formæ, ſcilicet quod eſt forma aſsimilatiua alij habenti; & quod eſt diſtinctiua a non habente. Et aliæ ſpeciales: quarum vna eſt, quod eſt ſignum rememoratiuum Sacramenti ſuſcepti. Alia quod eſt ſignum confirmatiuum Christo, cuius Sacramentum ſuſcipitur; & etiã obligatorium eo modo, quo ſuſcipiens Sacramentum obligatur per eius ſuſceptionem*: inquit Scotus ibi, *verſ. Sed his omnibus.* Igitur de charactere in hac acceptione, & habente has proprietates aliqua ſunt in præſenti examinanda.

Dubium XIX.

56 Petes decimonono, an aliquis realis character ſit admittendus? Reſpondetur affirmatiuè. Quia ſic videtur definiſſe Eugenius Quartus: *in decreto fidei, quod eſt poſt vltimam ſeſsionem concilij Florentini*, & Tridentinũ *ſeſ. 7. can. 9.* Quod & prædocuerat Innocentius Tertius *cap. Maiores de Baptiſmo, & eius effectu* dicens: *Qui ficté accedit ad baptiſmum, characterem ſuſcipit Christianitatis impreſſum.* Et ibidem in fine: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem.* Et ratio congruentiæ eſt, eſſe congruum, vt receptus in familia Christi D. per baptiſmũ (Idem eſt de adſcripto in militia per cõfirmationem; & de recepto in miniſteriũ ſpeciale domus per ordinem.) diſtinguatur a non recepto per aliquid reale ſibi intrinſecum, tanquam per modũ diſtinguendi perfectiorem. Ita AA. communiſsimè, & præcipuè Scotus, qui aſsignat inter alias prædictã rationem congruẽtiæ; & de cuius mente dicam à *num. 66.*

57 Sed contra hanc ſuam cõcluſionem obijcit Scotus *in 4. d. 6. q. 9. §. Secundum principale à verſ. Secundò principaliter*: alijs rebus conſecratis non imprimitur aliquid reale: ergo in receptione baptiſmi, v. g. baptizato nihil reale imprimitur. Antecedens conſtat in calice, templo, &c. Reſpondet Scotus *ibi §. Ad quæſtionem verſ. Ad argumenta alterius*, quòd *alia conſecrata non recipiunt formam inhærentẽ eis, quia non ſunt capacia: homo autem capax eſt gratiæ, & diſpoſitionis cuiuſdam ad gratiam. Et ideo, quando propter impedimentum ſuum non recipit gratiam, recepit tamen iſtam diſpoſitionem, & iſta eſt character.* Reſpondetur ſecundo, negando conſequentiam: eo quod ſic voluit Christus D. inſtituens Sacramẽta ali-

aliqua imprimentia characterē: hanc autem Chriſti Domini voluntatem declaravit Eccleſia præcitatis authoritatibus. ¶ Obijcit ſecundò Scotus: pluralitas non eſt ponenda ſine neceſsitate: ſed nulla eſt neceſsitas ponendi, characterem eſſe quid reale: ergo fruſtra ponitur. Reſpondetur negando minorem propter vtramque ſolutionem nupèr adductam.

58 Sed in probationem minoris multa congerit Scotus: & in primis probat, non eſſe neceſſarium admittere characterem, tamquam diſpoſitionem ad gratiam: quia anima nō habens peccatū eſt ſummè diſpoſita ad recipiendū gratiam. Reſpondet Scotus, quod *de potentia ordinata non poteſt haberi perfecta innocentia ſine tali forma intrinſeca; cui Deus aſſiſtet ad talem innocentiam cauſandam.* Itaque character reſpectu gratiæ Sacramentalis, ſeu primæ gratiæ ſanctificantis, quæ datur vitute baptiſmi realiter ſuſcepti, eſt diſpoſitio ex ordinatione divina; non autem phyſica, ſeu ex natura rei. Et hoc ſolùm probat ratio illa, quòd anima ſine peccato eſt ſummè diſpoſita. Vel dicatur, eſſe quidem ſummè diſpoſitam negativè, non verò poſitivè.

59 Ad probandum eamdem minorem dicit Scotus: non eſt neceſſarium ponere characterem propter aſsimilationem, & diſtinctionem: nam ſicut omnes, qui eámdem religionem profeſsi ſunt, aſsimilantur invicem, & diſtinguuntur ab alijs non profeſsis *non per aliquam formam ſibi inhærentem poſt profeſsionem, ſed quia talem actum habuit in præterito: ita ſine forma inhærente poſſet baptizatus aſsimilari baptizato, & diſtingui à non baptizato.* Reſpōdetur, characterem poni, non quia ſine illo non poſſet abſolutè baptizatus, v. g. diſtingui à non baptizato, & baptizato aſsimilari: ſed quia aſsimilari, & diſtingui per aliquid intrinſecū eſt perfectior modus aſsimilandi, & diſtinguēdi. Et ideò meritò dixit Scotus, §. *Ad quæſtionem, verſ. Conſimiliter*, quòd *ſi homo recipiens homogium alterius, vel Prælatus recipiens alium ad profeſsionem poſſet aliquam formam imprimere obligato, magis hoc faceret, quàm quòd abſolutè per actum præteritum ſibi eſſet obligatus. Deus autem poteſt talem formam configurantem, hoc eſt, oſtendentem obligationē imprimere in anima, &c.*

60 Obijcit etiam Scotus ad probandum illam minorem: non eſt neceſſarium ponere characterem, vt ſit ſignum rememorativum Sacramenti. Patet, quia aut hoc eſſet propter excellentiam Sacramenti in ſe; aut propter aliquam habitudinem ad alios, qui ex ipſo ſigno cognoſcerent ſignatum. Non primum: quia excellētiores ſunt fides, & charitas, quā ſuſcepiſſe baptiſmum, v. g. & tamen non habent aliquod ſignum

rememorativum, poſtquam in-fuerunt. Nec ſecũdo modo: quia vel in comparatione ad Deum, vel ad proximum. Non primum: quia Deus ſine omni ſigno inexiſtente cognoſceret, iſtum ſuſcepiſſe Sacramentum, & fuiſſe baptizatum, v. g. Non in ordine ad proximum: quia vel in ordine ad beatum in gloria; vel ad damnatum in inferno, ad confuſionẽ, vel maiorem gloriam habentis tale ſignum. Sed neutrum poteſt dici: quia maior gloria eſt Beato habuiſſe actum charitatis, quàm ſuſcepiſſe baptiſmum: & maior confuſsio eſt damnato, cecidiſſe à charitate, quàm à ſuſceptione baptiſmi; & tamen charitatis, ſeu actus meritorij nullum ponitur ſignum rememorativum in Beato, neque in damnato. Reſpond. ex Scoto *ibi verſ. Quod etiam additur* negando aſſumptum. Ad probationem dico, characterem poni propter excellẽtiam Sacramenti, non cuiuſcumque, ſed illius, per quod aliquis recipitur in familiam Chriſti D. aut adſcribitur in eius militiam; vel aſſumitur ad aliquod ſpeciale miniſterium in eius domo. Nec obſtat, fidem, charitatem, aut meritum eſſe excellentiora, & tamen non imprimere characterem: nam, vt benè vidit Scotus *ibi* §. *Ad rationes verſ. Ad ſecundum, non omnis perfectio in anima habet tale ſignum rememorativum perpetuum; ſed illa, per quam conſtituitur habens eã in aliquo determinato gradu in Eccleſia. Huiuſmodi non ſunt virtutes: quia communes ſunt omnibus membris in quocumque gradu; ſed Sacramenta, tàm illud, per quod intratur in Eccleſiam, quam alia, vt confirmationis, & ordinis.*

61 Reſpõd. ſecundo, (admiſſo, characterem non poni propter excellentiam Sacramenti in ſe) ponendum eſſe propter aliquã habitudinem ad alios; vt ex ipſo ſigno cognoſcant ſignatum. (Omitto, characterem non ſolùm habere rationem ſigni rememorativi propter alios, ſed etiam propter ipſum, qui ſuſcipit Sacramentum: vt notat Scotus *ibi* §. *Ad quæſtionem verſ. Quod etiam*) Et cum obijcitur quod *Deus poſſet cognoſcere ovem ſuam ſine ſigno, ſeu charactere, non obſtat* (ait Scotus nupèr citatus) quia etiam poteſt, illam cognoſcere cum ſigno: & aliàs iſte modus aſsimilandi, & diſtinguendi eſt perfectior.

¶ Ponitur etiã character propter Beatos, & damnatos, ſcilicèt, vt cognoſcant ovem *ſignatam, quam non cognoſcerent non ſignatã:* inquit Scotus ibi. Quare meritò concludit, ponendum eſſe characterem *in comparatione & ad Deum, & ad proximos, ſive in Beatitudine ad gloriam, ſive in damnatione ad confuſsionem.*

62 Dices: ergo Chriſtus Dominus, & Beata Virgo carent iſta excellentia gloriæ. Reſpondetur cum Scoto citato concedendo. Neque in hoc apparet aliquod inconveniens: quia character non

eſt

eſt perfectio ſimpliciter, ſed ſecundū in quid. Quod ſic declarat Scotus *ibi verſ. Sed illa. Sicut in natura creata ſunt aliquæ perfectiones non ſimpliciter, ſed in tali natura; quia ſunt perfectiones ſupplentes imperfectionem.* (potentia nutritiva v. g. in homine, quæ ſupplet imperfectionem, indigentiam, ſeu neceſsitatem manducandi, quam ad ſui conſervationem habet homo; & quam non habent Angelus, & anima) *Ita poteſt dici de iſto* charactere, *quòd eſt perfectio ſupplens imperfectionem. Et ideò non competit omni perfecto, neque etiam competit illi perſonæ, in qua eſt aliqua perfectio maior ſupplens imperfectionem, quam ſit iſta.* Maior autem iſta perfectio reperta in Chriſto Domino ſupplens imperfectionem, quam ab à ſuppleret character eſt, eſſe ſupremum Dominum, Regem, aut Caput totius familiæ, militiæ, & domus. Sicut enim in rebus viſibilibus eſſe Dominum familiæ, maioris ponderis, & æſtimationis eſt, quā eſſe membrum illius; & ſicut eſſe ſupremum Ducem militiæ, eſt maioris dignitatis, quàm eſſe militem; & ſicut eſſe caput domus eſt maioris excellentiæ, quàm eſſe ſervum deſtinatum etiam ad ſpecialiſsimum miniſterium domus. Ita in præſenti longè altioris dignitatis, & excellentiæ ſunt in Chriſto Domino ſupremum dominium familiæ; Regalis, aut Ducis poteſtas militiæ Chriſtianæ, & eſſe Caput totius domus, quàm poteſtas, quam quodlibet membrum, ſeu fidelis recipit virtute characteris. Quia ſicut vi characteris baptiſmi expellitur ab homine imperfectio non eſſendi de familia Chriſti D. & per characterem confirmationis imperfectio non eſſendi de eius militia; & per characterem ordinis imperfectio non eſſendi deſtinatum in ſpeciale miniſterium domus. Ita longè altiori modo Chriſtus Dominus ratione ſupremi dominij, quod habet ſupra ſuam familiam, gaudet perfectione eſſendi in prædicta familia; & ratione Regalis, & Ducis poteſtatis gaudet perfectione illius militiæ; & demùm ratione poteſtatis Capitis, ſeu quia eſt caput domus, gaudet perfectione poteſtatis exercendi quodcumque ſpeciale miniſterium domus: ideoque exercuit munus Sacerdotale. Cum aliqua proportione iſta accommodanda ſunt Virgini. Eſt enim longè excellentius, eſſe matrem ſupremi Domini, Regis, aut Ducis, atque Capitis; quàm eſſe membrum, miles, aut habere miniſterium domus.

63 Obijcit adhuc Scotus contra poſitionem characteris: non videtur probabile, Deum conferre ſuum donum ei, qui non ſolùm eſt in peccato mortali, ſed etiam in illo actu peccat mortaliter. Sed fictus recipiendo baptiſmum (cōfirmationem, aut ordinem) peccat mortaliter (facit enim irreverentiam

Sacramento) ergo Deus virtute Sacramenti (confirmationis, aut ordinis) non confert ei ſuum donum, ſeu characterem. Probatur maior: quia, ſi Deus conferret aliquod donum, ſeu characterem fictè recipienti Sacramentum, conferret omne donum, ſeu gratiam ſanctificantem: etenim Dei perfecta ſunt opera: (*Deuter.* 32.) & ideò nullum curat, quem non perfectè curat. Reſpondetur ex Scoto *ibi* §. *Ad quæſtionẽ à verſ. Ad tertium* negando maiorem. Non enim vult Deus, *Sacramentum ſuum, quod verè ab eo ſuſcipitur, eſſe vanũ:* (ait Scotus *ibi verſ. Ad tertium*) *& ita vult, ibi aliquẽ effectum cauſare; nõ autem vltimũ, quia indiſpoſitus eſt.* Itaque non vult Deus, Sacramentum illud, per quod quis adſcribitur in familia, militia, aut domo, carere aliquo ſpeciali effectu. Ad probationem maioris dico, non ſemper Deum ſimul conferre omnia dona ſua: immò frequentiſsimè oppoſitum contingere: vt patet in gratijs gratis datis: *alij enim datur interpretatio ſermonum; alij genera linguarum, &c.* 1. *ad Chorint.* 12. Verum eſt, quòd in prima hominis iuſtificatione ſimul illi infunduntur fides, ſpes, & charitas cum remiſsione peccatorũ: vt teſtatur Tridentinum *ſeſione* 6. *cap.* 7. Propter quod dixit Auguſtinus; (teſte Scoto *in* 4. *d.* 4. *q.* 5. §. *Reſpondeo, verſ. Sed contra*) *impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam*; nempè quia Deus conferens gratiam ſanctificantem in animam, non ſolùm eam ſanat, ſed etiam eius potentias (ſcilicèt intellectum, & voluntatem) per infuſsionem fidei, ſpei, & charitatis. Hoc tamen parum facit ad rem: quia character non ſpectat formaliter ad curandum; ſed per eam tantum diſponitur homo ad curationem, ſeu ad recipiendum gratiam ſanctificantem, ſeu curantē à morbo peccatorum: vt notat Scotus *ibi verſic. Et cum probat.*

64 Inſuper obijcit Scotus: character non eſt gratia gratis data: non enim eſt aliquod ex donis enumeratis 1. *ad Chorint.* 12. ibi enim tantùm enumerantur illæ novem, ſapientia, ſcientia, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum. Inſuper character non eſt gratia gratum faciens: quia per illum perſona non conſtituitur in aliquo gradu acceptationis reſpectu Dei: ergo character non datur, qui ſit aliquid reale. Reſpondetur ex Scoto *ibi verſ. Per hoc*, characterem reduci ad gratiam gratum facientem: cum diſponat ad gratiam ſanctificantem. Reſpondetur ſecundò, eſſe gratiam gratis datam: datur enim ex primaria intētione in vtilitatem aliorum. Nec refert, ibi non enumerari ab Apoſtolo: quia illa diviſio gratiæ gratis datæ in illas novem nõ eſt adæquata: etenim non comprehendit poteſtatē adminiſtrãdi

Sa-

Sacramēta: *vt cum Bellarm. Lorca, & Vazq (contra D.Thom.) dixi in tract. Incarnationis cap.7.diff. 6.num. 12.*

65 Denique obijcit ſibi Scotus: nulla forma ineſt animæ, quam non poteſt Deus delere: quia non minùs eſt in poteſtate Dei deſtruere, quod creavit, quàm illud creare: ergo non datur character, qui ſit indelebilis. Reſpondet Scotus ibi, characterem dici indelebilem, ſeu incorruptibilem, non reſpectu potentiæ Dei; ſed reſpectu virtutis alicuius creaturæ: nulla enim poteſt illum phyſicè deſtruere; immo neque Deus per potentiam ordinariam. Addit Scotus, quòd *reſpectu characteris delendi nulla poteſt eſſe cauſa demeritoria: cùm enim imprimatur in actu peccandi mortaliter, nihil poteſt demereri, ipſum tolli.*

Dubium XX.

66 Petes vigeſimò, quid de reali charactere ſenſerit Scotus? Reſpondetur ſatis conſtare ex dictis *à num.* 56. ſenſiſſe eſſe admittendum: quod & probat aliquibus congruentijs: & omnia argumenta contra eius poſitionem facta ſolvit: vt iam vidimus. Quia tamen apud nonnullos illius mens adhuc caligat, apertiùs adhuc id eſt demonſtrādum.

67 Igitur Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.*9.§. *Hic intelligendum verſ. Secundum principale* refert ſententiam negativam, quę affirmabat, characterem, non eſſe formam realem, ſed quamdam deſignationem, ſeu denominationē extrinſecam. Itaq; affirmabat prædicta ſententia, quòd ſicut quando conſecratur calix, Eccleſia, aut veſtes ſacræ, nihil reale imprimitur; ſed ſolùm quædam deſignatio, aut denominatio extrinſeca, per quam res illa verè dicitur deſignata in cultum Dei. Ita per baptiſmum v. g. baptizatus verè remanet deſignatus in familiam Chriſti Domini, eo quòd pebaptiſmum recepit, non aliquid reale in anima; ſed ſolùm quamdam deſignationem, aut denominationem extrinſecam deſignati in familiam Chriſti Domini. Quam deſignationem prædicta ſententia vocat characterem; immò & ipſummet Sacramentum, à quo dicta denominatio dimanat.

68 Hanc ſententiam impugnavit D.Thom. *in* 4.*diſt.* 1. *quæſt.* 4. adducendo authoritatem Dionyſij. (vt teſtantur Marginiſtæ Scoti) Doctor tamen ſubtilis *ibi à verſ. Sed iſtæ authoritates* oſtendit, illam authoritatem, necnon & aliam Damaſceni non adduci ad mentem horum Patrum: quia eorum intentū non fuit affirmare, realem characterem imprimi in Sacramento. Poſteà Scotus *à verſ. Hoc etiam* authoritate Sanctorū, & varijs rationibus arguit pro ſentētia, quæ negat, in aliquo Sacramento imprimi realē cha-

racterem. Et tandem §. *Ad quæſtionem* duo affirmat. Primum eſt non poſſe probari ratione, experientia, Scriptura ſacra, vel claris, & expreſsis Sanctorum locis, ponendum eſſe realem characterem: omnes enim Sanctorum authoritates exponi poſſunt de ipſo baptiſmo, v. g. qui poteſt dici character, & ſignaculum; vt notabamus *num.* 54. Alterum, quod affirmat Scotus, eſt, ſolùm propter authoritatem eſſe ponendum characterem. Sic quippè concludit: *Propter ergo ſolam authoritatem Eccleſiæ, quantum occurrit ad præſens, eſt ponendum, characterem imprimi.* Authoritas autem, qua motus fuit Scotus, eſt illa Innocentij Tertij, *cap. Maiores*, quam *num.* 56. tranſcripſimus: nulla enim ita clara pro tunc extabat: quamvis poſt Scoti tempora concilia Florentinum, & Tridentinũ (quorum verba *num.* 56. etiam dedimus) iam apertè definiſſe videantur. Dixi conſultò *poſt Scoti tempora*: etenim vixit Scotus ad annum 1308. Eugenius autem Quartus (ſub quo cõcilium Florentinum fuit celebratum) ad annum 1431. Cœpit verò Tridentinum ad annum 1545. Quia tamen hoc vltimum Scoti aſſertum aliquibus diſplicet, in eius propugnatione aliquantulum eſt immorandum.

Dubium XXI.

69 Petes 21. an ſolùm authoritate Eccleſiæ ſit tenendum, ponendum eſſe realem characterem? Reſpond. affirmativè. Quia nulla firma ratio id probat, vt ex ſolutione illarum patebit. Immò addendum eſt, ante Scoti tempora nullam fuiſſe expreſſa Sanctorum authoritatẽ. Ita *Scotus & Scotiſtæ cum alijs.*

70 Sed contra hanc Scoti ſententiam inſurgunt & multa congerunt *Vvaldenſis tom. 1. de Sacramentis cap.* 109. *Sotus in 4. diſt. 1. quæſtione 4. artic. 1. & Suarez diſput. 11. ſect. 1.* (quamvis non nihil faveat Scoto) quæ omnia ex noſtro Fabro *diſput. 24. cap. 2. à num.* 10. breviter proponemus, & ſolvemus. ¶ Igitur obijciunt primò, quòd Eccleſia decrevit, aliqua Sacramenta imprimere characterem: vt conſtat *ex num.* 56. ergo ex traditione Apoſtolorum, & ſacris literis collegit hanc veritatem: ergo continebatur in Scriptura, aut traditione. Et ideò Vvaldenſis dixit, in hoc erraſſe Ioannem Vviclef, quatenùs dixit, quòd quidam multiplicant in ordinibus, & Sacramentis characteres ſine fundatione, & fructu, & ſine Scriptura. Reſpondetur diſtinguendo ſecundum conſequens: implicitè, concedo: explicitè, nego. Itaque Eccleſia veritatem iſtam (*character imprimitur in receptione aliquorum Sacra-*

cramentorum) deſumptis ex Scriptura, & traditione Apoſtolorum, in qua eius cognitio continebatur, non explicitè, & clarè, ſed implicitè. Vnde cùm à temporibus Apoſtolorum baptiſmus (confirmatio, & ordo) fuerit irreiterabilis; & hoc fuerit notum: & inſuper fuerit notum, baptiſmum eſſe adſcriptionem alicuius in familiam Chriſti Domini; (cõfirmationem in militiam; & ordinem in miniſterium domus) paulatim notum factum eſt, baptiſmum (confirmationem, & ordinem) imprimere characterem; & declaratũ, quomodo ipſe (confirmatio, & ordo) ſit ſignaculum, ſigillum, & character, (efficienter, ſeu ſignative) aut characterem imprimat.

71 Vnde cõſtat, in quo ſenſus Vviclef ſit reprehendendus. Eſt enim omni reprehenſione dignus, tamquam hæreticus, ſi intendat damnare determinationem Eccleſiæ. Eſt item reprehendendus, ſi velit, (adhuc præciſa determinatione Eccleſiæ) hanc veritatem de charactere nõ contineri in Scriptura. Non tamen eſt reprehendendus, ſi intendat, ibi non contineri clarè, & expreſsè. ¶ Dices: hæc veritas continebatur in Scriptura? ergo ante determinationem Eccleſię quilibet Pater, aut Scholaſticus poterat, eam deducere. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: probabiliter, concedo: certitudinaliter, nego. Quia ſicut ſola Eccleſia docet, & declarat omnimoda certitudine, quæ ſint Scripturæ Canonicæ: ita ipſa ſola eſt, quæ omnimoda certitudine declarat legitimum ſenſum; & proponit, vt expreſsè credenda myſteria fidei; quę ante erant implicitè tantùm nota.

72 Obijcies ſecundò multas authoritates Scripturæ in quibus videtur concedi realem characterem. Talis eſt illa *ad Epheſ. 4. Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei; in quo ſignati eſtis in die Redemptionis. Et 2. ad Chorint. 1. Qui vnxit nos Deus; & qui ſignavit nos Deus; & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Reſpondetur, nullam harum authoritatum, aut aliam Scripturæ cogere, vt per ſignum, & ſignaculum intelligamus characterem impreſſum à baptiſmo; ſed commodè poſſunt interpretari de gratia, quæ eſt ſignaculum, aut ſignum Spiritus Sancti: vt Sotus fatetur, eas interpretari D. Th. *3. p. q. 63. art. 3.*

73 Obijcies tertiò diverſas Patrum authoritates, quibus frequenter baptiſmũ appellant characterem, ſignaculum, & ſigillum. Sufficiat D. Baſilius *hom. 13. quæ eſt exortatio ad baptiſmum* dicens: *Niſi characterem in te cognoſcat Angelus, quonam modo pugnabit pro te? aut ab inimicis vindicabit? Quomodo (inquam) dices: Dei ſum ſigna non oſtendens? An*

ignoras, quemadmodum ſignatas domus in Ægypto exterminator præterijt? Theſaurus non obſignatus furibus facilè patebit: ovis itē abſque nota inſidijs protinùs eſt obnoxia. Reſpond. hanc, & ſimiles authoritates intelligi de gratia cauſata à Sacramento, per quam tantùm liberabitur homo ab Angelo percutiente, ſeu à dæmonio. ¶ Si autem ſit aliqua authoritas, quę aptè nequeat explicari de gratia cauſata à Sacramēto; aut in ſenſu cauſali: nitanturquè adverſarij, eſſe intelligendam de charactere in ſenſu formali, parum nos vrgebit: quia Sacramentum ipſum dicitur ſignaculum, ſeu character; vt notabamus *num.* 54.

74 Obijcies quartò, antiquā fuiſſe litem inter Catholicos, & Donatiſtas; eo quòd hi dicebant, baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizandos, quando veniunt ad Eccleſiam, quia non recipiebant gratiam; Catholici autem dicebant, nō eſſe rebaptizandos, quia etſi gratiam non receperint, tamen characterem receperant: & ideò baptiſmum non eſſe repetendum, ſed comprobandum: ergo nomine characteris intelligebant aliquid cauſatum à baptiſmo, & diſtinctum à gratia. Reſpond. diſtinguendo conſequens: aliquid phyſicum cauſatū à baptiſmo, & diſtinctum à gratia, nego: morale, concedo. Sicut enim peccatum mortale in anima non ſolùm deſtruit gratiam ſanctificantem; ſed etiam cauſat aliquid morale, à quo homo verè, & realiter dicitur habitualiter peccator. Ita poterat reſpōderi, (ſi authoritas Eccleſiæ nō obſtaret) Sacramentum characterizans non ſolùm cauſare gratiam in anima; ſed etiam characterē; qui non eſt aliquid phyſicum, ſed morale; & per quem homo verè & realiter dicitur baptizatus., & adſcriptus familiæ Chriſti D. Et nonſecùs acc calix, vas, & veſtes ſacræ verè, & realiter dicuntur Deo conſecratę, ſolùm per extrinſecam denominationem. Et ſicut poſt emiſsionem voti verè, & realiter maneo obligatus Deo nō ļvi alicuius entitatis realis phyſicè in me remanē tis; ſed per quamdam moralitatē, quæ ex emiſsione voti in me remanſit.

75. Hinc ſolvitur illa authoritas Auguſt. *lib.* 2. *ad Parmeniam c.* 15. (quam Fab. *ibi n.* 18. exiſtimat eſſe evidētiorē alijs) vbi à ſimili de charactere Regis militi impreſſo arguit de charactere Chriſtianitatis dicens: *Si militiæ characterē in corpore ſuo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit; ac prece fuſa, & impetrata iam venia, militare cœperit; numquid homine liberato, atque correcto character ille reperitur; ac non potiùs agnitus approbatur? an fortè minùs hærent Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota?* Sentit ergo Auguſtinus, quòd ſicut in corporali militia character eſt aliquod ſignum phy-

phyſicum: ita in anima baptizati (confirmati, & ordinati) character eſt quid phyſicum diſtinctum à gratia. Reſpondetur negando conſequentiam: aliàs per ſimile argumentum probaretur, quòd, ſicut latro aliquando a iudice ſigillo in corpore phyſicè impreſſo notatur latrocinij: ita peccator, tranſacto peccato mortali, non ſolùm maneret ſine gratia; ſed etiam per aliquid phyſicum maneret ſigillatus. Igitur vult Auguſtinus adſtruere, baptiſmum à quocumque collatum non eſſe reiterandum, ſicut in milite, qui pavidus fugit à militia, non reiteratur primū ſigillum, quod, quando militiæ primo nomen dedit, ei fuit impreſſum. Quòd autem hoc ſigillum Chriſtianitatis ſit quid phyſicum, aut morale, nec diſputat, nec determinat; immò ad ſuum intentum non ſpectabat determinare. Adde quòd in vltimis verbis (*an fortè minùs habent Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota?*) Sacramenta ipſa pro charactere ſumit, ſeu characterem, notamvè appellat, vel potiùs Sacramenta comparat notæ, ſeu characteri corporali.

Dvbivm XXII.

76 Petes 22. In quorum Sacramentorum receptione imprimatur character? Reſpondet Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 6. de Sacramentis in genere. Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicèt Confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; vnde iterari non poſſunt, anathema ſit.* Ratio autem à priori, quare hæc tria Sacramenta tantū imprimant characterem, eſt voluntas divina per Eccleſiam declarata. Diverſas autem congruentias aſsignant AA. Nobis verò ſufficiat iſta, ſcilicèt congruum eſſe, hominem ſuſceptum in familiam Chriſti Domini per baptiſmum; atque per confirmationem in eius militiā; necnon, & per ordinem ad ſpecialiſsimum miniſterium in eius domo, diſtingui per aliquid intrinſecum (nempe per characterem) ab illo, qui nō eſt ſic adſcriptus, vel aſſumptus.

77 Ex dictis *à num.* 56. cōſtat, hac noſtra tempeſtate rem eſſe certam, quòd tantùm in baptiſmo, cōfirmatione, & ordine imprimitur character; necnon & quòd iſte eſt aliquid reale impreſſum in anima; & non ſit quædam tantùm deſignatio, ſeu denominatio extrinſeca; ſicut eſt conſecratio calicis, templi, &c.

¶ Vnde repelluntur hæretici noſtri temporis pertinaciſsimè negantes, aliqua Sacramenta imprimere characterē. ¶ Obijciunt tamen, characterem non contineri in Scriptura, aut Patrib⁹: ergo non eſt ponendus. Reſp. in Scriptura, & Patribus implicitè contineri: vt diximus *n.* 71. ab Eccleſia autem expreſsè definitur ab ino-

centio III. *cap. Maiores*, & à Florentino; quorum verba dedimus *num.* 56. ¶ Objicies ſecundo, Inocentium III. invẽtorem fuiſſe characteris: ergo non continetur in Scriptura. Reſpondetur negando conſequentiam de continentia implicita; & concedendo de expreſſa: vt *n.* 71. dicebamus. Præterea, quid obſtaret, Innocẽtium III. expreſsiùs alio feciſſe mentionem characteris?

Dvbivm XXIII.

78 PEtes 23. an character ſit principalior effectus horum Sacramentorum, quàm gratia? Reſpondetur, non poſſe fieri comparationem multùm accõmodatam: quia ſunt diverſi ordinis, ſeu dantur ad diverſos fines: character enim datur ad deputandum hominem in familiã, militiam, aut miniſterium ſpecialiſsimum domus Chriſti Domini; gratia vero ſanctificans datur in ordine ad iuſtificàndum ipſum. Aut dicatur, characterem ſolùm diſpoſitivè ſanctificare, gratiam vero formaliter.

Dvbivm XXIV.

79 PEtes 24. an character ſit diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem? (Non eſſe diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem, vt ſic, patet in eo, qui ante baptiſmum iuſtificatur per contritionem. Inſuper non eſſe diſpoſitionem phyſicam, ſeu petitam ex natura rei, patet in gratia collata vi aliorum Sacramentorum; quæ non eget tali diſpoſitione.) Reſpondetur affirmativè. Itaque diſpoſuit Deus, nulli dare gratiam Sacramentalem vi baptiſmi, confirmationis, & ordinis, niſi præceſſerit in eo impreſsio characteris. Vnde conſtat, eſſe diſpoſitionem moralẽ: cùm pendeat ex diſpoſitione divina. ¶ Dices: qui iuſtificatur ante baptiſmum per contritionem, aut dilectionem Dei, recipit gratiam virtute baptiſmi in voto, ſeu ratione affectus, qui implicitè, ſeu interpretativè continetur in contritione, ſeu dilectione Dei, iuxta dicta à *num.* 24. ergo gratia Sacramentalis collata virtute baptiſmi non prærequirit characterem, tamquam diſpoſitionem. Reſpondetur negando conſequentiam de gratia collata vi Sacramenti realiter ſuſcepti: & concedendo de gratia collata virtute Sacramenti in voto: quæ gratia non dicitur Sacramentalis, neque eſt alia à gratia collata ex opere operantis.

Dvbivm XXV.

80 PEtes 25. an circumciſio in lege antiqua impreſſerit characterem? Reſpondetur affirmativè. Quia circumciſio tũc erat ianua ſalutis; ſicut nunc baptiſmus: ergo ſicut nunc baptiſmus imprimit characterem: ita tunc circumciſio, quando illa

lex

lex vigebat. Ita *Scotus in 4. diſt. 6. quaſt. 9. §. & verſ. Ad rationes, & Scotiſtæ. Præ cæteris legatur Fabro diſp. 23. à n. 1.*

81 Sed oppoſitum defendunt *D. Thom. 3 part. quæſt. 63. artic. 1. ad 3. & Thomiſtæ*; & objiciunt, quod circumciſio non incorporabat circumciſum cum Chriſto Domino, ſed erat tãtùm ſignum corporale fidei in Chriſtum Dominum: ergo non imprimebat ſignum ſpirituale, ſeu characterem in anima. Confirmatur, quia circumciſio non infundebat gratiam ex opere operato: ergo non erat neceſſarium, quòd infunderet characterem, qui eſt diſpoſitio ad gratiam. Reſpondetur, vtrumque eſſe falſum: conferebat enim characterem propter rationem noſtræ concluſionis: necnon & delebat originale conferendo gratiam ſanctificantem: vt probavimus *cap. 2. à num. 9.* ¶ Objicies ſecundò D. Chryſoſtomum *hom. 2. ſuper ad Epheſ.* dicentem: *obſignati ſunt & Iſraelitæ, ſed circumciſione quemadmodum pecudes:* ergo exiſtimat, ſolum corporaliter recepiſſe ſignũ, ſeu characterem. Reſpondetur negando conſequentiam: cùm enim circumciſio inſtituta ſit à Deo ad delẽdum originale, quod de lege ordinaria nequit fieri ſine gratia ſanctificante; (vt diximus *cap 2. num.* 19.) nullus Patrũ poteſt affirmare, circumciſionẽ tãtùm fuiſſe ſignum corporale. Intendit ergo Chryſoſtomus cõdiſtinguere circumciſionẽ à baptiſmo in hoc, quòd in iſto nullum veſtigium, ſeu ſignum corporale præteritæ actionis ablutivæ remanet: in circumciſione autẽ nõ ſolùm remittebatur originale per infuſionem gratiæ ſanctificantis; necnon & dabatur character, ſeu ſignum ſpirituale; (ſicut in baptiſmo) ſed etiam more pecudum remanebat veſtigium, ſeu ſignũ corporale, nempè ablatio alicuius partis corporis.

82 Objicies tertiò, ſequi ex noſtra cõcluſione, etiam eſſe admittẽdum characterẽ in lege naturę. Patet ſequela: fuit enim etiã tunc aliquod propriũ Sacramentum in remedium originalis, iuxta dicta *cap. 2 à num. 3.* Reſpond. admittendo ſequelam. Poteſt enim concedi, quod ſicut character in lege Evangelica, & Moſayca eſt diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem, per quam deletur peccatũ originale: ita in lege naturæ dabatur character, qui eſſet diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem, per quam delebatur originale. Confirmatur ex eo, quod Sacramentum illud etiam erat irreiterabile; ſicut Baptiſmus, & circumciſio: ergo imprimebat etiam characterem. ¶ Poteſt etiã negari, Sacramentũ illud imprimere characterẽ: quia iſte ſolũ requiritur pro diſpoſitione ad gratiam, quando per Sacramentum non ſolùm confertur gratia, ſed etiã quis adſcribitur ſpeciali familiæ (militiæ, aut miniſte-

rio domus Dei) Quare cùm Sacramentum deletivum originalis in lege naturæ datum, ſit pro omnibus indifferenter; nec per illud aſcribebantur homines ſpeciali familiæ Dei, fit, Sacramentum illud non impreſſiſſe characterem.

83 Objicitur quartò: (à Scoto) ergo circumciſus non potuiſſet baptizari. Patet: quia character impreſſus in circumciſsione eſſet eiuſdem ſpeciei cum charactere impreſſo in baptiſmo: & cõſequenter, ſi circumciſus baptizaretur, eſſent duo accidentia ſolùm numero diſtincta in eodem ſubiecto. Reſpondetur ex Scoto citato negando conſequentiam: ad probationem concedo totum: nec eſt aliquod incommodum, eſſe in eodem duo accidentia ſolùm numero diſtincta, ſi ſint reſpectiva, & reſpiciant diverſos terminos: ſicut reſpicerent illi duo characteres: per vnum enim illorum adſcribebatur ille homo in familiam Dei ſecundum legem Moſaycam; & per alium ſecundùm Evangelicam. Si autem defendimus characterem eſſe formam abſolutam, (de quibus *à n.*90.) dico, habere adiunctam quamdam relationem, per quam quilibet reſpicit ſuum terminum diverſum; character enim circumciſsionis reſpiciebat familiã Dei ſub lege Moſayca; baptiſmalis verò reſpicit familiam Dei ſub lege Evangelica: & ratione huius diverſitatis in reſpicientijs adiunctis poſſunt multiplicari in eodem accidentia ſolùm numero diſtincta: tunc enim ſuperfluitatis nota evitaretur: propter quam tantùm negamus poſſe duo accidentia ſolùm numero diſtincta eſſe in eodem *ſimul*. Poſſet etiam negari, tunc futura eſſe duo accidentia ſolùm numero diſtincta in eodem: quia tunc in ſuſceptione baptiſmi collati priùs circumciſo non imprimeretur novus character, ſed receptus in circumciſsione perficeretur per adventum novi gradus: ſicut perficitur calor præexiſtens per adventum novi gradus caloris. Itaque cùm character præexiſtens, & de novo adveniens vniantur ad faciendum vnum numero characterẽ, (quod commune eſt omnibus qualitatibus, quæ recipiunt intenſionem, & remiſsionem) fit, vt ibi non ſint duo numero accidentia; ſed tantùm vnicum.

¶ Poſſet demùm negari, quòd tunc imprimeretur character; nõ quia circumciſsio non eſſet impreſsiva characteris, ſed quia iam ſubiectũ eſt characterizatum charactere eiuſdem rationis: & conſequenter non eſt potentia ad recipiendum alium eiuſdem rationis; ſed eſt iam in actu.

DV.

Dubium XXVI.

84 PEtes 26. quid, aut qualis ſit character? Reſpondetur, eſſe qualitatem; aut relationem extrinſecùs advenientem. Vtrumque enim poſſe probabiliter defendi, affirmat Scotus in 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 10. §. *Ad quæſtionem; & in Report. ibidem quæſt.* 9. §. *Dico ad quæſtionem.* Et ideò Scotiſtæ vtrumque probabiliter defendimus. Claritatis tamen gratia quodlibet ſeorſim eſt propugnandum; immò, & præmittenda eſt ſententia Durandi; & quid de illa ſentiendum ſit.

85 Igitur, quamvis in ſuperioribus dixerimus, rem eſſe hac noſtra tempeſtate receptã, characterem eſſe realem entitatem: immo *n.* 68. diximus, rem videri definitam à Concilijs Florentino, & Tridentino: Durandus tamen *in* 4. *diſtinct.* 4. *q.* 1. affirmat, characterem eſſe relationem rationis tantùm, per quam deputatur quis ad aliquas actiones ſacras. Quod declarat exemplo. Nam ſicut numiſma, quando Princeps eius valorem auget, aut minuit, nullam formam realem acquirit; ſed ſolùm ex inſtitutione Regis fit huius, aut illius pretij, ſeu valoris: quod eſt ens rationis ex mera voluntate Regis reſultans. Ita baptizatus ex baptiſmo nihil reale præter gratiam, & virtutes i[illegible] rit; ſed ex inſtitution[illegible] ... neus ad recipiendum alia Sacramenta. Quod in ſe nihil aliud eſt, quàm relatio rationis. Cum Durando videtur cõvenire Guilliermus Pariſienſis *in tract. de Baptiſmo cap.* 1. vbi characterem comparat conſecrationi Eccleſiæ: quam conſecrationem conſtat eſſe relationem rationis. Immò Dominicus de Soto *in* 4. *d.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 2. Durandi ſententiã cùm aliquo moderamine aſſerit eſſe probabilem, nempe in hoc quod affirmat, characterem non eſſe aliquam entitatem realem realitèr diſtinctam ab anima. Quomodo autem ſtare poſſit, quod anima, & character ſint idem realiter, & tamen character de novo imprimatur, declarat exemplo animæ, & eius potentiarum; quæ ſunt idem realiter; & tamen anima eſt ſubſtãtia, & eius potentiæ ſunt qualitates ſecundæ ſpeciei: inquit Sotus: falſò quidem: non tamen eſt huius loci hanc ſententiã impugnare; ſed tãtùm referre, quomodo ſententiæ Durãdi faveat; vt inde conſtet, ſententiam Durandi eſſe, vel non eſſe cenſurandam.

Dubium XXVII.

86 PEtes 27 an ſententia Durandi ſit ab Eccleſia dãnata? Reſpõdetur negativè Quia nulla ratio id c[illegible]vincit: vt benè vidit Vazq. *diſp.* [illegible]4. *cap.* 2. *à n.* 27 ¶. Sed oppoſitum defendũt *multi*

modi cum Caietano quæſt. 63. art. 2. Et objiciunt, ſententiam Durandi non diſtingui ab hæreſi noſtri temporis, quæ negat, miniſtros Eccleſiæ habere realem poteſtatem ad miniſtrandum: quæ tamen hæreſis non negat, hos miniſtros (inquiunt) per aliquid rationis eſſe deputatos. Sicut in Doctore, & Præceptore negare non poſſunt has relationes rationis, ſeu denominationes extrinſecas. Reſpondetur cum Vazq. ibi, hæreticos noſtri temporis fuiſſe merito damnatos, nō quia dixerunt, per relationem rationis conſtitui miniſtros Eccleſiæ, & Sacerdotes; (Huius enim dānationis nullam mentionem invenies.) ſed quia exiſtimarūt, Sacerdotium viſibile non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus Chriſti Domini, &c. ſed officium tātùm, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium. Qui error damnatur in Tridentino *ſeſ.* 23. *can.* 1. Prætereà *can.* 3. *&* 4. damnantur, eo quòd dixerint, ſacram ordinationem non eſſe a Chriſto Domino inſtitutam, ſed inventū tantùm humanam, & ritum eligendi miniſtros verbi Dei. Et etiam damnantur eo, quòd dixerint, per ſacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, & per eam non imprimi characterem; vel cum, qui ſemel fuit Sacerdos, laicum fieri poſſe. Qui omnes errores longè diſtant à ſententia Durandi: nam quamvis quis diceret, characterem ordinis eſſe ſolùm relationem rationis; poſſet nihilominus aſſerere, Sacerdotium no eſſe nudum miniſterium prædicandi Evangelium; ſed eſſe poteſtatem conſecrandi, &c. à Chriſto Domino inſtitutam: & ita in hoc differre hanc relationem rationis ab ea, quæ eſt in Doctore, & Præceptore, quibus â Republica confertur poteſtas, ſeu dignitas miniſterialis. Poſſet etiam dicere, ordinationem ſacram eſſe Sacramentum; & in eo conferri Spiritum Sanctum tam ad ſanctificationē animæ ratione gratiæ ſanctificātis, quàm ratione poteſtatis, quā haberet ad conſecrandum, abſolvendum, &c. Quia poteſtas iſta dimanabat ab inſtitutione divina. Denique dicere poſſet, per ordinationem imprimi characterem, ſeu ſignum indelebile: atque adeo dicere poſſet, ratione huius characteris Sacerdotem, non poſſe fieri laicum, ſcilicet ab aliqua poteſtate humana.

87 Obijcit ſecundo, quod Innocentius III. Eugenius IIII. in Florencino, & Tridentinum (quorum verba dedimus *n.* 56) affirmant, per Sacramentalem operationem imprimi characterem. Sed relatio rationis non dicitur imprimi: quia hoc modo loquendi denotatur, aliquid reale imprimi in anima: ergo nequit character eſſe quid rationis. Inſuper Eugenius IIII & Tridentinum ibi dicunt, characterem eſſe

eſſe ſignum ſpirituale: quod relationi rationis nequit adaptari: ergo prædicta Durandi ſententia planè eſt condemnata. Reſpondetur cum Vazq. *ibi num* 33. rectè poſſe conſiſtere cum ſententia Durandi ea, quæ concilia docent de charactere. Quamvis enim character ponatur relatio rationis, poſſet dici imprimi in anima: nam macula peccati (quæ nō eſt aliquid phyſicum) dicitur imprimi in anima: immò *Apocalip.* 19 *n.* 20. *& alibi* vocatur character beſtiæ. *Apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterē beſtiæ, & qui adoraverunt imaginē eius.* Sic ergo poſſet character dici imprimi in anima, etiam ſi ponatur relatio rationis. Inſupèr poſſet dici ſignum ſpirituale; eo quòd, qui recepiſſet Sacramentum baptiſmi v.g. haberet poteſtatem, capacitatē proximam, ſeu aptitudinem recipiendi alia Sacramenta, quæ cauſant effectus ſpirituales, ſcilicèt gratiam ſanctificantem. ¶ Denique non obſtat, quòd character vocetur ſignum indelebile: ſi enim poneretur, eſſe extrinſecam denominationem tantùm; poſſet ſalvari eſſe quid indelebile; immò ſtrictiori modo, quàm ponendo, eſſe aliquid reale: quia iſtud poſſet deſtrui ſaltèm per potentiam abſolutam; denominatio autem extrinſeca relicta ex actu præterito omninò eſt indelebilis: *quia Deus de potentia abſoluta non poſſet facere, præteritum non præterijſſe.* (meritò concludit Scotus *ibi* §. *Hic intelligendū verſ. Iſta etiam eſt ratio*)

88 Ex quibus patet, ſententiā Durandi (dicentis, characterem eſſe denominationem extrinſecam, ſeu relationem rationis) eſſe quidem falſam, non tamen hæreticam, aut ab Eccleſia damnatam. ¶ Conſulto autem in vendicando prædictam Durandi ſententiam à cenſura damnationis ſum immoratus. Quia Scotus aliquando dicit loquendo de charactere: *ſi ponatur forma realis.* Præſertim legatur *q.* 10. §. *& verſic. Ad quæſtionem.* Quo loquendi modo videtur inſinuare, poſſe defendi, characterem eſſe quid rationis ſeu extrinſecam denominationem. Quare Vazq. *diſp. illa* 134. *cap.* 2. *à num.* 22. affirmat, Scotum cum Durando ſentire de charactere, ſcilicet eſſe denominationem extrinſecam, aut relationem rationis. Tamen, quàm falſum ſit, Scotum cum Durando ſentire conſtat ex dictis *à num.* 56. *& præſertim num.* 69. Hoc tamen falſo admiſſo, longiſſimè adhùc diſtaret Scotus ab hæreticorum errore: vt conſtat ex dictis pro vindicando à cenſura ſententiam Durandi *à num.* 86.

(∴)

DV-

Dubium XXVIII.

89 PEtes 28. qualis entitas ſit character? Reſpondetur iam nos dixiſſe *n.*84. eſſe probabile apud Scotum, & Scotiſtas eſſe aut qualitatem, aut relationem extrinſecùs advenientem. Quod tunc non probavimus. Immò, quia res eſt non parum controverſa, antequam ſingulas partes huius problematis, & probemus, & propugnemus, ſupponendum eſt, characterem non eſſe ſubſtantiam. Quia de iſta nequit verificari imprimi in anima: in qua imprimi characterem definit Tridentinum *ſeſ.7.can.9.*

¶ Item ſuppono, characterem non eſſe quantitatem molis: quia iſta nequit recipi in ſubiecto indiviſibili: cùm ſit diviſibilis, & corporea: character autem recipitur in anima rationali; quæ indiviſibilis eſt. ¶ Inſupèr ſuppono, characterem non eſſe relationem intrinſicùs advenientē: quia iſta reſultat neceſſariò ex poſitione extremorum in rerum natura: character autem non reſultat ex poſitione animæ, & Chriſti Domini: (ad quem anima per characterem refertur) aliàs nulla anima careret charactere. Vnde relinquitur, characterem eſſe qualitatem, aut relationem extrinſecùs advenientem. Sed hoc ſigillatim examinemus.

Dubium XXIX.

90 PEtes 29. an character ſit qualitas? Reſpondetur, quòd probabile eſt, characterem eſſe qualitatem. Quia omnia, quæ de charactere dicuntur, (nēpe imprimi, eſſe ſignum ſpirituale, & eſſe indelebile) aptè conveniunt qualitati. Hanc concluſionem problematicè defendit *Scotus n.* 84 *citatus, & Scotiſtæ, præcipuè Fabro diſp.25.cap.2. à n. 8. Ex alijs autem ipſam abſolutè defendunt noſtri Bonav. Alenſis, Ricardus, Ochamus, & Baſſolius: ex exteris verò D. Thom. quæſt. 63. art.2. Gab. Paludanus, Marſilius, & Ledeſma citati à Vazq. diſp.134 cap.2.num. 24. Item recētiores Thomiſtæ, præſertim Vazquez, & Suarez, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſput.3. diff.11.* addens, cōmuniter ſentire Theologos, characterem non eſſe relationem, ſed rem abſolutam. Quod verum eſt de relatione intrinſecùs adveniente. Sin autem etiam de extrinſecùs adveniente loquatur, fallitur bonus ſenex: Scotus enim & Scotiſtæ affirmamus, poſſe probabiliter defendi, characterem eſſe relationem extrinſecùs advenientem.

91 Sed contra hanc concluſionem obijcies primò: concilium characterem vocat ſignū: ſed ſignum formaliter ſumptum eſt relatio: ergo character non eſt qualitas, ſed relatio. Reſpond. con-

concilium tunc accepiſſe ſignum materialiter, ſcilicet pro qualitate, ſeu forma impoſita ad ſignificandum. Sicut cùm dicimus, ramum pendentem ante tabernam eſſe ſignum vini vendibilis, ſignum ſumimus materialiter, id eſt, pro ramo, ſeu entitate illa, in qua fundatur relatio ſigni.

¶ Obijcit ſecundò, fugiendam eſſe pluralitatem rerum. Sed ponendo, characterem eſſe qualitatem, admittimus pluralitatẽ, & ponendo eſſe relationem, fugimus pluralitatem: ergò eſt relatio, & non qualitas. Probatur minor: character enim neceſſariò refert charactizatum ad ſuũ terminum: ergo neceſſariò eſt relatio: ergo ponendo, eſſe relationem tantùm, fugimus pluralitatem; quam non fugimus dicendo, eſſe qualitatem, cui neceſſario adiuncta eſt relatio. Reſpondetur negãdo minorem. Ad probationem dico, qualitatem illam, quæ dicitur character, habere ſibi adiunctam quamdam relationem, non realem, ſed rationis; per quam charactizatus ex inſtitutione divina refertur ad ſuum terminum, ſeu ſignatum. Sicut ramus ante tabernam refertur ad vinum vendibile per quamdam relationem rationis ſibi accreſcentem ex hominum inſtitutione. Eſſet autem incommodum, & vitium pluralitatis (quam abhoret natura) dicere, characterem eſſe qualitatem habentem adiunctam relationem realem: nullum autem eſt incõmodum, quòd ſibi accreſcat relatio rationis, per quam conſtituatur in eſſe ſigni formaliter.

92 Inſtabis adhuc: hæc relatio rationis evitatur dicendo, characterem eſſe relationẽ realem. Prætereà vitatur aliquo modo pluralitas realis: quia relatio minor entitas eſt, quàm qualitas. Reſpondetur, hæc minima incõmoda poſtponenda eſſe modo loquendi conciliorum: Cùm enim ea, quæ docent concilia de charactere, aptiùs ſalventur dicendo, eſſe qualitatem; (etenim imprimi, eſſe ſignum ſpirituale, & indelebile aptiùs videntur cõvenire qualitati, quàm relationi) illa parva incommoda parvipẽdemus. ¶ Eodem modo reſpondetur ad hoc argumentum: referri per relationem realem eſt nobilius, quàm referri per relationem rationis: ergo ſuſtinendo, characterem eſſe relationem realem, aptiùs referretur charactizatus. Reſpõdetur, (inquam) ita eſſe: præponderat tamen modus loquendi conciliorum; ſecũdùm quem aptiùs ponitur, eſſe qualitatem: de qua potiùs quàm de relatione verificatur, imprimi, eſſe quid ſpirituale, & indelebile. ¶ Reſpondetur ſecundo ad vtrumque hoc argumentum, quòd tenendo, characterẽ eſſe qualitatem, etiam vitatur relatio rationis, & omne genus pluralitatis: quia talis qualitas habet quamdam formalitatem ſibi iden-

identificatam, per quam refertur: ſicut relatio creaturæ ad creatorem idẽtificatur cum entitate abſoluta creaturæ, hominis v. g.

Dvbivm XXX.

93 PEtes 30. an character ſit qualitas ſupernaturalis? Reſpondetur affirmativè. Quia eſt effectus Sacramenti ordinatus ad munus, & effectum ſupernaturalem. Ita Vazq. *diſp.* 134. *cap.*2.*n.*45.

Dvbivm XXXI.

94 PEtes 31. ad quam ſpeciẽ qualitatis pertineat character Sacramentalis? Reſpondet Scotus *ibi* §. *Ad quæſtionem verſ. Reſpondeo, quòd poteſt poni in ſecunda ſpecie qualitatis, vel etiam in prima: nec alterum iſtorum poteſt evidentèr improbari.* Immò & ſunt rationes vtrumque probantes probabiliter; vt cõſtabit, cùm illas & adducamus, & ſolvamus. Ita cum præcitato Scoto tenent Scotiſtæ prætertim Fabro *diſp.*25.*cap.*5.*à num.*35.

95 Sententiam, quæ affirmat, characterem ſpectare ad primam ſpeciem qualitatis, (quę dicitur habitus ſeu diſpoſitio) defendunt Vazquez *diſp.* 134. *cap.* 3. *num.*69. *Suar. diſp.*11.*ſect.* 3. (*citans D. Bonavent. & Alenſem*) Ægidius *quæſt.* 63. *num.* 12. & *G. Hurt. diſp.*3.*diff.*12. & obijciunt: ad primam ſpeciem qualitatis ſpectat diſponere: ſed character eſt diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem: ergo pertinet ad primam ſpeciem. Reſpondetur concedendo maiorem de diſpoſitionibus phyſicis; & negando de moralibus: (cuiuſmodi eſt character) iſtæ enim cùm aſſumantur pro libito inſtituentis, non habent determinatum genus, aut ſpeciem. Et ideo ſicut Deus inſtituit Sacramenta, & characterem pro diſpoſitione ad gratiam, potuit aſſumere ſubſtãtiam, quantitatem, relationem, & quamcumque aliam entitatẽ.

¶ Obijcit ſecundo: diſpoſitio eſt illa ſecundũ quã ſubiectũ cõvenienter ſe habet tàm in ordine ad ſe, quàm in ordine ad ſuas operationes. Sed character totum hoc habet: ergo eſt diſpoſitio. Probatur minor: cùm enim ſit ſignum ſpirituale, nobilitat ſubiectum, quod ipſo inſignitur: atque adeo per characterem convenienter ſe habet in ordine ad ſe. Inſupèr per characterem convenienter ſe habet in ordine ad ſuas operationes: cùm vi characteris poſſit exercere munera, & officia, quæ ſine illo exercere, nõ poterat. Reſpondetur, (ſicut ad præcedens) maiorem eſſe veram de diſpoſitione phyſica: character autem tantùm eſt diſpoſitio moralis: homo enim idem phyſicè poteſt ſine charactere, & cum illo.

96 *D. Thom. quæſt.* 63. *art.*2. *Caiet.*

Caiet. Sotus, Ledeſma, Palud. Capreolus, & Argentina citati à Vazq. diſp. 134. cap. 3. num. 55. abſolutè defendũt, characterem ſpectare ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Et obijciunt: potentia, ſeu impotentia ponitur in ſecunda ſpecie qualitatis: ſed character eſt potentia paſsiva, & activa: ergo pertinet ad ſecundã ſpeciem qualitatis. Probatur minor: poſito enim in homine, charactere baptiſmi, poteſt recipere alia Sacramenta; ſecus autem ſine illo: ergo eſt potentia paſsiva. Item eſt activa: poſito enim charactere confirmationis, poteſt homo, ſeu redditur aptus ad cõfitendum fidem coram tyranno; & poſito charactere Sacerdotali poteſt conſecrare, &c. ſecùs autem ſine illo: ergo character pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Reſpondetur, maiorẽ ſolùm eſſe veram de potentia phyſica: (id eſt, à natura inſita) non autem de morali; qualis eſt character: poſito enim; & ablato charactere, idem poteſt phyſicè homo.

97 Ex quibus refutatus manet Ricardus *in 4. diſtinct. 5. art. 2. q. 1. ad 3.* affirmans, characterem non eſſe in aliqua ſpecie prædicamenti qualitatis. Cuius fundamentum eſt, quòd character eſt qualitas ſupernaturalis: ſed naturale, & ſupernaturale differunt pluſquam genere: ergo character nequit collocari in prædicamento, in quo ponuntur qualitates naturales; quibus tantùm conſtat prædicamentum qualitatis. Minor conſtat ex illo 10. *Metaph. corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquàm ſecundùm genus*: & tamen differunt minus, quàm naturale, & ſupernaturale: etenim tàm corruptibile, quàm incorruptibile continentur ſub illo vno membro *naturale*: ergo ſi corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquàm genere; à fortiori pluſquam genere differunt naturale, & ſupernaturale: & conſequenter in genere, aut ſpecie rerum naturalium nõ poterit collocari character. Reſpõdetur ex Scoto *quæſt.* 10. §. *Ad quæſtionem verſ. Contra: fides*, minorem eſſe veram de genere Phyſico; non autem de Logico, aut Metaphyſico. (Genus Phyſicum vocant materiam: & illa dicuntur habere idem genus phyſicum, quæ habent eamdem materiam: qualia ſunt omnia ſublunaria: vocant autem genus Logicum, aut Metaphyſicum coordinationem prædicamentalem.) Per quod patet ad probationem: Ariſtoteles enim ſolùm loquitur de genere phyſico. *Sic enim nulla duo ſunt eiuſdem generis, niſi ſint tranſmutabilia ad invicem: ſed genus Logicum benè poteſt continere multa, quæ non pertinent ad idem genus phyſicum: vt patet de ſubſtantia corporea, & incorporea; & de qualitate corporali, & ſpirituali.* (inquit Scotus ibi: & iam inſtaverat in fide, Spe, & Charitate;

ritate : quæ *ſunt ſupernaturalia quædam;& tamen conceduntur eſſe propriè in genere qualitatis.)*

98 Refutatur etiam ex dictis alius modus philoſophandi eiuſdem Ricardi ibi dicentis, characterem poſſe poni in quarta ſpecie qualitatis ; quatenus eſt figuratio ſpiritualis impreſſa in anima. Secundùm autem quòd eſt principium aſsimilandi , poteſt poni in tertia. Vt eſt poteſtas quædam,poteſt poni in ſecunda. Et in quantum eſt diſpoſitio ad gratiam,poteſt poni in prima: & dicetur habitus, in quantum immobiliter permanet in anima.

¶ Sed contra , quòd vnius rei vnica eſt eſſentia: & ideò nequit vna res eſſe diverſorum generũ, & ſpecierum ; quamvis habeat proprietates(non in quarto modo dicendi per ſe: iſtæ enim cõcomittantur eſſentiam,aut cum illa identificantur) pertinentes ad plures ſpecies.

99 Inſuper refellitur Marſilius *in* 4.*q*.4.*art*. 1.*necnõ & Chatarinus in opuſculo de charactere*; qui affirmant , characterem Sacramentalem pertinere ad quartam ſpeciem qualitatis ; quæ eſt figura. Quia character eſt figura ſpiritualis,qua anima figuratur.

¶ Sed contra, quòd figura propriè ſolùm in rebus corporalibus reperitur. Quare character ſolùm metaphoricè dicetur figura. *Nihil* autem (inquit Scotus *ibi verſ. Verumtamen) collocatur in genere per proprietates metaphoricas : alioquin Chriſtus eſſet in genere ſubſtantiæ inanimatæ;quia dicitur petra:& in genere animalis irrationalis : quia dicitur Leo metaphoricè:& in genere qualitatis , quia dicitur lux: Ego ſum lux mundi, &c. Sed ex metaphoricis colligenda eſt propria conditio rei in ſe : & ſecundùm illam collocanda eſt in genere,& ſpecie.*

100 Item refutatur Altiſiodorenſis *lib*.4.*tract*.3.*cap*.2. docens , characterem pertinere ad tertiam ſpeciem qualitatis:(quæ eſt paſsio, ſeu paſsibilis qualitas) quia eſt lumen ſpirituale,quo intellectus illuminatur, vt videat, quid faciendum ſit. ¶ Sed contra ; quia ſine fundamento dicitur, characterem eſſe lumen intellectus ; & principium intellectionis : cùm non ſubiectetur in intellectu . Prætereà ; quamvis eſſet lumen,potiùs eſſet habitus: quia diſponeret intellectum ad meliùs intelligendum.

Dubium XXXII.

101 Petes 32.an character ſit relatio? Reſpondetur , probabiliter poſſe defendi , characterem Sacramentalem eſſe relationem extrinſecùs advenientem. Quia omnia, quæ dicuntur de charactere Sacramentali ſalvantur hoc modo:& aliàs aptiùs vitatur pluralitas ſine neceſsitate. Nihil enim perfectius ponendum eſt, quàm exigat ratio , aut neceſsitas,propter quã ponitur: (vt

quia illa maior perfectio fruſtra poneretur: (vt benè notat Fabro *diſput. 25. cap. 4. num. 26.*) ſed maior entitas eſt qualitas, quàm relatio: ergo ſi ad ſalvādum, quæ dicuntur de charactere, ſufficit relatio, (vt nos dicimus, ſufficere: & patebit ex ſolutione argumentorum, quæ fiunt contra eos qui dicunt characterem eſſe relationem realem extrinſecus advenientem: quibus nos probabiliter cum Scoto ſubſcribimus. Argumenta autem ſtatim proponemus, & ſolvemus.) non eſt admittenda qualitas. Ita Scotus *num 84.* citatus, & cum eo Scotiſtæ.

102 Sed Thomiſtæ objiciunt primò, quòd non dantur relationes extrinſecùs advenietes. Probatur aſſumptum: omnis enim relatio reſultat neceſſario ex poſitione extremorum: ergo nulla eſt extrinſecùs adveniens. Reſp. negando totum: ſunt enim multæ relationes, quæ non reſultant ex poſitione extremorum: v. g. relatio agentis ad paſſum; & relatio paſſi ad agens. ¶ Sed obmurmurant Thomiſtæ dicentes, hoc provenire ex eo, quòd non ſunt poſita extrema; ſed ſubiecta relationis: ſi enim extrema formaliter, vt talia ponantur in rerum natura, ſtatim (inquiunt) neceſſariò conſurgunt relationes ¶ Sed contra: accipio ignem v. g. (qui eſt agens) & lignum: (quod eſt paſſum) & inquiro, an ſit fundamentum proximum in igne, propter quod habeat rationem agentis ad lignum? Et affirmativè eſt reſpondendum: quia potentia activa eſt prædictum fundamentum. etenim ſuper eā fundatur habitudo agentis ad paſſum: & tamen non adeſt relatio agentis ad paſſum, id eſt, ipſa actio, aut tranſmutatio: ergo datur aliqua relatio non reſultans ex poſitione extremorum. Multa excogitarunt Thomiſtæ in reſponſionem huius argumenti. Quæ omnia omitto videnda *apud Fabrum diſput. 25. cap. 3. à num. 16. & apud Mercenerum in Logica diſput. de Sex vltimis prædicamentis quæſt. 1 à num.* 21. Non enim expedit, in hoc immorari. Tùm, quia eſt diſputatio purè philoſophica. Tùm, quia Scotiſtis nota ſatis. ¶ Illud tamen eſt obſervandum, quòd quamvis ſit Scotiſtarum principium, ad relationes extrinſecùs advenientes dari motum; (& conſequenter de illis non loqui Philoſophum 5. *Phyſic.* dicētem ad relationem nō dari motum) ſeu eſſe admittendas aliquas relationes, quæ non reſultent ex poſitione extremorum; ſed requiratur nova actio, ſeu motus, vt ponantur in rerum natura. Tamen adhuc inter Scotiſtas poteſt eſſe diſſidium in explicando, an ille novus motus, ſeu actio terminetur immediatè, & per ſe ad ipſam relationem? An ad aliquid aliud, (nempè ad approximationem, ſeu vnionem

extremorum) quo poſito reſultet relatio? Quod fuſiùs explicui *in tract. de Incarnat. cap. 1. diffic. 5. à num. 39*. Sed hoc omiſſo ad Theologica argumēta trāſeamus.

103 Obijcit ſecundò: relatio non eſt potentia ſeu poteſtas activa, ſeu (vt alij dicunt) relatio non eſt principium agendi, vel patiendi. Sed character eſt poteſtas agendi, & patiendi: ergo character non eſt relatio. Minor cōſtat: nam character baptiſmi eſt potentia paſsiva, per quam homo fit capax recipiendi alia Sacramenta, & character confirmationis eſt potentia activa ad confitendum fidem coram tyranno: atque character ordinis eſt potentia activa faciendi multos actus ſacros, quos nequit facere homo ſine illo charactere. Reſpond. maiorem eſſe veram de potentia phyſica ſeu naturali; falſa autem de potentia, ſeu poteſtate morali: qualis eſt character. Recolantur dicta *n. 95*.

¶ Obijcit tertiò, nulla relatio poteſt intelligi ſine fundamento: ſed character non habet fundamentum: ergo character non eſt relatio. Probatur minor: quia, ſi aliquod haberet fundamentum, maximè animam: ſed anima non eſt fundamentum: alias ad illam intrinſecè ſequeretur: & conſequenter character eſſet in omni anima. Reſpondetur negādo minorem: ad probationem etiam nego minorem: anima enim eſt fundamentum huius relationis: ex hoc autem non ſequitur, characterem neceſſariò ſequi ad poſitionem animæ: non enim eſt iſta relatio intrinſecùs, ſed extrinſecùs adveniēs: & ideò à Deo ſolo imprimitur illi animæ, circa quam, aut circa cuius corpus exercetur aliquod Sacramentum irreiterabile. ¶ Obijcit quartò: non eſt aſsignabilis terminus huius relationis, quæ dicitur character: ergo non eſt relatio. Reſpondetur negando antecedens: etenim character baptiſmi habet pro termino Chriſtum Dominum ſub ratione Capitis: eſt enim Chriſtus Dominus totius Familiæ Chriſtianæ Caput: ad quod omnia, & ſingula membra huius Familiæ referuntur ea habitudine, & proportione, qua membra referuntur ad Caput. Cùm ergo per characterem impreſsum in baptiſmo adſcribatur quis in Familiam Chriſti Domini, ideò character eſt relatio, ſeu habitudo referens baptizatum ad Chriſtum Dominum, tamquam ad Caput huius Familiæ. ¶ Proportionabiliter dicendum eſt de characteribus Confirmationis, & Ordinis; per quos confirmatus, & ordinatus referuntur ad Chriſtum Dominum ſpeciali modo conſideratum tamquam Caput militiæ Chriſtianæ; necnon & tamquam Caput domus. Videātur dicta *num. 95*.

104 Nota; charactizatum referri non ſolùm ad Chriſtū D. ſed

ſed etiam ad omnes alios habẽtes eumdem characterem; necnon & ad omnes alios non habentes talem characterem. Hac tamen obſervata differentia, quod ad Chriſtum Dominum refertur immediatè per ipſum characterem; qui eſt relatio extrinſecùs adveniens. Ad alios autem habentes ſimilem characterem refertur per relationes identitatis fundatas proximè in ipſo charactere. Sicut ad non habentes ſimilem characterem refertur relationibus diverſitatis fundatis proximè in ipſo charactere. Sicut filius v.g. refertur ad patrem per filiationem: ad alium autem filium refertur relatione identitatis; (quæ eſt intrinſecùs adveniens) & ad non habentem filiationem refertur relatione diverſitatis. Quod autem vna relatio poſsit fundari ſuper aliam, probat Scotus *in 4. diſtinct 6. quæſt. 10.§. Hic dicitur verſ. Secunda ratio, & defendimus Scotiſtæ cum alijs, quos citat Merinero cap. De ad aliquid diſp.2.q.2.num.4.*

Dubium XXXIII.

105 PEtes 33. quod ſit fundamentum proximum huius relationis, quæ dicitur character? Reſpondetur, eſſe ipſam nudam animam. Quia iſta eſt, quæ proximè, & immediatè refertur ad Chriſtum Dominum, ſub ſpeciali ratione Capitis Familiæ, militiæ, & domus: vt explicuimus *num.62.* Ita Scotus *ibi q.10.§. Sed reſtat verſ. Dico ergo, & Scotiſtæ.* ¶ Dices, aptius eſſe, affirmare actum illum baptizandi v.g eſſe fundamentum proximum. Reſpondetur negando: primo, quia actus ille ſolum requiritur ad impreſsionem characteris ex inſtitutione divina: potuit enim Deus abſolutè, aut ſine receptione alicuius Sacramenti imprimere characterem. Secundò, quia ille actus exercetur circa corpus; character imprimitur animæ. Tertio, quia actus tranſiens nequit eſſe fundamentum proximum, aut remotum relationis, quę ipſo tráſacto, permanet. ¶ Dices ſecundò: character non oritur ab anima: ergo nequit fundari in illa. Conſequentia patet per deſcenſum: paternitas enim habet pro fundamẽto proximo potentiam generativam, à qua oritur; & habet pro fundamento remoto ipſam ſubſtantiã patris. Item filiatio habet pro fundamento remoto ſubſtantiã filij, & pro fundamento proximo eius potentiam paſsivam ad generari: & in cœteris ſimili modo: ergo à ſimili anima non poterit eſſe fundamentum characteris. Reſpondetur negando cõſequentiam: cuius probatio procedit de relationibus intrinſecùs advenientibus. Relatio autem *extrinſecùs adveniens poteſt fundari ſuper fundamentum, ex cuius principijs nullo modo egreditur:* (inquit Scotus ibi) quia ad illam

relationem fundamentum non determinatur ex ratione ſua propria; ſed tantummodo determinatur ab agente inducente talem relationem.

Dvbivm XXXIIII.

106 PEtes 34. quomodo characteres diverſorũ Sacramentorum differre poſsint, ſi ſint relationes extrinſecùs advenientes? Reſpondet Scotus *ibi verſ. Ad quæſtionem*, quod *ſicut character ſi poneretur forma abſoluta, diceretur, diſtingui characteres ſe ipſis formaliter; ita ſi ponantur reſpectus illi, licèt ab extrinſeco poſsint diſtingui extrinſecè*; (ſcilicèt per ordinem ad diverſa Sacramenta) *tamen formaliter diſtinguuntur ſe ipſis.*

Dvbivm XXXV.

107 PEtes 35. ad quod prædicamentum ſpectet character ſuſtinẽdo eſſe relationem extrinſecùs advenientem? Reſpondetur, ſpectare ad prædicamentum habitus iuxta illud *ad Galatas 3. num. 27. Qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Itaque ſicut relatio habitus eſt inter veſtitum, & veſtem: ita characteris relatio eſt inter hominem, & Chriſtum Dominum, quem baptizatus quaſi induit, vt ſupremum Dominum familiæ; & ratione huius characteris conſtituitur in eſſe Chriſtiani. Confirmatus autem ratione characteris confirmationis quaſi induit Chriſtum Dominũ in ratione ſupremi Ducis militiæ Chriſtianæ: & conſequenter vi huius characteris conſtituitur homo in eſſe militis illius militiæ. Et demùm ordinatus ratione characteris ordinis quaſi induit Chriſtum Dominũ in ratione ſupremi Sacerdotis, ſeu ſpecialis Capitis domus Chriſtianitatis; in qua invenitur ſpeciale illud miniſterium conficiendi Sacramenta: & conſequenter homo ratione prædicti characteris conſtituitur in eſſe miniſtri ſpecialiter deſtinati, & diſpenſatoris myſteriorum Dei iuxta illud *1. ad Chorint. 4. ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Dvbivm XXXVI.

108 PEtes 36. an character baptiſmi (idẽ eſt de characteribꝰ cõfirmationis, & ordinis) ſit æqualis in omnibus hominibus? Reſpõd. affirmativè. Quia cauſa (hoc eſt Sacramentum) eſt æqualis in omnibus hominibꝰ: & alias character ſolùm petit pro diſpoſitione recipientis ſimplicem voluntatẽ recipiendi Sacramentũ.

Dvbivm XXXVII.

109 PEtes 37. an character poſsit intendi? Reſpondetur negativè, ſi ſuſtineamus eſſe relationem: quia intenſio eſt propria qualitatum. Immò etiam

etiam ſuſtinendo, characterem eſſe qualitatē, nullo firmo principio poteſt probari, de facto augeri poſſe.

DVBIVM XXXVIII.

110 PEtes 38. an character ſit in eſſentia animæ, vt in ſubiecto proprio, & immediato? Reſpondetur affirmativè. Claritatis tamen gratia præmitto, quod ſicut omnes diſtinguūt operans, *vt quod*, & operans *vt quo*: ita diſtinguendum eſt recipiens *vt quod*, & recipiens *vt quo*. Vocant autem operans, *vt quod* Angelum v. g. aut animam reſpectu intellectionis, & volitionis. Principium autem operans *vt quo* vocant potentiam illam, media qua principium *quod* operatur. Et ratio huius diſtinctionis videtur aperta. Angelus enim v. g. eſt, qui intelligit, & amat: potentia quippè intellectiva non intelligit, ſed eſt medium, aut inſtrumentum, (aut quomodocūque vocetur) ſine quo Angelus non intelligeret. (Idem eſt de voluntate, vel de quacumque alia potentia. Et ideo dicimus, Angelum intelligere, amare, &c. hominem, intelligere, ambulare, &c. Eodem omnino modo philoſophandum eſt de principio receptivo. Propriè enim loquendo homo v g dicitur pati calorem, frigus &c non autem potentia, quam habet ad recipiendum. Verum eſt, quòd, ſi non haberet potentiam ad patiendum, ſeu recipiendum, non pateretur: ſicuti neque ageret, ſi non haberet potentiam ad agēdum: tamen ſubiectum ipſum (homo v g.) dicitur pati; non autem eius potentia. ¶ Si autem aliquando potentia dicatur agere, aut pati; (dicimus enim non ſemel, intellectum recipere ſpecies intelligibiles; necnon & intelligere) loquutio eſt minùs propria: & per eam ſolùm volunt ſignificare, potentiam eſſe medium, quo operans operatur; & recipiens recipit. Et ratio eſt iam tacta, nempè quod propriè, & ſecundùm veritatem homo v g amat, intelligit, ambulat, &c. non autem eius intellectus, volūtas, aut potentia ambulativa: iſta enim ſolùm eſt medium, ſeu facultas, ſine qua homo non ambularet; ſicut non intelligeret ſine intellectu, non amaret ſine voluntate, &c.

111 Ad rem ergo character (idem eſt de gratia ſanctificante, & multis virtutibus.) immediatè ſubiectatur in eſſentia animæ, tamquam in ſubiecto *quod*: in voluntate autem etiam ſubiectatur immediatè tamquam in ſubiecto *quo*. Non enim eſt inconveniens, dari duplex ſubiectū proximum, & immediatum ſub diverſa ratione, ſeu in diverſo ordine nempè *quod*, & *quo*. Sicut datur duplex cauſa proxima, & immediata, alia vniuerſalis, & alia particularis: atque loquendo

de cauſis particularibus proximè, & immediatè concurrunt cauſa principalis, & cauſa inſtrumentalis. ¶ Quod character debeat ſubiectari in anima, aut in aliqua eius potentia, conſtat ex eo, quod eſt, quid ſpirituale. ergo petit ſubiectum ſpirituale. Quod potentia animæ, in qua ſubiectatur, vt in ſubiecto *quo*, ſit voluntas. conſtat ex eo, quòd eſt diſpoſitio ad gratiam, & conſequẽter ad charitatem, quæ cum gratia identificatur, vt dicimus Scotiſtæ, aut inſeparabiliter cum illa coniungitur; vt placet Thomiſtis. Igitur cùm operationes charitatis ſint à volũtate, tamquam ab operante *quo*: in voluntate tãquam in ſubiecto *quo* debet collocari character, qui eſt diſpoſitio ad prædictas operationes voluntatis.

112 In hanc meam ſententiã voco Scotum *in 4. diſtinct. 6. q. 11. §. & verſ. Dico ergo, & Scotiſtas* communiter affirmantes, characterem immediatè ſubiectari in voluntate; in qua ſecundùm Scotum immediatè ſubiectatur gratia habitualis. ¶ Voco etiam in hanc ſententiam *Marſilium, Gab. Vazq. Suar. & Ægidium, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſput. 3. diff.* 14. dicentes, characterem immediatè ſubiectari in eſſentia animæ. Igitur meritò adduco pro mea ſententia auctores vtriuſque opinionis: cùm enim abſolutè, & ſine diſtinctione loquantur, ipſos interpretando dico, illos, qui dicunt, characterem ſubiectari in eſſentia animæ proximè, & immediatè, loqui de ſubiecto, *quod* immediatè recipit characterem: Scotum autem, & Scotiſtas, qui dicunt, immediatè ſubiectari in voluntate, loqui de ſubiecto *quo* immediatè recipitur character. Et ideò vtriuſque ſententiæ AA. non ſolùm ſunt pro noſtra concluſione, ſed etiam facilè inter ſe ſe poſſunt reconciliari.

113 Ex quibus reijcio Durandum *in 4. diſtinct. 4 quæſt.* 1. dicentem, characterem ordinis (iſtum enim tantùm, & tantùm probabiliter admittit eſſe quid reale) potiùs ponendum eſſe in manibus Sacerdotis, quibus tenet hoſtiam conſecratam, vel in ore, vel in lingua, quibus profert verba conſecrationis. Quia exiſtimat, characterem eſſe collocãdum in potentia executiva, à qua immediatè egreditur operatio. ¶ Tamen contra Durandũ conveniunt AA. characterẽ ponendum eſſe in ſubiecto ſpirituali: eſt enim ſignum ſpirituale: vt apertè loquitur Tridentinum *ſeſ. 7. can. 9.*

114 Reijcitur etiam ſententia affirmans, characterem ſubiectari immediatè in intellectu. Ita D. Thom. *3. p. quæſt. 63. art. 4. Caiet. Sotus, & Valencia.* Et obijciunt: character eſt poteſtas quædam ad recipiendum Sacramenta, vel ad illa adminiſtranda; ſed Sacramenta ſunt quid

divini cultus, quibus profitemur fidem, quæ eſt in intellectu, vt in ſubiecto immediato: ergo in intellectu debet poni character, qui ad profeſsionem fidei ordinatur. Reſpondetur negando conſequentiam: character enim, qui eſt poteſtas ad recipiendum Sacramenta, atque ad illa conficienda, potiùs eſt collocandus in potentia receptiva virtutis religionis, & elecitiva actionum religioſarum, in qua recipitur gratia Sacramentalis, ad quam ordinantur ipſa Sacramenta, & quæ eſt illorum effectus, quàm in intellectu, vbi collocatur fides; quæ ad actiones religioſas, præſertim ad recipiendum, & conficiendam Sacramenta, non eſt principium elicitivum, ſed ſolum quid prærequiſitum: ſicut cognitio eſt quid prærequiſitum ad actus voluntatis.

115 Reijcitur etiam ſententia affirmans, characterem ſubiectari immediate tàm in intellectu, quàm in voluntate: immò (teſte noſtro Fabro *diſput.* 26. *à cap.* 1. qui de his ſententijs eſt videndus) in eſſentia, & in omnibus potentijs animæ. Ita *noſtri D. Bonavent. in* 4. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& Alenſis.* ¶ Sed contra, quòd character eſt vna ſimplex entitas; ergo ſolùm poteſt habere vnicum ſubiectum *quod & quo.* [illegible] loquantur de ſubiecto [illegible] hoc cō-petit animæ, [illegible] ſubiecto *quo*; ho[illegible] dictis

potentijs, nempè voluntati (vt probavimus *num.* 111.) debet convenire.

DVBIVM XXXIX.

116 PEtes 39. qualiter character dicatur indelebilis? Reſpondetur, dici ſignum indelebile ab Eugenio IIII. & à Trident. *ſeſsione* 7. *can.* 9. Quia à nulla creatura poteſt phyſicè deſtrui; immò neque à Deo vtendo potentia ordinaria: vt diximus *num.* 65. Adde, neque demeritoriè poſſe deſtrui ab aliqua creatura; vt ibi notat Scot.

DVBIVM XXXX.

117 PEtes 40. an character adhuc pro alia vita perſeveret? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic aptiùs ſalvatur, characterem eſſe ſignum indelebile. Secundò, quia congruit remanere in Beato ad gloriam, & in damnato ad confuſionem. Tertiò, quia in alia vita ſunt inſignia Doctorum, Virginum, & Martyrum: (laureolas vocant) ergo & familiæ Chriſti Domini, eius militiæ, atque Sacerdotij. Quartò, quia ex oppoſito ſequeretur, ordinatum ordine Sacro, qui reſuſcitaretur miraculosè, debere rebaptizari, reconfirmari, & iterum ordinari: quod nūquam factum eſt, quamvis ex varijs hiſtorijs conſtet, aliquos fuiſſe reſuſcitatos. Ita Scotus *in* 4. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 9. §. *Ad quæſtionē verſ. Et quod obijcitur, Hugo Cavellus ibi in margine, &* [illegible] *Item G. Hurt. diſ*[illegible]

mans, in hoc D.Thom.q.63.art.5. & Theologos cõmuniter cõ venire.

118 Sed obijcies: in alia vita non eſt indigentia characteris: ergo nõ perſeverat. Antecedens conſtat: quia non ſunt Sacramẽta. Reſpondetur concedẽdo antecedens de neceſsitate abſoluta: & negando de neceſsitate congruentiæ. Cõgruit enim perſeverare characterem ad ornatum, & gloriam Beati; & ad cõfuſionem damnati. ¶ Obijcies ſecundò: tunc perſeverat character? Ergo poſt diem iudicij poterit Sacerdos conſecrare. Reſpondetur ita eſſe. Reſpond. ſecundò negando conſequentiam: quia remanet character ſolum ſecundùm eſſe phyſicum; non autem ſecundùm eſſe morale. Itaque ſtatuit Deus, inſignitum charactere baptiſmi habere poteſtatẽ recipiendi Sacramẽta: & inſignitum charactere confirmationis habere poteſtatem cõgruè confitendi fidẽ corã tyranno: atque habentẽ characterem Sacerdotij gaudere poteſtate cõſecrandi, abſolvendi, &c. Cũ autem hæc miniſteria ſolũ pro hac vita exerceantur; deficit phyſicæ entitati characteris (per quã characterizatus refertur ſpecialiter ad Chriſtũ D. tamquã ad ſupremũ Dominũ familiæ, Ducẽ militiæ; & Caput domus: vt non ſemel explicuimus) moralitas ſibi accreſcens ex decreto, ſeu inſtitutione divina: per quã moralitatẽ characterizatus habet poteſtatẽ ad Sacramenta recipiẽda; (loquẽdo de charactere baptiſmi) ad congruè confitẽdũ fidẽ corã tyranno; (loquendo de charactere cõfirmationis) & ad conſecrandũ, abſolvendum, &c. Loquendo de charactere Sacerdotali.

119. Obi. 2. Deus, vt paratus, & vt aſsiſtens ad operãdum omnia prædicta (nẽpè participationẽ Sacramentorũ, cõfeſsionẽ fidei; & conſecrationem corporis Chriſti D. abſolutionẽ peccatorũ, &c.) eſt terminus characteris, inquantũ relatio eſt: ſed pro alia vita deficit termin⁹ iſte; ſeu Deũ eſſe paratũ ad cauſandũ ſeu operandũ prædicta: ergo deficit etiã relatio. Minor probatur: quia poſt hanc vitã non erit participatio Sacramentorum, cõfeſsio fidei corã tyrannno; aut cõſecratio corporis Chriſti D. abſolutiove à peccatis. Conſequentia autẽ patet: quia deſtructo termino relationis, neceſſario deſtruitur ipſa relatio. Reſp. diſtinguẽdo maiorẽ: eſt terminus characteris ſecũdũ eſſe phyſicũ, nego: ſecũdũ eſſe morale ei accidẽtaliter adiũctũ, cõcedo. Itaq; ſicut in charactere eſt duplex entitas, aut ratio; alia phyſica, ſecũdùm quã character facit characterizatũ reſpicere Chriſtũ D. ſpecialiter, taquam ſupremũ Dominum Familiæ, Ducem Militiæ, aut Caput domus. Alia autẽ entitas, ſeu ratio characteris eſt moralis, ſecundùm quam character facit, characterizatũ reſpicere Chriſtum D. vt ſpecialiter

paratum, & vt aſsiſtentem ad operandum omnia illa enumerata (ſcilicèt participationem Sacramentorum, &c.). Ita ſimiliter in termino characteris (qui formaliter eſt relatio) eſt duplex entitas ſeu ratio, ſecundùm quā terminat. Vna phyſica, vel quaſi phyſica, ſcilicèt Chriſtus D. in quantum Supremus Dominus familię eſt; in ordine ad quem omnes huius familiæ ſunt ſigillati per characterem baptiſmi: (Alij dicunt, hanc entitatem, vel quaſi entitatem, eſſe Chriſtum Dominū, in quantum paſtor eſt; in ordine ad quem eius oves ſunt ſigillatæ per characterem baptiſmi. Sed de hoc parum eſt curandum: iſtæ enim, & multæ aliæ rationes poſſunt per noſtram conſiderationem reperiri in Chriſto Domino quatenùs eſt terminus characteris baptiſmalis) vel inquātum eſt Rex, Dux, aut Princeps militiæ Chriſtianæ in ordine ad quem milites ſigillantur ſigillo, aut nota militiæ. Vel in quantum eſt Caput totius domus; in ordine ad quem ſpeciales miniſtri domus habent ſua inſignia. Hæc ergo entitas, aut ratio phyſica, vel quaſi phyſica Chriſti Domini, ſeu in termino charaſteris ſemper perſeverat, etiam in alia vita. ¶ Alia autem eſt ratio, aut entitas moralis in Chriſto Domino, quatenùs eſt terminus characteris, ſcilicèt quatenùs eſt paratus, aut aſſiſtens charactizato ad participādum Sacramenta, vel ad confitēdum convenienter fidem, vel ad conficiendum Sacramenta. Quæ moralitas nō perſeverat in Chriſto Domino poſt hanc vitam, ſeu poſt conſumationē ſæculi. Quia, cùm non ſit futura in hominibus poteſtas recipiendi Sacramenta; cōfitendi fidem coram tyranno, vel adminiſtratio Sacramentorū: ſicut deficit entitati phyſicæ characteris hęc moralitas ſibi accreſcens ex inſtitutione divina; deficit in termino characteris, ſeu in Chriſto Domino ratio terminandi characterem ſecundùm hanc moralitatem. Vel è contra: ſicut Chriſtus Dominus tunc non erit paratus, aut aſsiſtens ad operandum omnia prædicta; (nempè participationem Sacramentorū, confeſsionem fidei, & Sacramētorum collationem) ita deficiet characteri ratio illa, ſeu moralitas; vi cuius charactizatus habet poteſtatem ad omnia illa.

119 Quam duplicem poteſtatem, necnon & perſeverantiam vnius, deficiente alia, optimè declarat exemplum iſtud. Demus, convenisse inter homines alicuius reipublicæ, quod, qui habuerit diadema ſit Rex, vſque ad determinatum aliquod tēpus, quo elapſo, ſpiret eius Regia poteſtas. Tunc qui alicui illius reipublicæ rite applicaret coronam, produceret in eo duplicem relationē; aliam realem extrinſecùs advenientem habitus, per quam diceretur diadematus: & aliam moralem; per quam diceretur habere

Re-

Regiam poteſtatem pro illo tēpore determinato. Damus item, quòd, elapſo illo tempore, maneret coronatus; tunc perſeveraret in illo relatio habitus ſecundū eſſe phyſicum; non tamen moralitas ſuper ipſam fundata: elapſo enim illo tempore ſpiravit eius Regia poteſtas.

120 Obijcies tertiò: ſpeciale eſt Chriſto Domino eſſe Sacerdotem in æternum, iuxta illud *Pſ. 109. Tu es Sacerdos in æternum*: ergo alijs poſt hanc vitam deletur character ſaltem Sacerdotij. Reſpond. negando conſequentiā de charactere ſecūdùm eſſe phyſicum: & concedendo de illo ſecundùm eſſe morale. ¶ Dices: ergo in Chriſto Domino poſt diem iudicij remanet poteſtas moralis oferendi ſacrificia tàm per ſe, quàm per alios. Reſpond. negando: quamvis enim in Chriſto maneat vſque in diem iudicij, immò & in ęternum poteſtas excellentiæ fundata in vnione hypoſtatica ad ſimul offerendum ſacrificium incruentum, ſeu Sacramētum Euchariſtiæ cum alijs hominibus; (qui ſolùm miniſterialiter conficiunt: etenim ſolus Chriſtus Dominus eſt principalis offerens; offertq; ſimul cum omnibus & ſingulis alijs) tamen poſt diem iudicij ceſſabit in illo actus offerendi; immò & eius moralis, ſeu proxima poteſtas offerendi cum alijs: cùm iam nulli alij ſint oblaturi ſacrificia, aut confecturi Sacramenta. ¶ Inſtabis: ergo non eſt ſpeciale Chriſto Domino eſſe Sacerdotem in æternum: cū in illo ſolùm remaneat remota, ſeu phyſica poteſtas Sacerdotalis; (quæ vel eſt vnio hypoſtatica, vel quid formaliter, aut aliàs ab illa diſtinctum; atque in illa fundatum) cuius ſimile perſeverat in alijs Sacerdotibus, in quibus diximus conſervari phyſicam entitatem characteris. Reſpondetur negando. Dicitur enim Chriſtus Dominus ſpecialiter Sacerdos in æternum; eo quod eſt principalis offerens, vſque ad conſumationem ſæculi; vel propter dignitatem excellentiæ. Plura huc ſpectātia diximus *in tract. de Incarn. cap. 11. diſſ. 2. à num. 4.*

CAP. V.

De cauſalitate Sacramentorum, aut de modo, quo cauſāt ſuos effectus.

EX toto capite præcedenti cōſtat, Sacramenta omnia, & ſingula cauſare gratiam ſanctificantem in recipiēte dignè quodlibet ex Sacramentis ſaltèm legis gratiæ. Cōſtat item, cauſare gratiam Sacramentalem in eo, qui ad eius receptionem debitā adhibet diſpoſitionem. Inſuper cōſtat, illum, qui verè vult recipere, & ve-

& verè recepit (etiam ſi aliàs indigne accedat) baptiſmum, confirmationem, & ordinem recipere characterē. Inquirimus ergo: quam cauſalitatem habeant Sacramenta in hos effectus, & in quoſcumque alios, quos ſpecialibus Sacramentis tribuunt paſsim AA. & quos explicare nō eſt huius tractatus: hic enim ſolùm explicant, ſeu diſputant de effectibus, de quibus nulla eſt apud AA. controverſia convenire omnibus Sacramētis; vel ſaltèm multis illorum: qualiter cōvenit baptiſmo, confirmationi, & ordini imprimere characterem.

DUBIUM. I.

1 PEtes primò, an Sacramenta cauſent gratiam & characterem phyſicè? an moraliter? Reſpondetur cauſare moraliter tantùm. Tamen claritatis gratia aliqua certa ſunt præmittenda. Igitur ſuppono, cauſam phyſicam eſſe, quæ per proprium influxum phyſicum attingit effectum. Cauſa verò moralis dicitur, quæ attingit effectum inclinando volūtatem illius, qui phyſicè producit effectum; ſivè hoc faciat conſulendo; ſivè imperando; ſivè quocumque alio modo inducendo. ¶ Suppono etiam, cauſam phyſicam dividi in principalem, & inſtrumentalem. Principalis dicitur, quæ in actu primo, & antequam operari incipiat, habet propriam phyſicam virtutem ad influendum phyſicè in effectum. Inſtrumentalis verò dicitur, quæ phyſicè attingit effectum, non virtute propria, ſed principalis agentis recepta in actuali motione: vt explicuimus *cap. 3. num. 53.* ¶ Similiter dividunt cauſam moralem in principalem, & inſtrumētalem. Principalem moralem vocant, quæ propria virtute movet, & allicit voluntatem cauſæ phyſicè principalis. Inſtrumentalem autem moralem dicunt eſſe, quæ allicit voluntatem cauſæ phyſicè principalis virtute participata, ſeu derivata à principali movente: v.g. quando per epiſtolam imperat Dominus aliquid ſuo ſervo, Dominus eſt cauſa principalis moralis; epiſtola autem moralis inſtrumentalis: quia non virtute propria, ſed virtute imperij Domini, quod ſecum defert, movet volūtatem ſervi.

2 Inſuper ſuppono, Sacramēta non eſſe cauſam phyſicam principalem gratiæ, aut characteris. Quia tàm gratia ſanctificans, quàm character ſolùm à Deo pēdet tamquā à cauſa phyſica principali. ¶ Etiam ſuppono tamquam certum, Sacramenta non eſſe cauſam principalem moralē prædictorum effectuum. Quia quamvis moveant Deum ad ponendum gratiam, & characterē; non tamen movent virtute propria, & ſibi innata ſed virtute recepta ex inſtitutione divina, ſeu derivata à Chriſto Domino, qui eſt

eſt author Sacramentorum, & cuius meritis movetur Deus ad producendam gratiam, & characterem ad præſentiam Sacramẽti. ¶ Igitur cùm Sacramenta ſint cauſa gratiæ, & characteris: vt conſtat ex dictis toto capite præcedenti: & aliàs non ſint cauſa principalis, phyſica, aut moralis; reſtat examinandum, an ſint cauſa inſtrumentalis phyſica? an inſtrumentalis moralis? Circa quod longiſsimè diſtrahuntur AA. quorum placita placuit, ad deciſionẽ huius præmittere.

DVBIVM II.

3 PEtes ſecundò, quid dixerint AA. de Sacramentorum cauſalitate? Reſpondetur ſub duplici ſententia poſſe comprehendi omnes AA. qui de Sacramentorum cauſalitate variè loquuntur.

Proponitur prima ſententia.

4 IGitur prima ſententia affirmat, Sacramẽta novæ legis eſſe phyſica inſtrumenta gratiæ, & characteris. Pro qua ſententia citatur. *D. Thom. quæſt. 62. art. 1. & 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. quam ſecuntur communiter Thomiſtæ*, quãvis in eius intelligentia nimis diſtrahantur. Paludanus enim *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. concluſ. 2. Capreolus, Deza Hiſpalenſis, & Ferrara citati à Vazq. diſput. 132. cap. 2. num.* 20. putant, Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica gratiæ: quia concurrunt ad producendũ quẽdam ornatum in anima: qui ornatus eſt diſpoſitio ad gratiam. ¶ Sed contra: ſuperfluè enim, & ſine neceſsitate, & fundamento ponitur ille ornatus: etenim gratia immediatè recipitur in anima. Confirmatur, & declaratur. Si enim ornatus iſte eſt naturalis, habet improportionẽ cum gratia. Si ſupernaturalis, de illo currit eadem difficultas, ac de gratia.

5 Sotus *in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art.* 1. duo affirmat. Primum eſt, per Sacramenta nullum ornatũ, aut præviam diſpoſitionem ad gratiam produci in anima. Secũdum eſt Sacramenta dici phyſica inſtrumenta gratiæ; eo quòd efficiunt hominem gratum Deo: quia licèt effectio gratiæ ſit creatio; tamen, quòd homo ſit gratus Deo, non fit per creationẽ. Quod diverſimodè explicat. Tamẽ, etſi verum ſit vtrumque, nempè nullum ornatum produci in anima ante infuſionem gratiæ; necnon & quòd per gratiam homo fit gratus Deo: tamen, quòd hęc productio gratiæ phyſicè inſtrumentaliter ſit à Sacramento, ſine fundamento dicitur. De quo latè Suarez *diſput. 9. ſect.* 1. vbi latè refutat prædictam Soti ſententiam: pro qua etiam citat Ledeſmam 1. *part. quarti diſt. 1. quæſt. 3. art.* 1.

6 Ægidius de Beatitudine *t. 2 lib. 10. quæſt. 2. art. 15. §. Contra opinionem iſtam cum aliquibus alys* dicit, Sacramenta eſſe phyſica inſtru-

ſtrumenta gratiæ per quamdam qualitatem a principali agēte impreſſam, & receptā in Sacramentis, non permanentem, ſed tranſeuntem, nō completam, ſed incompletam. Tamen contra hos AA. militat, ſine neceſſitate, aut fundamento poni hanc qualitatē. Ad ſalvandum enim locutiones Patrum, & conciliorum dicentium, Sacramēta eſſe cauſas gratiæ, ſeu cauſare gratiam; eam cōtinere; lavare; &c. ſufficit dicere eſſe cauſas morales. Quo ſemel ſtatuto, ſine neceſſitate, & fundamento querunt hi AA. illam qualitatem phyſicam in Sacramēto. ¶ Caiet. *quæſt. 62. art. 1. & 4.* negat, aliquid reale derivari à Deo in ipſa Sacramenta, ſivè corporeum, ſivè ſpirituale; ſed per hoc ſolùm, quod Deus aſſiſtat illis, & cum illis, prout ipſe vult, operetur, affirmat, aſſumi, vt inſtrumenta, & elevari ad effectum perfectiorem, quàm ex ſe producere poſſent; etiamſi ipſa ex nativa ſua virtute ad talem effectum nihil concurrere queant. Quem modum philoſophandi amplectuntur multi RR. Thomiſtæ. Nec diſſentit Dominicus Soto expreſſe negans, aliquam qualitatem in Sacramenta derivari. ¶ Tamen cōtra hos militat, eſſe intellectu difficile, explicatuque adhuc difficilius, quomodo aliquid concurrat, vt phyſicum inſtrumentum abſque aliqua phyſica qualitate in ipſum derivata; & abſque aliqua innata in rebus efficacitate, aut cum effectu proportione.

7 Idem Caiet. *in 3. part. quæſt. 13. art. 2. §. Ad evidentiam, & Suar. diſput. 9. ſect. 1.* affirmant, Sacramenta eſſe phyſica inſtrumenta productionis gratiæ; eo quod potentia obedientialis in eis reperta elevatur à Deo ad productionem gratiæ. Affirmant enim, in rebus Sacramentorum, & in quacūque alia re creata eſſe efficacitatem quamdam nativā ad productionem cuiuſcumque effectus; non quidem abſolutam, completam, & perfectam; (qualis eſt in cauſis ſecundis ad ſuos effectus producēdos) ſed inchoatam, & imperfectam: quæ concurſu Dei completur ad hunc effectum, aut ad alium, ita vt hac ratione Deus complens efficacitatem cuiuſcumque rei dicatur, eam elevare ad effectum, & ea vti, vt inſtrumento phyſico. Ratione autem huius incompletæ efficacitatis activæ dicunt, in quavis creatura eſſe potentiam activam, (quam ipſi vocant obedientialem) vt a Deo aſſumi poſſit tā, quam phyſicum inſtrumentum ad quemcumque effectum producendum. Quæ ſententia iam multis Recentioribus eſt plauſibilis. ¶ Sed contra illam militat, ſimiliter poſſe me dicere, poſſe Deum aſſumere quamcūque rem creatam ad hoc, vt eſſet cauſa principalis reſpectu cuiuſcumque effectus. Sicut enim ibi in quacumque re creata, eo quod crea.

creatura eſt, & ſub obedientia Dei, admittunt virtutem illam inchoatam activam, vi cuius poteſt à Deo aſſumi vt inſtrumentum phyſicum ad producendum quemcumque effectum, etiam ſupernaturalem: poſſum ego dicere, etiam eſſe in re creatâ virtutem, ſeu potentiam obedientialem completam: & conſequenter poſſe aſſumi à Deo, vt cauſam principalem reſpectu cuiuſcumque effectus. Immò ſic aptiùs videtur explicari obedientia creaturæ ad Deum. Inſuper militat contra hanc ſententiam, ſequi ex ea, poſſe Deum aſſumere, vt inſtrumētum phyſicum, muſcam, v. g. ad producendum Angelum, Beatitudinem, &c.

Proponitur ſecunda ſententia.

8 SEcunda ſentētia affirmat, Sacramēta tātū eſſe cauſas morales gratiæ, & characteris. Ita *Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 5. §. Ad primam quæſtionem, D. Bonavent. Alenſis, Marſilius, Ricardus, & Canus, quos citat, & ſequitur Vazquez diſp. 132. cap. 5. à num. 74. Item Coninch quæſt. 62. artic. 4. num. 123. dicens eſſe ſententiam omnium Nominalium. Quibus* adde *G. Hurt. diſput. 3. diff. 2. Eſtque communis ſententia omnium Scotiſtarum; quam præ cæteris propugnat, & illuſtrat noſter Fabro diſp. 2. por totam.*

9 Inter AA. autem huius ſententiæ eſt diſsidium in explicando moralem cauſalitatem Sacramentorum. ¶ Altiſiodorenſis *in ſumma lib. 4. tract. 3. in principio cum aliquibus alijs* dixit, Sacramenta non eſſe cauſas efficiētes, ſed quaſi materiales gratiæ; quia illam cōtinere dicuntur. Vt vas continens medicinam nō eſt cauſa efficiens ſanitatem, ſed per modum materiæ eam videtur continere. ¶ Sed contra hoc eſt, continentiam Sacramentorū reſpectu gratiæ eſſe cōtinentiam virtualem: quæ continentia ſpectat ad genus cauſæ efficientis. Et ideo vi, & ratione huius continentiæ Sacramenta dicuntur lavare, ſanare, &c. quod non dicitur de vaſe continente aquam, aut medicinam; ſed de aqua, & medicina ibi contenta, in quibus reſidet virtus ad prædictos effectus.

10 Guilliermus Pariſienſis (ſecundùm quoſdam) *lib. de Sacramentis in genere cap.* 1. dicit, Sacramenta efficere gratiam per modū impetrationis. Quia oratio miniſtri, vel Eccleſiæ coniuncta cum Sacramento impetrat gratiam ſuſcipienti. Vnde *Actor.* 8. legitur, Apoſtolos præmiſiſſe orationem ad manus impoſitionem, ſeu ad Sacramentum confirmationis: *oraverunt enim pro ipſis, vt acciperent Spiritum Sanctum.* ¶ Tamen ſi hæc ſententia intelligit, gratiam, & alios effectus Sacramenti pendere ex

aro-

oratione, & impetratione miniſtri, aut Eccleſiæ, & illi eſſe tribuendos, tamquam propriæ cauſæ; falſa eſt: ſic enim Sacramenta non conferrent gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis. Quod toties in concilijs damnatum eſt. Si autem hæc opinio ſolùm velit, effectus Sacramentorum ſolùm pendere ex oratione, & impetratione miniſtri, aut Eccleſiæ, tamquã ex conditione applicante Sacramenta, à quibus iam poſitis, & applicatis producitur gratia, & character, tamquã ab inſtrumentis, à Deo tamen tãquã à cauſa phyſica principali, vera eſt: illamque cum noſtra, & Scoti explicatione coincidere conſtabit ex dicendis *n.* 12.

11 Melchior Cano *in Relectione de Sacramentis in genere* 4. *part. & Martinus de Ledeſma in* 1. *part.* 4. *quæſt.* 3. *artic.* 1. *poſt* 6. *concluſionem* affirmant, Sacramẽta eſſe tantũ cauſas morales gratiæ, &c. quia ſunt veluti chyrographa continentia ſanguinem Chriſti Domini, qui fuit pretium redemptionis noſtræ: quam ſententiam vterque ſumpſit à Franciſco Victoria; vt notat Vazq. *diſp.* 132. *cap.* 5. *num.* 76.

¶ Sed, quidquid ſit de hoc, hæc opinio coincidit cum Scoti, & noſtra *num.* 12. explicãdà, quamvis Canus putet, & profiteatur, ſe multum diſtare ab opinione Scoti.

12 Demùm Scotus *num.* 6. citatus, Scotiſtæ, & multi alij ex ibidem citatis affirmant, ideò Sacramenta moraliter efficere gratiam, & characterẽ; quia ſuſceptio Sacramenti eſt diſpoſitio neceſsitans Deum ad cauſandum gratiam in ſuſcipiente Sacramẽtum. Neceſitat autem Deum non abſolutè, ſed ex inſtitutione divina, & ex pacto cum Eccleſia inito, & illi notificato, per quod Deus promiſsit, quòd ſemper aſſiſtet Sacramentis omnibus; & in quocumque dignè ſuſcipiente, ſeu non ponente obicem cauſabit gratiam ſanctificantem, necnon & Sacramentalem ad menſuram diſpoſitionis illius: characterem autem cauſabit in quocumque volente, & ritè recipiente (etiam ſi indignè accedat) baptiſmum, confirmationem, aut ordinem. Vnde inferunt AA. huius ſententiæ, Sacramentum, aut illius receptionem non cauſare gratiam, aut characterẽ per aliquam virtutem, vel formam phyſicam ſibi inexiſtentem; ſed ſolùm per aſsiſtentiam divinam, & pactionem Dei cum Eccleſia.

13 Inferunt etiam Sacramenta nullam actionem phyſicam, & propriam habere circa gratiam ſanctificantem, aut characterem: ſed ſolùm excitant, & movent agens principale ad cauſandum. Immò prædicta motio non eſt phyſica, & ad modum, quo cauſæ finalis bonitas apprehenſa movet operantem; aut obiectum applicatũ movet potentiã. Quamvis enim

enim tàm finis, quàm obiectum ſint cauſæ metaphoricæ reſpectu effectus, quem cauſa principalis mota ab illis operatur: tamē reſpectu motionis ſunt veræ cauſæ, cauſantque per virtutem, aut formam, quam intra ſe habent potentem ad excitandum, ſeu movendum principale agens, vt producat effectū. Actio autem, qua Sacramentum movet Deum ad producendum gratiam ſanctificantem, & alios effectus, non ſolùm eſt metaphorica reſpectu horum effectuum, ſed etiam reſpectu ipſius Dei: etenim ſignum ſenſibile, ſeu Sacramentum nullam virtutem propriam, aut phyſicè inexiſtentem habet, ſivè ad phyſicè producendum illos effectus; ſive ad phyſicè movendum Deū, vt illos producat; ſed ſolùm habet virtutem moralem derivatam à pactione, quam Deus pepigit cum Eccleſia de aſsiſtendo ſemper illi ſigno ſenſibili, ſeu Sacramento. Quare ad poſitionem illius ſigni quaſi recordatur Deus pacti ſui: (vt in ſimili loquitur Scriptura *Geneſ. 9. Ponam arcum meum in nubibus, vt ſit ſignum fœderis mei, &c. & recordabor fœderis mei vobiſcum*) & ſic ex pacto efficit gratiam.

14 Denique inferunt, in Sacramento ſolùm eſſe virtutem moralem derivatam à divino pacto ad cauſandū prædictos effectus. Quæ moralis virtus nihil aliud eſt, quàm quædam denominatio, quæ ipſi ſigno ſenſibili accrevit, (& per quam conſtituitur in eſſe Sacramenti) ex eo, quòd à Deo fuit ordinatum ad producendum dictos effectus. Sicut ramus pendens ante tabernam conſtituitur in eſſe ſigni vini vēdibilis per hoc, quod ex libera hominum inſtitutione ſit ad hoc ordinatus: in quo ramo ex tali inſtitutione ſolū remanet extrinſeca denominatio aſſumpti, vel ordinati ad ſignandum vinum vendibile.

15 Dices: diſpoſitio, & forma ad quam diſponit, debent eſſe in eodem ſubiecto: ſed receptio Sacramenti eſt aliquid factum circa corpus; gratia autem, & character recipiuntur in anima: ergo non ſunt in eodem ſubiecto: & conſequenter Sacramentum, vel receptio illius nequit eſſe diſpoſitio neceſsitans Deum ad cauſandam gratiam, vel characterem. Reſpondet Scotus *in 4. diſt. 1. quæſtione 5. §. Ad primam ergo quæſtionem dico verſ. Nec obſtat, quod ſufficit, quòd diſpoſitio, & forma ſint in eodem ſuppoſito; & maximè quando diſpoſitio non eſt diſpoſitio ex parte rei, ſed in ordine ad agēs voluntariè cauſans terminū.*

¶ Dices ſecundò, ſequi ex dictis, Sacramenta eſſe cauſas per accidens reſpectu gratiæ, & aliorum effectuū. Probatur ſequela: quia cauſa per ſe, & non per accidens eſt illa, quæ ex propria virtute, & influxu producit effectum: cauſa autem per accidens, quæ non habet virtutem ad producēdum gratiam, neque influxum in illam,

illam, aut characterem: ergo ſunt cauſæ per accidens. Reſpondetur negando ſequelam: ad probationem dico, ſolùm cauſam principalem phyſicam debere habere illam innatam virtutem; non autem inſtrumentalem, adhuc phyſicam, ſed ſufficere, quod in actuali motione aliquid participet à cauſa principali phyſica, ratione cuius immediatè attingat effectum: vt *num.* 1. notabamus: vbi etiam notabamus longè minùs requiri ad cauſam inſtrumẽtalem moralem. Quod ſatis confirmatur ex dictis *à num.* 12.

Dubium III.

16 Petes tertiò, quid nobis dicendum ſit? Reſpondetur, claritatis gratia duplici cõcluſione eſſe aperiendum.

Prima concluſio.

17 Dico primò: Sacramẽta nõ poſſunt eſſe cauſæ inſtrumentales phyſicæ reſpectu gratiæ. (Idem dicendum eſt reſpectu characteris, atque aliorum effectuum, qui communiter tribuuntur Sacramentis.) Quia gratia ſanctificans creatur: ergo nulla creatura poteſt phyſicè attingere eius productionẽ. Antecedens concedunt omnes Scotiſtæ, & multi alij cum Scoto *in* 2. *diſt.* 37. § *Iſtæ quæſtiones verſ. Secundum concludit*, & *alibi*. De quo videatur noſter Felix *tractat. de Gratia cap.* 6. *diff.* 4. *à num.* 3. Secundò probatur abſtrahendo à modo, quo gratia producitur: non enim apparet quomodo Sacramenta, quæ ſunt quid phyſicè ſenſibile, poſſint attingere phyſicè productionem gratiæ: quæ non ſolùm eſt quid ſpirituale; ſed etiam producitur in diverſo ſubiecto: gratia enim ſubiectatur in anima, vel in eius potentijs; Sacramentum autem in corpore. Tertiò, quia, recedente fictione, Sacramenta cauſant gratiam: (vt ſaltem l[illegible]quendo de baptiſmo fert communior opinio nobis contraria. De quo *cap.* 4. *à num.* 34.) ſed tunc non poſſunt eam phyſicè cauſare: ergo ſaltem tunc non ſunt cauſa phyſica. Minor conſtat: quod enim actu non eſt, nequit phyſicè aliquid efficere, adhuc vt inſtrumentum. Quarto; ſi enim Sacramenta phyſicè cauſarent gratiam, vnum ex duobus ſequeretur neceſſariò, nempè, aut gratiam nobis conferri per Sacramenta, quando iſta non habent eſſe, aut gratiam produci in tempore: quorum vtrùmque videtur abſurdum. Probatur ſequela quoàd primum. Si enim gratia non producitur in tempore, quo durat fieri Sacramenti, neceſſario producitur in inſtanti terminativo illius: tunc autem Sacramentum non exiſtit, ſed tempore immediato exiſtebat. Secundum autẽ probatur: ſi enim gratia produci-

tur phyſicè à Sacramento, debet produci, dum Sacramentum habet exiſtentiam: ſed iſtam habet neceſſariò in tempore: eſt enim ſucceſsivum: ergo in tempore, ſeu ſucceſsivè producit gratiam, aut alium effectum. ¶ Variè reſpondent adverſarij his duabus probationibus: quorum ſolutiones refert, & refutat Vazq. *diſput.* 132. *cap.* 4. *à num.* 41. Hæc concluſio eſt contra AA. citatos pro prima ſententia *à n.* 3.

18 Sed objiciunt: multæ ſunt auctoritates, quibus dicitur, Sacramenta cauſare gratiam; ipſam continere, &c. ergo ſunt cauſæ phyſicæ illius. Pro probatione antecedentis videantur RR. præſertim Fabro *diſput.* 2. *cap.* 1. *qui à num.* 4. diverſas Patrum, & conciliorum refert auctoritates. Nobis autem ſufficiat Tridentinum *ſeſ.* 7. *can.* 6. dicens: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, anathema ſit.* Reſpond. negando conſequentiam: concilia enim, aut PP. non determinant genus, aut modum cauſalitatis: & ideo nos illos accipimus de cauſalitate morali propter rationes adducendas *à num.* 22.

19 Objicies ſecundò: perfectior cauſalitas eſt phyſica, quam moralis: ergo debet tribui Sacramento. Patet conſequentia: quia hoc poſtulat eius dignitas, & excellentia. Reſp. negando conſequentiam. Ad probationē dico, eſſe impoſsibile, Sacramenta attingere productionē gratię phyſicè, adhuc inſtrumētaliter: repugnat enim, creaturā habere actionē circa nihil, ex quo producitur gratia per creationē. Immò hoc argumētum, ſi quid valeret, probaret, Sacramenta eſſe cauſam phyſicā principalem gratiæ: quia cauſalitas cauſæ principalis perfectior eſt cauſalitate cauſæ inſtrumentalis: & aliàs dignitas, & excellentia Sacramentorum poſtulat, vt eis tribuamus perfectiorem cauſalitatem. ¶ Si autem dicas, cauſalitatem phyſicā principalem eſſe Sacramentis impoſſibilem: idem ego omnino dico de cauſalitate inſtrumentali phyſica reſpectu productionis gratię. Quod ferè in confeſſo eſt apud omnes, ſi ſemel ſtatuatur, gratiam creari. Immo quam multi ex dicentibus, gratiam educi de potentia animæ, id etiam libentiſsimè fatētur propter argumēta facta *n.* 17. in probationem noſtræ concluſionis.

20 Prædicta ſolutio mihi ſufficientiſsima eſt. Tamen quia illi argumento multi multū fidunt, ideo in eius ſolutione paululum immorabor. Demus ergo adverſarijs, gratiam non creari, ſed educi de potentia ſubiecti. Demus item, poſsibile eſſe, aliquam creaturam poſſe aſſumi, vt phyſicum inſtrumentum ad productionem gratiæ. In quo caſu adhuc negatur conſequentia: non enim

enim ſequitur ex eo, quòd aliqua creatura poſsit aſſumi, debere aſſumi Sacramentum. Fallit enim conſequẽtia, tùm in Logica: tùm in Theologia. In Logica enim, quia arguitur à potentia ad actũ: (de non amplo ad amplum dictitant Dialectici) quam argumentationem reprobant Logici; & meritò: eſt enim ad oculum falſum; currere actu Petrum, quia habet potentiam ad currendum. In Theologia autem fallit etiam: quia quamvis poſſet aliqua creatura; immò & quæcumque aſſumi, vt inſtrumentum phyſicum ad producendum gratiam: erant adhuc duo neceſſario probanda. Primum eſt, Deum in productione gratiæ debere vti inſtrumento phyſico, aut non poſſe illam producere ſine aliquo phyſico inſtrumento. Quod quàm falſum eſt, patet in productionẽ gratiæ collatæ Chriſto Domino, & Angelis. Alterum probandum erat, quòd, dato, aliquam creaturam fore neceſſario aſſumendam, vt phyſicum inſtrumentum ad productionem gratiæ, neceſſario aſſumendum erat aliquod Sacramentum: eſſet enim Deo liberum aliam aſſumere. Aut dicatur, quare ſi in quacumque creatura eſt potentia obedientialis ad hoc, coarctetur Deus potiùs ad ſumendum Sacramentum, quàm rem aliam.

21 Dices, hoc poſtulare excellentiam, & dignitatem Sacramentorum. ¶ Sed contra hoc meritò inſurgit Vazquez *diſp. 132. cap. vlt. num. 111.* ſic fatus: Sacramentorum excellentia, & dignitas in eo eſt, vt ex vi inſtitutionis divinæ ſint media ad ſalutem noſtram partim omninò neceſſaria, (videlicèt baptiſmus, & confeſsio) partim maximè vtilia; (videlicet reliqua omnia Sacramenta: quæ vivorum nuncupantur) & eorum beneficio multi gratiã Dei, & vitam æternam conſequantur; quã aliòquî carerent. Quod autem id præſtẽt phyſice, vel moraliter, quid refert (quæſo) ad eorum excellentiam? Adde phyſicam efficaciam, & concurſum, vt à RR. explicatur, videri totã Sacramentorum vim, & efficaciam non parũ derogare. Etenim ridiculũ profectò apparet, totam Sacramentorum vim, & efficaciã ad extremum quoddam ſoni, aut motus indiviſibile revocare, quod phyſico concurſu gratiam producat. Et ſanè Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum in Sacramentorum inſtitutione harũ ſubtilitatũ curam habuiſſe, planè videtur cõmẽtitiũ. Quo circa cavendũ eſt, ne, dum hoc modo virtutem Sacramentorum explicamus, hæreticis præbeamus occaſionem irridendi myſteria noſtræ fidei, atque iactandi, ad huiuſmodi anguſtias nos redactos eſſe pro defendenda Sacramentorũ efficacitate; (quam ipſi impugnant) cùm tamẽ poſsit multo faciliori modo, ac ſolidiori explicari, &

defendi: vt à nobis præſtitum eſt. Huuſq; Vazquez : graviter quidem, & ſolidè.

Secunda concluſio.

22 DIco ſecundo : Sacramenta tantũ ſunt cauſæ morales reſpectu gratiæ, characteris, &c. Quia omnia, quę dicuntur de Sacramentis, & eorum cauſalitate poſſunt ſufficiẽter ſalvari per cauſalitatem moralem tantùm : ergo ſuperfluè ponitur phyſica. (dato, quod eſſet poſsibilis) Antecedens conſtat: quod enim dicitur de Sacramentis, eſt cauſare gratiam, lavare, ſeu mundare nos, &c. quas, & ſimiles loquutiones continet Scriptura de ſanguine, & paſsione Chriſti D. (ſufficiat illud 1. *Ioan.* 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*) & tamen iſtæ loquutiones ſolùm poſſunt intelligi de cauſalitate morali: merita enim paſsionis, & ſanguinis Chriſti D. non attingunt phyſicè gratiam, quæ nunc confertur, aut quæ collata eſt antiquis Patribus ex prævisione ipſorum : ergo eodem modo ſunt intelligenda concilia, & Patres, quando dicunt, Sacramenta continere gratiam, lavare, &c. Confirmatur: quia propriiſsimè dicitur, iudicem ſuſpendere reum; medicum ſanare infirmum; eleemoſinã liberare à peccato; exorciſtam eijcere dæmonia, &c. & tamẽ ſolùm ſunt cauſæ morales: ergo eodẽ modo Sacramenta dicẽtur lavare animã; conferre gratiam; &c. licèt ſolùm ſint cauſæ morales inſtrumentales. ¶ Si autem quæras, quomodo ſit intelligenda cauſalitas moralis, ſuppoſito, quòd AA. in eius explicatione non conveniant? vt conſtat ex dictis *à num.* 9. Dico, nihil eſſe mutandum, aut addendum his, quæ dicta manent *à n.* 12. *vſque ad* 15. *incluſivè.*

23 Sed cõtra hanc concluſionẽ obijcies, ſequi ex ea, Sacramẽtorũ cauſalitatem eſſe ſimilẽ modo, quo maleficus arte dæmonis operatur maleficia : nam iſte, dũ dicendo aliqua verba, aut faciendo aliquam operationẽ, operatur maleficia, verba, aut operatio nõ efficiunt illud maleficiũ; ſed diabolꝰ, cum quo fecit pactum maleficus: & verba illa, aut operatio ſolùm ſunt ſigna, non autẽ cauſa, niſi abuſivè: quod enim nihil cauſat, ſolù abuſivè poteſt dici cauſa. Reſpondetur cum Fabro *ibi n.* 58 exemplum illud malefaci habere duo, nempè & deformitatem, & ſimilitudinẽ, ſeu proportionem. Continet (inquam) deformitatẽ; quia myſteria divina non ſunt explicanda per exempla turpia, & indecentia divinam maieſtatem. Propter hoc ergo, exemplum illud eſt evitandum; neque in illo facienda eſt cõparatio: non tamẽ ex eo, quòd ibi non ſit aliqua proportio, aut ſimilitudo : eſt enim, quamvis non omnimoda. Etenim Sacramenta ſunt ſigna certiſsima, & infallibilia ſuorũ effectuum; ſigna verò magica, quibus dia-

diabolus (æmulando Deum Sacramētorum institutorem) promiſit, ſemper aſsiſtere, multoties fallunt: ſunt enim deceptoria, & fallacia; vti a promittente falſo, & fallaci.

23 Obijcies ſecundò, Sacramenta nullam connexionem habent cum gratia: ergo nō poſſunt dici diſpoſitiones ad illam. Antecedens probatur: quia Deus cauſat gratiam ad præſentiam Sacramentorum. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: ſolùm enim eſt verum de connexione phyſica, ſeu ex natura rei: non autem de morali, ſeu ex inſtitutione divina: ſuppoſito enim pacto, quo Deus ſtatuit, ſemper aſsiſtere Sacramentis ad producendum ſuos effectus; habent Sacramenta connexionem moralem, & infallibilem cum gratia, &c. & ideò neceſsitant Deum ad producendū gratiam, &c. In quo ſenſu Sacramenta dicuntur cauſæ morales gratiæ. &c.

24 Ex dictis cōſtat, quòd, cùm ſecundum nos Sacramenta ſint inſtrumenta gratiæ, &c. non phyſica, ſed moralia, abſtinendum nobis eſt in præſenti à quæſtione illa: vtrùm inſtrumentum phyſicum neceſſario debeat eſſe activū? Ad quam quæſtionem Scotus *in 4. d. q. 5. §. Ad primam ergo quæſtionem a verſ. Ad intellectū huius* reſpōdet negativè loquendo de inſtrumentis artificialibus: quæ pro tāto videntur eſſe activa, quia formaliter expellunt oppoſitum corpus ab eodem vbi, & inſerviunt principali agenti ad inducendum vltimum terminum, ſcilicèt formā cathedræ, arcæ, &c. Quæ ſententia abſolutè tenenda eſt in via Scoti; non obſtante, quod *ibi verſ. De iſto* dicat, *videtur probabilius quod non* eſt activum inſtrumentū artificiale. Ly enim *probabilius* modeſtiæ cauſa protulit; & non ex eo, quod putet, oppoſitum eſſe ſibi probabile per aliquam rationem; ſed ad ſummum auctoritate Doctorum oppoſitū opinantium. Et ideò nullam rationem, aut authoritatē ſibi obiecit. Quo non obſtante in præſenti abſtinēdum nobis eſt a prædicta quæſtione: quia, cùm Sacramenta (ſecundùm nos) ſolùm ſint inſtrumenta moralia reſpectu gratiæ, &c. parū poteſt nobis nocere, quòd inſtrumenta phyſica ſint, vel non ſint activa.

CAP. VI.

De ſubiecto recipiēte Sacramenta.

Dubium I.

1 Peteſ primò, an omnes, & ſoli homines viatores ſint proximè capaces recipiēdi Sacramenta? Reſp. affirmativè. Quia ſic Deus voluit: cuius voluntas declaratur conſenſu Eccleſiæ; & ideo Eccleſiæ D... de ſolis homi-

nibus viatoribus accipiũt illa verba *Matth. vltim. Prædicare Evãgelium omni creaturæ.* ¶ Vnde conſtat, Angelos eſſe proximè incapaces recipiendi noſtra Sacramenta. Idem dicẽdum eſt de hominibus, qui deceſſerunt ex hac vita; ſivè ſint in cœlo, ſivè in purgatorio, ſivè in inferno. Quare reſ;ciendi ſunt Ioannes Vviclef, & Ioannes Hus, qui (teſte Suarez *diſp. 14. ſect. 1.*) erroneè dixerunt, ſolos prædeſtinatos eſſe capaces Sacramentorum. ¶ Nota tamen, noſtram concluſionem non intendere, quemlibet hominem viatorem eſſe capacem omniũ, & ſingulorum Sacramentorum: ſed indefinitè eſt accipienda, taliter vt nullus ſit homo viator; (ſivè prædeſtinatus, ſivè non prædeſtinatus; ſivè iuſtus, ſivè iniuſtus) qui non ſit capax recipiendi aliquod Sacramentum. Vnde fit, nullum eſſe ſexum; nullamvè ætatem; nullamque conditionem; (ſervi, aut liberi) aut nullam gentem; quæ non poſsit recipere aliquod Sacramẽtum. Quare conſuevit Eccleſia, conferre baptiſmum, & confirmationem indifferenter omnibus, & in quacumque ætate. Qua praxi ſupponit, ad hæc duo Sacramenta validè recipienda (Idem dicit Suarez *diſp. 14. ſect. 1.* de Euchariſtia.) nihil aliud requiri, quàm eſſe hominem viatorem. Aliorum autem Sacramentorum non omnes homines ſunt proximè capaces: ſed quædam requirunt certã ætatem; alia determinatũ ſexum, aliaſque cõditiones in tractatibus de ſpecialibus Sacramentis explicãdas: in quibus etiam declaratur, quæ diſpoſitio requiratur ad licitè recipiendum Sacramenta.

Dubium II.

2 Petes ſecundò, an ad valorẽ Sacramenti requiratur conſenſus recipientis? Reſp. affirmativè. (Loquendo de adultis, & excludendo Euchariſtiæ Sacramẽtum: hoc enim cùm ſupponatur factum ante receptionẽ, eius valor non pendet à conſenſu recipientis) Itaque ad validè recipiendũ aliquod Sacramẽtum nõ ſufficit, merè negativè ſe habere circa eius receptionẽ, ſed requiritur poſitivus cõſenſus, ſeu actus voluntatis, quo recipiens velit recipere Sacramẽtum. Quià *in cap. Cum parvulis de conſecratione diſt.* 4. dicitur, (& ſumptum fuit ab Auguſt. *lib. 4. de Baptiſmo cap. 24.*) ideo ſufficere, vt pro parvulis alij reſpondeant, quia ipſi reſpondere non poſſunt: & ſubditur: *at ſi pro eo, qui reſpondere poteſt. alius reſpõdeat, non itidem valet.* Immo id. definitum videtur *in concilio Carthaginenſi 3. c. 43.* vbi dicitur: *ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm volũtatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, dixerint, baptizentur.* Atque in *Arauſicano 1. cap. 12.* ſimiliter dicitur: *obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præterit*

tit a teſtimonium aliorum verbis habet. In quibus cõcilijs apertè ſupponitur, voluntatem adulti eſſe neceſſariam, vt Sacramẽtum recipere poſsit. Quod etiam docet Innocentius III. *in cap. Maiores.* Ratio autẽ à priori eſt voluntas divina ſic diſponens: vt conſtat ex declaratione Eccleſiæ in prædictis concilijs facta Ratio verò congruentiæ, quod ſicut nulli adulto Deus confert gratiã ſanctificantẽ ſine proprio cõſenſu, ſeu ſine aliquo actu propriæ voluntatis; congruum videtur, quòd ſine propria voluntate nõ cõferatur ei Sacramentum, per quod initietur, ſeu cõſecretur. Secunda eſt, quod *ex quo* vtitur homo ratione, oportet, quod habeat devotionẽ aliquã ad Sacramẽtũ, ſi debet ſibi valere: aliter enim videretur contemnere. (inquit Scotus citãdus) Ita Scotus *in 4. d. 4. q. 4. §. Hic diſtinguo verſ. De ſecũdo licet, D. Th. 3. p. q. 68. art. 7. Suar. Vazq. & Ægid. quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 4. diff. 13. (dicẽs ſic cõmuniter ſentire Theologos) Item D. Bonav. Alẽſ. Ricard. Durãd. Palud. & Adrian. quos citat Suar. diſ. 14. ſect. 2.*

3 Nota tamen, ſufficere ad validè recipiendũ Sacramentũ cõſenſum ſimplicẽ, ſeu ſimpliciter conſentire, quãvis diſſentiat quis ſecundũ quid: vt ſi v. g. conſentiret quis baptizari, vt fugeret tormẽta, vel incõmoda; & aliàs eſſet paratus non conſentire, ſi non eſſet talis occaſiò. Et ratio eſt, quòd iſte abſolutè cõſentit, quãvis alias cõditionatè, ſeu ſub hac conditione (*ſi poſſẽ effugere hanc occaſione*) non conſentiat. Et patet in illo, qui naufragio coactꝰ merces proijcit in mare: ille enim ſimpliciter, ſeu abſolutè vult proijcere, quãvis ſecundũ quid, ſeu conditionatè (ſub hac ſcilicèt conditione, *ſi poſſem effugere naufragiũ*) nõ velit proijcere: vt optimè vidit Scotus ibi *verſ. Si autem ſecundum quid.* ¶ Adde cum G. Hurt. ibi, non requiri ſpecialẽ cõſenſum, ſed ſufficere quẽlibet generalẽ: vt conſenſus, quo quis catholicè vivendo deſiderat aliquãdo vti medijs Eccleſiæ; vel ea ſibi conferri, quãdo ipſis indigeat. Et ratio eſt, quod ille generalis conſenſus verè eſt conſenſus. Et hunc ad minꝰ præſumit Eccleſia in moribundo, quẽ repẽtè ſenſibus deſtitutũ extremè vngit. Aut præſumit interpretativum cõſenſum: (quem ſufficere dixi *c. 3. n. 78.*) prudentiſsimè enim interpretamur, eum, qui in fide Eccleſiæ vivit, velle eius medijs ad ſalvationem vti, illaq; poſtulare, quando aliàs repentino morbo laborans expreſse nequit ſuum conſenſum declarare.

4 Sed *Caiet. & Ledeſma citati à prædicto Hurt.* dicunt in adulto ſufficere ad valorẽ Sacramenti, quòd nõ reſiſtat, eius receptioni. Et obijciũt Inocent. III. *cap. Maiores* dicentẽ: *Sacramentalis operatio imprimit characterẽ; cum obicẽ voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*: ergo ſola cõtraria vo-

luntas recipientis Sacramentum obſtat eius valori. Reſp. negando conſequētiam, ſi intendat ſolam poſitivam voluntatem non recipiendi Sacramētum obſtare eius receptioni: eſt enim contraria huic receptioni non ſolùm poſitiva; ſed etiam negativa, privativa, aut ſuſpenſiva: de qua etiam loqui Pontificem, conſtat ex cōtextu; & ex locis *num.* 2. citatis pro noſtra ſententia conſtat, ſic eſſe interpretandam ¶ Obijcies ſecundo, Eugenium IIII. in ſuo decreto fidei dicentem: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*: ergo non requiritur cōſenſus ſuſcipiētis. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: ſemper, aut reſpectu cuiuſcumque Sacramēti, & perſonæ, concedo: aliquando, aut reſpectu aliquorum Sacramentorum, & perſonarum, nego. Itaque Pōtifex aſsignat ea, quæ ſunt neceſſaria generaliter omnibus Sacramētis ad ipſorum valorem ſuſceptis à quibuſcumq; & ideò non fecit mentionem conſenſus ſuſcipientis: quia iſte non eſt generaliter neceſſarius: etenim non requiritur ad valorem Euchariſtiæ; neque ad valorem Sacramētorum, quæ ſuſcipiuntur a parvulis, & a perpetuo amentibus.

DVBIVM III.

5 PEtes tertio, qualis debeat eſſe iſte conſenſus requiſitus ad valorem Sacramenti in recipiente? Reſpondeo cum Scoto *ibi verſ. Siquis*, non requiri actualem, ſed ſufficere virtualem. Quia non diſtrahi ab actuali volitione eſt nimis difficile: *& noluit Deus obligare hominē ad impoſsibile, vel ſecundùm ſtatum huius vitæ nimis difficile.* (inquit Scotus ibi)

¶ Adde, ſufficere habitualem conſenſum ſumptū pro actu prę terito non retractato: vt fatetur Scot⁹ *ibi verſ. De primo*: & reddit pro ratione, quòd iſte ſufficit in amente, qui aliquando habuit vſum rationis; huic enim diſtribuuntur Sacramenta baptiſmi, confirmationis, & extremæ vnctionis, ſi conſtet habuiſſe affectū circa illa. Immò ille affectus præſumitur in cathecumeno, qui incidit in dementiam, cui conferūtur baptiſmus, &c. Et in Chriſtiano, cui conferuntur cōfirmatio, & extrema vnctio: ergo ſicut in amēte ſufficit ad validam receptionē Sacramenti conſenſus prę teritus non retractatus; ita ſufficiet in illo, qui vtitur ratione: vt optimè expendit Scotus ibi.

¶ Addo, etiam ſufficere volitionem conditionatā, necnon & generalem; vt explicuimus *n.* 3.

DVBIVM IV.

6 PEtes quartò, an ad valorem Sacramenti ſufficiat conſenſus indirectus? (vt ſi quis ſciret, quòd, ſi ebriaretur, baptizaretur, confirmaretur, aut ordinaretur) Reſpondetur ſub diſtinctio-

ctione: ſi enim iſte numquam habuit affectum circa receptionem baptiſmi v. g. ſed ſuſpenſivè ſe habuit, non manet baptizatus. Quia tunc non habuit conſenſum aliquem, neque indirectum, (& fortè ob hoc hic caſus videbitur extra chorum ſaltare) ſolùm enim tunc mihi imputatur effectus prævilus, & non intentus, qui tamen ſequitur per accidens ex aliqua actione mea, quando teneor vitare talem effectum; ſed ille non tenebatur vitare receptionem baptiſmi: ergo talis receptio illi non imputatur: & conſequenter nequit prudenter reputari, ipſum voluiſſe baptiſmum. Hac ratione non imputatur ad culpam mulieri ſe honeſtè ornanti lapſus iuvenis, à quo ſe appetendam prævideràt. ¶ Si tamen prædictus habuit aliquando affectum circa receptionem baptiſmi v. g. manet baptizatus. Quia tunc non apparet, vnde impediri poſsit validitas Sacramenti: cùm ſufficiat affectus ille non retractatus; immo & prudenter præſumptus: vt conſtat ex dictis *numero* 3. *&* 5. Dictis in præſenti capite lucem afferent dicta *cap.* 3. *à num.* 72.

CAP. VII.

De ordine, & numero Sacramentorum novæ legis.

Dubium I.

1 PEtes primò, quot ſint Sacramenta novæ legis? Reſpondetur, rem hanc prædefinitam ab Eugenio IIII. *in ſuo decreto fidei, quod habetur poſt vltimam ſeſsionem Concilij Florentini*, iterum definiiſſe Tridentinum *ſeſſ. 7. can.* 1. dicens: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis nō fuiſſe omnia à Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut aliquod iſtorum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit.* ¶ Nota tamen, non eſſe definitum, quodlibet ex his ſeptem Sacramentis eſſe vnum in ſpecie athomа: ſed hoc eſt ſub controverſia tàm de Sacramento Ordinis, quam de Euchariſtia.

2 Sed aliqui hæretici affirmãt, eſſe plura Sacramenta, alij pauciora. De quo præ cæteris legatur Bellarm. *lib. 2. de Sacramentis*

à

à cap. 23. Igitur hæretici obijciunt, quod hic numerus non habetur ex Scriptura: ergo non eſt de fide. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, & negando conſequentiam: licet enim hic numerus non habeatur expreſsè in Scriptura, ſub his nominibus: habetur tamen implicitè; nempè in illis locis, in quibus traditur doctrina de illorum ſubſtantia: quæ loca eruditè expendit præcitatus Bellarminus *cap.* 24.

¶ Obijciūt ſecundo D. Auguſtinum *epiſt.* 118. dicentem, Sacramenta novæ legis eſſe paucisſima. Reſpondetur, quod faciebat comparationem cum Sacramentis veteris legis. ¶ Obijciūt tertio multos PP. *apud Bellarminum ibi*, qui videntur affirmare, lotionem pedum factam à Chriſto Domino ante cœnam eſſe Sacramentum. Reſpondetur PP tunc ſumere ly *Sacramentum* latè, nempè pro quadam cœremonia myſtica, ſeu figurativa munditiæ, quæ debet præcedere ſumptionem Euchariſtiæ.

¶ Dices, verba illa (*ſi non lavero te, non habebis partem mecum*) denotare, illam cœremoniam conferre gratiam: ergo fuit Sacramentum ſtrictum. Reſpondetur negando antecedens: per illa enim Chriſtus Dominus comminatus eſt Petro excluſionem, nō à gratia; (& conſequenter neque à ſuo regno) ſed à cœna tam cōmuni, vel rituali, (ad quam nemo ſolebat admitti niſi lotis pedibus) quàm à Sacramentali; in qua poſtea daturus erat Chriſtus Dominus corpus, & ſanguinem ſuum: quamvis hoc poſterius Petrus non intellexerit vſque ad tempus conſecrationis. ¶ Dices ſecundo: per verba illa (*& vos debetis, alter alterius lavare pedes*) datur mandatum de lotione pedum: ſicut de Sacramento. Reſpondetur negando: ſolùm enim ibi propoſuit nobis Chriſtus Dominus exemplum ſuæ humilitatis immitandæ. Legātur RR. præſertim præcitatus Bellarm.

Dubium II.

3 Petes ſecundò: an aliquem ordinem habeant inter ſe ſe Sacramēta novæ legis? Reſpondetur affirmativè. Quia Trident. *ſeſ* 7. *can.* 3 ſic definit. (Contra vnum Lutheranorum errorem dicentem, vnum Sacramentum non eſſe alio præſtantius) *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.* Vnde conſtat, aliquam eſſe perfectionis diverſitatem, ſeu ordinem inter Sacramenta.

Dubium III.

4 Petes tertiò, qualis ſit ordo, quem Sacramenta novæ legis ſervant inter ſe? Reſpondetur, Theologos, Florentinum, & Tridentinum *ſeſ* 7. *can.* 1: ſic ordi-

ordinare, aut enumerare Sacramenta: ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Iſte autem ordo nō eſt perfectionis. ſic enim Euchariſtiæ eſt præſtantior omnibus alijs quoad dignitatem continentiæ: cùm reliqua ſolum contineant gratiam; Euchariſtia vero & gratiam, & auctorem gratiæ. Item prædictus ordo nō eſt cauſationis, aut cauſalitatis gratiæ: eſt enim incertum, quodnam ex ſeptem Sacramentis vberiorem gratiam conferat æqualiter diſpoſitis. Igitur prædicta enumeratio, ſeu ordo eſt penes diverſos fines, aut ſecundùm diverſa munera, quæ in vita ſpirituali exercent Sacramenta. Et quia in vita ſpirituali priorem locum obtinent, quæ ſunt ad ſe, quàm illa, quæ ſunt ad alios; ideo priùs enumerantur quinque Sacramenta, quæ reſpiciunt ſingulares perſonas, quàm Ordo, & Matrimonium, quæ reſpiciunt rempublicam Chriſtianam.

5. Inter illa autem, quæ reſpiciunt ſingulares perſonas, primo loco ponitur Baptiſmus; quia eſt ſpiritualis generatio. Secundo confirmatio; quia eſt completió, & perfectio Baptiſmi; qua homo ſpiritualiter generatus roboratur. Tertio Euchariſtia; qui eſt nutritio ſpiritualis, qua ſpiritualis vita conſervatur. Et quia vita habita poteſt non ſolùm conſervari, ſed etiam nutriri abſque eo, quòd præſuppònatur neceſſariò completa, & roborata per confirmationem; ideo Euchariſtia poteſt enumerari ante confirmationem: ſicut enumerata fuit à D. Dionyſ. *lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia*, vbi *cap. 3.* agit de Euchariſtia, & poſtea *cap. 4.* agit de confirmatione. Quarto enumeretur Pœnitentia; quia iam in vita ſpirituali nutritis eſt neceſſaria per accidens, nē pe lapſis in mortale. Quinto enumeratur Extremavnctio; quia eſt conſumativa Pœnitentiæ; cùm ordinetur ad auferendum reliquias peccatorū. ¶ Inter ſacramēnta autem ad alium ordinata priùs enumeratur ordo; (qui facit miniſtros ad aliorum vtilitatem) quia habet plus ſpiritualitatis, (ad quam Sacramenta ordinantur) quàm matrimonium.

6. De ordine temporis quoàd ſuſceptionem Sacramentorum certum eſt, Baptiſmum eſſe ianuam Sacramentorum, adeo vt nullum aliud valide ſuſcipiatur à non baptizato. Inter reliqua verò nulla eſt neceſſaria præſuppoſitio per ſe loquendo. Per accidens autem ex ſuppoſitione peccati mortalis Sacramentum Pœnitentiæ ſaltem ex neceſsitate præcepti præſupponitur ad Euchariſtiæ receptionem; non verò ad recipiendum alia Sacramenta, etiam ſi ſint vivorū: ad quorū non ſolùm validam, ſed etiam fructuoſam receptionem ſufficit, vt qui mortale peccatum com-

commiſſe præſentit, eliciat actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia: vt in ſimili loquendo de diſpoſitione miniſtri ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem dicebamus *c. 3 à n.96.* Sed de his, quæ parum controverſa ſunt, videantur RR. præſertim G Hurt *diſput.5.diff. 2.* Videatur etiam Bellarm. *lib. 2. de Sacramentis cap* 28 qui aliter comparat Sacramenta inter ſe; & eorum excellentiam aliter expendit.

CAP. VIII.

De Sacramentalibus, ſeu de cœremonijs, ſeu ritibus, quibus Sacramenta ſunt adminiſtranda.

Dubium I.

1 Petes 1. quid ſit Sacramẽtale? Reſpõd. Sacramentalia, eſſe quaſdam cœremonias, ſeu ritus ab Eccleſia inſtitutos ad maiorem Sacramentorum decentiam, ſolemnitatem, & venerationem. Vt ſunt in Baptiſmo exorciſmus, vnctiones, &c. & in miſſa genuflexiones, benedictiones, &c. Eſt tamen res iſta inter Catholicos parùm controverſa; ab hæreticis verò nimis examinata, & falſis calumnijs paſsim impetita. De qua lato calamo tractat eruditus Bellarminus *lib 2. de Sacramentis controv.6. à cap. 29. Legatur etiam Suar. diſp. 15.*

2 Nota, nomen hoc Latinum *cœremonia* (alij ſcribunt *cerimonia*, aut *cerimonia cerimoniarum*, teſte Antonio Nebricenſi) derivari ab oppido *Cœre*: vt volunt *Livius lib. 5. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 1.* eo quod ibi Sacra Romana ſervata ſint eo tempore, quo Galli Romam diripuerunt. Vel fortè rectiùs dictum eſſe à carendo, ita vt ſit cœremonia quaſi carimonia: vt volunt *D. Auguſt. lib. 2. Retract. c. 37. Gelius lib. 4 cap. 9. & Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 3.* eo quòd quædam cœremoniæ in abſtinendo, & carendo poſitæ ſunt: quales erant apud Iudæos carere vſu carnis ſuillæ; & omnia ferè vota Nazaræorum, & aliorum, qui vini, & aliarum multarum rerum vſu carebant.

Dubium II.

3 Petes ſecundò: an ſit licitus, & Sanctus vſus Sacramentalium? Reſpondetur affirmativè ex convenientia Catholicorum, & hæreticorum. Quia à Chriſto Domino traditus, & executus: etenim ipſemet, elevatis oculis in cœlũ benedixit, fregit, &c. Secundò, quia vtilis eſt ad tractandum Sacramenta decenter,

decenter, & devotè; & ad excitandum devotionem tàm miniſtrorum, quàm aſsiſtētium. Tertiò, quia eſt religioſus ex obiecto; & aliàs nulla circumſtantia vitiatur. Et quamvis in hoc cum Catholicis conveniant hæretici, obmurmurant contra noſtra Sacramentalia: ipſi enim ſolùm admittunt illa, quæ in Scriptura præcipiuntur, vel habent exemplum; vt ſunt orationes, gratiarum actiones, exhortationes, & pſalmodia. Admittũt etiam, poſſe Eccleſiam ſtatuere, ſeu determinare certum modum, & ordinem obſervandum circa cœremonias, quæ habentur in Scriptura; vt ſic circa earum vſum cõfuſio evitetur. Nullatenùs tamẽ volunt concedere, poſſe Eccleſiã novas cœremonias in Sacramẽtorum adminiſtratione, aut confectione introducere, aut determinare.

4. Tamen contra hos definit Tridentinum *ſeſ. 7. can.* 13. non eſſe contemnendos approbatos Eccleſiæ ritus circa Sacramentorum adminiſtrationem adhiberi conſuetos. Vnde colligi videtur, Eccleſiam habere poteſtatem inſtituẽdi cœremonias ad dignam Sacramentorum adminiſtrationem. Quòd expreſsè dicitur *ſeſ.* 21. *cap.* 2. & colligitur ex illo 1. *ad Chorinth. cap.* 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et *cap.* 11. *cætera autem, cùm venero, diſponam*: vbi loquitur de ritu ſervãdo in adminiſtratione Euchariſtiæ. Et ratio congruentiæ ſumitur ex eo, quòd credendum eſt, Deum reliquiſſe ſuæ Eccleſiæ hanc poteſtatem, vt ſic poſſet providere maiori reverentiæ Sacramẽtorum, & fidelium in illorum vſu vtilitati. ¶ Vnde infertur, quòd, ſicut Sacramentalia inſtituta ſunt ab Eccleſia: ita & eorum miniſtri. Et ideò inſtituit, Epiſcopum eſſe miniſtrum aliquorum; vt benedictionis olei, & chriſmatis: aliorum Summũ Pontificem, qui ſolus poteſt benedicere agnos Dei, &c. & aliorum Sacerdotes: vt patet in benedictione aquæ. Et regulariter miniſter Sacramenti eſt etiam miniſter Sacramentalium, quæ in eius celebratione intercedũt.

Dvbivm III.

5 PEtes tertiò, an aqua benedicta deleat peccata venialia ex opere operato? Reſpõd. affirmativè. Quia ſic philoſophari excitat devotionem fidelium circa aquam benedictam. Inſuper cedit in auctoritatem Eccleſiæ, cui piè credendum eſt, Chriſtum D. reliquiſſe poteſtatem inſtituendi ſigna, quibus applicentur ſua merita ad delendum venialia. Sicut ipſemet inſtituit Sacramenta, ſeu ſigna, quibus per applicationem ſuorum meritorum confertur gratia ſanctificãs, & delentur mortalia. Secundò, quia ſi Eccleſia habet poteſtatem con-

concedendi indulgentias, & liberandi animas a purgatorio, cur non habebit ad remittẽdum venialia ex opere operato per applicationem meritorum Chriſti D. quorũ ipſa Eccleſia eſt fidelis diſpẽſator? Nulla enim alia ratione largitur indulgentias etiam pro defunctis applicandas, niſi per applicationem meritorum Chriſti D. Ita *Henriquez, Bellarminus, Toletus, Sotus, Canus, Victoria, & Didacus à Nugro, qui abſolutè hãc ſententiam docent: quam probabilẽ putat Fillincius: & Fagundez dicit, fortè eſſe probabiliorem. Quos AA. citat, & abſolutè ſequitur Diana 3 p. tract. 4. Reſol. 61. quam ſententiam etiam abſolutè tenet Anſonius Noctinot verbo, aqua benedicta.*

6 Sed *Suar. Villal. G. Hurt. & Coninch (citans D. Thom. & Petrum Soto) relati à prædicto Diana* oppoſitum defendunt: & obijciunt: Eccleſia poteſt inſtituere Sacramentalia, ſeu ſigna, quæ ex opere operato remittant venialia? Ergo etiam poterit inſtituere Sacramenta. Reſp. negando conſequentiam: quia ad primum cõceſſa fuit Eccleſiæ poteſtas à Chriſto Domino (vt conſtat ex probatione noſtræ concluſionis) nõ autem ad ſecundum vt conſtat ex dictis *c. 3. n. 2.* ¶ Obijciũt ſecundo, non conſtare, Chriſtum D. reliquiſſe Eccleſiæ poteſtatem inſtituendi ſigna, quæ ex opere operato deleant venialia. Reſp. negando: conſtat enim ex illis verbis Chriſti D. *Tibi dabo claves regni Cælorum: quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, Matth. 16. num. 19.* ¶ Dices, hæc verba intelligi de poteſtate remittendi peccata per Sacramentalem confeſsionem. Reſpond. ita eſſe. Tamen hinc confirmo meam concluſionem. Sicut enim, etſi hæc verba dicta fuerint de poteſtate remittendi peccata per Sacramentalem cõfeſsionem; extendũtur ad indulgentias; ſeu ex illis colligunt PP. & AA. Eccleſiam habere poteſtatem concedendi indulgentias (etiam pro defunctis) per applicationem meritorum Chriſti D. Ita nos dicimus, ex eiſdem verbis conſtare, aut colligi, habere Eccleſiam poteſtatem inſtituendi ſigna, per quæ ex opere operato remittantur venialia per applicationem meritorum Chriſti D. ¶ Dices ſecundo, adhuc admiſſo, Eccleſiam habere prædictam poteſtatem, non conſtare, de facto inſtituiſſe aquam benedictam, vt remiſsivam hoc modo. Reſpond. negando: eo enim, quòd aquam inſtituit pro remiſſione venialium; (de quo non eſt dubium: ſic enim in chateciſmo pro puerorum inſtructione continetur) præſumendum eſt, inſtituiſſe vtiliori modo, quo potuit providere ſaluti fidelium. Præterea eo ipſo ac de hoc extat probabilis opinio, Eccleſia præſtat id, quod præſtare poteſt. Sicut, quando extat communis

error

error aut probabilis opinio circa iuriſdictionem alicuius miniſtri, Eccleſia dat iuriſdictionem. De quo legantur *Villalobos* 1. *p. tract.* 9. *diffic.* 46. *Diana* 2. *p. tract.* 13. *reſol.* 2. & *Auſonius verbo Opinio probabilis n.* 8.

7 Dices tertiò: Eccleſia inſtituit aquam benedictam in Sacramentale non ſolùm ad remittendum venialia; ſed etiam propter alios fines, ſeu ad alios effectus: (ad effugandum dœmonē v.g.) ſed hunc effectum effugandi dœmonem non ſemper, & infallibiliter præſtat: ergo quia non ex opere operato; ſed ex opere operantis dat ſuos effectus. Minor patet multis experientijs energumenorum, quos in exorciſmis aſpergimus aqua benedicta, & tamen non liberantur a dœmone. Idem patet, quando aliqua pluuia coniuratur, &c. Reſpondetur negando conſequentiam: quia (vt benè vidit Bellarm. *lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 31. §. *Tertia propoſitio*) de aqua benedicta habente effectus ſuos ex opere operato philoſophari poſſumus, ſicut de effectibus Sacramēti Extremæ vnctionis: cuius effectus, etſi ſunt ex opere operato, ſunt tamen in duplici differētia: alij enim ſunt illi connexi abſolutè; quales ſunt remiſſio venialium, & peccatorum reliquiarū. Alios autem effectus non cauſat abſolute, ſed conditionatè, *ſi vtile ſit, aut expediat homini recipienti*: qualiter cauſat ſalutem corporalem. Ita dicendum eſt de aqua benedicta, quæ remiſſionem venialium cauſat abſolutè; alios vero effectus (fugationē dœmonis v.g.) cauſat conditionatè, ſi expediat, aut vtile ſit recipienti.

8 Nota, hanc remiſſionem venialium vi aquæ benedictæ factam non egere infuſione gratiæ ſanctificantis, nec maiori feruore charitatis; ſed ſola extrinſeca condonatione Dei. Itaque poſita voluntaria receptione aquæ benedictæ, Deus condonat, ſeu remittit peccatum veniale, cuius non adeſt complacentia. Si autē contingat, eſſe plura venialia in recipiente aquam, Deus remittit illud, vel illa, quæ ſibi placuerint iuxta menſuram, quam ipſe præfixit illi receptioni. Sic enim videtur philoſophandum, quando remittuntur venialia vi Euchariſtiæ, aut alterius Sacramenti.

¶ Dices: quamvis virtute clauiū Eccleſia concedat indulgentias; tamen illas non lucratur, qui eſt ſub peccato mortali: ergo quamvis eadem virtute, aut poteſtate inſtituerit aquam benedictam, vt remiſſiuam venialium ex opere operato, illa non remittet exiſtēti ſub mortali. Reſp. diſparitatē eſſe, quod indulgentiæ conceduntur per modum meriti: deletio autem venialium vi aquæ benedictæ facta eſt ex opere operato. Immo quaſi retorquendo argumentum iſtud confirmo meam ſententiam. Sicut enim Eccleſia

con-

conce dit liberari animam à purgatorio vi Miſſæ: quam indulgẽtiam, ſeu liberationem conſequitur anima, etiã ſi miniſter ſit ſub mortali: (vt docent *Auſonius verbo Indulgentia num* 1. & *Diana* 5.*p.tract.* 12. *Reſol.* 38. *cum alijs*) ita, qui voluntariè aſpergitur aqua benedicta, conſequitur remiſsionem venialium, quamvis aliis ſit ſub mortali.

9 Nota inſuper, quòd cùm voluntaria receptio aquæ benedictæ ſit opus meritorium, (vtpotè bonum, & cum libertate contingẽtiæ factũ in obſequium Dei) præter prædictam remiſſionem venialium, meretur aliquid aliud apud Deum. (Huc ſpectare poſſunt dicta c. 4. *n* 25. & 27.) Quare, ſi recipiens aquam benedictam ſit iuſtus, meretur de cõdignò aliud præmium: et, ſi ſit peccator, illud meretur de congruo. Et ratio mihi eſt quod ex eo, quòd Eccleſia ſtatuerit, iſtam actionem religioſam recipiendi aquam benedictam prodeſſe in remiſsionem venialium, f gam dœmonum, &c. non abſiunt ab ea, neque auferre potuit id, quod ex ſe ſe ipſa habebat, nẽpè eſſe opus meritorium apud Deum (in cuius obſequium fiebat) alicuius præmij ſupernaturalis. ¶ Dices: ergo idem erit de volũtaria receptione Euchariſtiæ v.g. nempè, quod non ſolũ præſtat gratiam ex opere operato; ſed ex opere operantis. Reſpondetur concedendo. Quòd concedebamus c. 4. *n*. 25. & 27.

Dvbivm IIII.

10 Pertes quartò, quid dicendum ſit de alijs Sacramẽtalibus, quantum ad deletionem venialium? Reſpondetur, certum eſſe illam cauſare. An vero illam cauſent ex opere operato? An vero ſolùm ex opere operantis? decidendum eſt ex dictis de aqua benedicta. Quia de omnibus eſt eadem ratio, & inſtitutio. Et hęc de tractatu Sacramentorum in genere dixiſſe ſufficiat ad laudẽ Omnipotentis Dei, Immaculatæ Virginis, & omnium Sãctorum: quorum conſortium medijs ipſis Sacramentis nobis conferat Sacramentorum Author Dominus Ieſus. Amen.

LAVS DEO, ET MARIAE Matri eius.

TRACTATVS DE SACRAMENTO BAPTISMI AD MENTEM SCOTI.

PROOEMIVM.

BAPTISMVM eſſe vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis à Chriſto D. inſtitutis defi-nit Tridentinum *ſeſ.7. can.*1. cuius verba tranſcribimus *in tract. de Sacramentis in genere cap.* 7. *n.* 1. ¶ Eſt autem tanta Baptiſmi neceſsitas, vt *Ioan.* 3. dicatur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei.* ¶ Igitur de hoc Sacramento diſputant Theologi omnes: Diſtinctioniſtæ cum Magiſtro *in* 4. *à diſtinct.* 2. *vſque ad* 6. *vbi cum Scoto Scotiſtæ. Angelicus autem Doctor* 3.*p.à q.* 66. *vſque ad* 71. *& ibi Thomiſtæ.*

¶ Omnia autem, quæ de Baptiſmo communiter diſputantur hac noſtra tempeſtate; & quæ Scoto magis ſunt germana, vndecim capitibus hoc ordine cōprehendam. In primo agam de nomine, definitione, & inſtitutione Baptiſmi. In ſecundo dē materia huius Sacramenti. In tertio de eius forma. In quarto de vnitate Baptiſmi. In quinto de miniſtro huius Sacramenti. In ſexto, de neceſsitate Baptiſmi. In ſeptimo de ſuſcipientibus Baptiſmum. In octavo de effectibus Baptiſmi. In nono de diſpoſitione ad Baptiſmi neceſſaria. In decimo de cœremonijs in receptione Baptiſmi adhiberi ſolitis. In vndecimo, & vltimo de Baptiſmo ſanguinis, & flaminis; de illorum effectu, atque de diſpoſitione ad illum neceſſaria.

(.·.)

CAP. I.

De nomine, definitione, atque institutione Sacramenti Baptiſmi.

DVBIVM I.

1 Petes primò, quibus nominibus inſigniatur Sacramentum Baptiſmi? Reſpond. quòd attendendo ad diverſos effectus, quos Baptiſmus cauſat in anima recipientis, diverſa ei nomina Scriptura, PP. & Scholaſtici impoſuerũt. Quare appellatur *circumciſio non manufacta*: *ad Coloſſenſ.* 2. quia recipiens Baptiſ.nũ circumciditur, & expoliatur, nõ carne, ſed peccatis, & eis emoritur, hoc eſt, recipit legem, ſecundùm quam debet ſpiritualiter circumcidi, ſeu ab omni culpa abſtinere. Secundò dicitur *ſepultura, Ioann.* 3. & 6. quia vetus homo in Baptiſmo moritur, & quaſi ſepelitur. Tertio dicitur *crux*: quia vetus homo in Baptiſmo crucifigitur. Quarto dicitur *illuminatio* iuxta illud *ad Hebræos* 6. *impoſsibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, &c. & prolapſi ſunt; rurſus revocari ad pœnitentiam.* Quintò dicitur ab Auguſt. *epiſt.* 23. *Sacramẽtum fidei*: quia in Baptiſmo fit fidei profeſsio, aut proteſtatio. Sexto dicitur *vnctio*: quia per Baptiſmum conſecramur Deo in Reges, & in Sacerdotes ſpirituales, iuxta illud 1. *Petri* 2. n. 9. *Vos autem genus electũ; Regale Sacerdotium, & c.* Septimò dicitur *donum ad Hebr.* 6. quia per Baptiſmũ fit maxima peccatorũ remiſsio: quia fit non ſolùm culparum, ſed etiam pœnarum cõdonatio. Octavò dicitur: *indumẽtum*, iuxta illud *ad Gal.* 3. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: quia nuditas animæ à gratia, quam peccatum induxerat, tegitur gratia per Baptiſmum collata. Nono dicitur *ſignaculum*: quia omnes oves Chriſti D. primò ſignantur charactere Baptiſmi. Decimo dicitur *ianua*: quia per Baptiſmum intratur in Eccleſiam Militantem, & Triumphantem. Vndecimo dicitur *lavacrũ regenerationis Ioan.* 3. quia per Baptiſmum lavamur à culpa, & regeneramur Deo. Demùm dicitur *ablutio*: quia per gratiam vi huius Sacramẽti collatam fit omnium peccatorum, atque pœnarum illis correſpondentium ablutio, ſeu largiſsima remiſsio.

2 Igitur his, & fortè multis alijs nominibus inſignitur Baptiſmus, aut baptiſma. (quod nomẽ eſt Græcum, & Latinè ſignificat immerſionem, ablutionem, aut lotionem, teſte Ambroſio Calepino) De quo, atque prædictis nominibus videndi ſunt Scotus *in* 4. *d.* 3. *q.* 1. *Tartaretus ibidem, & reliqui Scotiſtæ, præſertim Fabro diſp.*

diſp. 7. à cap. 1. Item Themiſtæ RR. prætertim *Vazq. in 3. p. diſp. 140. cap. 1. G. Hurtado tract. de Baptiſmo* diffic. 1. *Suarez in 3. p. ad quæſt 66. & ibidem Ægidius art.* 1. ¶ Nullum tamen prædicto-rum nominum ita apte naturam Sacramenti, per quod abluitur anima a culpa, ſignificat, ac *Baptiſmus*. Quia (vt notat Scotus *in 4. diſtinct. 3. quæſt. 1. §. & verſ. In ſolutione huius*) ſicut in lege veteri ablutiones vaſorum, & corporum appellabantur baptiſma: quia nullo aptiori vocabulo ablutio emundans à ſorde poteſt explicari: ita in lege gratiæ conuenientiſsime baptiſmus appellatur Sacramentum illud, quod per ablutionem corporis, tamquam per ſignum ſenſibile, ſignificat interiorem ablutionem animæ à ſorde ſeu a culpa.

Dubium II.

3 PEtes ſecundò: quid ſit Baptiſmus. Reſpondetur, *eſſe Sacramentum regenerationis animæ*: aut *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*, vt definit Catechiſmus Romanus Pij V. aut *eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma præſcripta verborum*: vt definit Magiſter *in 4. diſtinct. 3.* Aut *Baptiſmus eſt ablutio hominis aliqualiter conſentientis facta ab alio in aqua ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina ablutionem animæ à peccato*: vt definit Scotus *in 4. diſt. 3. quæſt. 1. §. In ſolutione verſ. Iſtorum.* Aut *Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis ſimul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis*: vt definit idem Scotus *ibidem verſ. Quod ſit.*

¶ Cùm autem vnius rei vnica ſit eſſentia, certum debet eſſe, omnes has, & ſi plures aliæ aſsignentur definitiones Baptiſmi, in vnam, & eamdem coincidere; vel ſaltèm in duplicem: in vnā, (inquam) per quam explicetur id, quod habet Baptiſmus pro materiali, ſeu phyſicè ſumptus; & in aliam, per quam explicetur id, quod metaphyſicè ſumptus, ſeu pro formali habet.

4 Igitur Baptiſmus, ſeu Sacramentum Baptiſmi metaphyſice, ſeu pro formali ſumptum, eſt ſignum gratiæ abluentis animam a culpa originali, & à quacumque alia mortali exiſtente in anima, quando recipitur Baptiſmus. Quod eſſe baptiſmi definitur, aut explicatur per verba illa Scoti *eſt Sacramentum* (hoc eſt ſignum ſenſibile) *efficaciter ſignificans ex inſtitutione diuina ablutionem animæ à peccato*: vt dicit in priori definitione: quæ ferè verba repetit in ſecunda. Quæ definitio eſt optima: quia aptè explicat naturam definiti, ſeu id, quod Baptiſmus pro for-

mali, ſeu metaphyſicè ſumptus habet. In qua definitione ly *ſignum ſenſibile*, ſeu *Sacramentum* ponitur pro genere: in quo Baptiſmus convenit cum alijs ſignis, & Sacramentis: aliæ autem particulæ ponuntur pro differentia. Nam per ly *efficaciter ſignificans* differt à ſignis ſpeculativis. Per ly *ex inſtitutione divina* differt ab illis ſignis, quæ ab hominibus inſtituuntur. Per ly *ablutionem animæ à culpa* differt non ſolùm à Sacramentis vivorum, in quibus datur gratia, non vt liberet à culpa; ſed vt roboret animam ad confitendum fidem coram tyranno: vt contingit in confirmatione; aut propter alios fines: vt contingit in alijs Sacramentis vivorum: ſed etiam differt à Sacramento Pœnitentia, in quo gratia non confertur per modo regenerationis.

5 Reliqua autem verba vtriuſque definitionis Scoti definiunt, ſeu declarant Sacramentum Baptiſmi pro materiali, aut pro fundamento, vel ſecundùm eſſe phyſicum, quod habet. Itaque declarant, relationem ſigni, quam Baptiſmus dicit ad gratiam, debere habere pro fundamento ablutionem corporalem hominis aliqualiter conſentientis, &c. Quæ definitio eſt optima cùm non ſolùm aptè declaret naturam definiti, ſeu id, quod Baptiſmus phyſicè ſumptus habet; ſed etiam conſtet genere, & differentia; etenim ly *ablutio* ponitur pro genere: in quo Baptiſmus convenit cum quacumque alia ablutione. Pro differentia autem ponuntur reliquæ particulæ: nec aliqua ſuperfluit: quacumque enim ablata non ſubſiſtet Sacramentum Baptiſmi: vt diſcurrenti patebit. (Hùc ſpectare poſſunt dicta *in tract. de Sacramentis in genere cap.* 1. *à num.* 1. *& iterum à n.* 6. ¶ Ex quibus conſtat, quomodo ſint intelligendæ reliquæ aliæ definitiones.

Dubium. III.

6 Petes tertio: quare Scotus poſuerit duplicem definitionem Baptiſmi? Reſpondetur, rationem eſſe, quòd Scotus voluit defendere tamquam probabilem duplicem modum opinandi de fundamento relationis ſigni, quam Baptiſmus dicit ad gratiam abluentem à culpa. Quidam enim exiſtimarunt, prædictam relationẽ ſolùm fundari in ablutione; verba autem, & intẽtionem miniſtri eſſe quaſdam circumſtantias, ſeu connotata prædictæ ablutionis. Alij verò exiſtimarunt, prædictam relationem proximè, & immediatè fundari, non ſolùm in ablutione, ſed etiam in verbis. Vt ergo defenderet illam primam opinionem, quæ affirmat, ſolam ablutionẽ eſſe fundamentũ prædictæ relationis, ponit definitionem, in qua ſola ablutio intrat in recto; denotans per

hoc

hoc, ſolam ablutionem eſſe totale fundamentum prædictæ relationis; verba autem eſſe connotatum, aut circumſtantiam talis ablutionis. Vt verò defendat aliam opinionem, quæ affirmat, etiam verba eſſe fundamentum proximum partiale prædictæ relationis, (quod Scotus probabilius exiſtimat: vt patet *ex verſic. Iſtorum*) ponit aliam definitionem: in qua dicit, quòd Baptiſmus conſiſtit *in ablutione, & verbis*; per quod denotat, in vtroque fundari prædictam relationem ſigni ad gratiam.

¶ Vnde patet, nullatenùs exiſtimaſſe Scotum, poſſe in aliqua opinione dari baptiſmum ſine ablutione, aut ſine verbis: & ideò in vtraque definitione tàm ablutionem, quàm verba expreſsit: ſed ſolùm voluit declarare, inter AA. probabiliter controverti de fundamẽto prædictæ relationis.

DVBIVM IIII.

7 PEtes quartò: an ſit probabile, relationem ſigni fundari non ſolùm in ablutione, ſed etiam in verbis? Reſpondetur affirmativè. Quia nihil convincit oppoſitum: vt conſtabit ex ſolutione argumentorum. Præterea hoc vel alio modo philoſophari parùm refert ad ſalvandum, quæ PP. Scholaſtici, & concilia, præcipuè Florentinum, docent de Sacramentis: vterque enim modus philoſophandi tamquã certiſsimum ſtatuit non poſſe conſiſtere Sacramentum Baptiſmi ſine ablutione, verbis, & intentione miniſtri. Quo ſemel ſtatuto, relinquitur locus metaphyſice diſputandi, an in definitione Baptiſmi verba intrent directè? An ſolùm indirectè, & de connotato? Neque doctrinæ, quam Eccleſia docet de Baptiſmo, aliquid derogat, illud, aut illud affirmare.

8 Sed Dominicus de Soto *in 4. diſt. 3. q. vnica art. 1.* nititur probare; hunc modum philoſophandi non eſſe probabilem; ſed falſum. Et objicit: multiplicatis fundamentis relationum, multiplicantur ipſæ relationes: ſed multiplicatis relationibus Sacramentorum ad ſuos effectus, multiplicantur Sacramenta: ergo, ſi in Baptiſmo datur pro fundamento non ſolùm ablutio, ſed etiam verba, dabitur duplex relatio: & conſequenter duplex Sacramentum. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: eſt enim vera ſolùm de fundamentis totalibus: (quales ſunt duo filij v.g. eiuſdem patris) falſa autem de partialibus. Nec eſt inconveniens, vnicam, & eandem relationem (rationis præſertim) fundari in pluribus realiter diſtinctis: vt benè vidit noſter Fabro *in 4. diſp. 7. c. 1. n 3.* & convincunt inſtantiæ exercitus: qui refertur ad ſuum Ducem per vnam relationem in tot realiter diſtinctis fundatam. Item inſtantia domus; quæ refertur ad

ſuum artificem per vnam relationem fundatam in tot rebus realiter diſtinctis: ex omnibus enim, quibus domus conſtat, conſurgit prædicta relatio.

9 Obijcit ſecundo: Sacramẽtum non componitur ex materia, & forma: ſicut componitur totum ſubſtantiale phyſicum: ſed eſt velut totum artificiale. Sed totum artificiale non ſupponit pro aggregato ex materia, & forma artificiali, ſed pro materia habente formam: (ſtatua v. g. pro ære habente formam ſtatuæ) ergo Sacramentũ Baptiſmi ſupponit pro ablutione, tamquam pro fundamento, & materia totali relationis ſigni; verba verò ſolùm ſunt connotatum, aut circumſtantia illius materiæ. Reſp. cum Fabro *ibi num.* 5. negando minorem: quia totum artificiale (ſtatua v. g.) in recto includit nõ ſolùm materiam, ſed etiam formam; atque ex vtraque fit illud compoſitum; & reſultat vnum per ſe artificiale: ſicut ex materia, & forma naturali reſultat vnum per ſe ſubſtantiale: & non minùs eſt materia ſtatuæ v. g. in potentia ad recipiendum actum, ſeu formam ſtatuæ; quàm materia naturalis ad recipiendum formam ſubſtantialem, & componendum vnum per ſe cum illa. Dicitur tamen totum artificiale vnũ per accidens, no quia ex illa potentia, & actu non fit vnum per ſe artificiale: ſed quia partes illius, vel ſaltem vna illarum (æs ſtatuæ v. g.) eſt ens completum: & conſequenter nequit facere, aut ex illa reſultare vnum per ſe phyſicum, aut naturale: verè tamen ex illis partibus fit, aut reſultat vnum per ſe artificiale, & nõ plura. Confirmatur, quia ſi domus v. g. ſolùm eſſet lapides, vera eſſet hæc prædicatio (*domus eſt lapides*), quia accidens in concreto (album v. g.) prædicatur de toto: album v. g. de Petro: ideò ergo prædicta prædicatio eſt falſa, quia materia totius artificialis ſolùm eſt pars illius. Vnde dico, quod ablutio eſt materia Baptiſmi. & verba ſunt forma reſpectu illius: vtraque tamen eſt fundamentum relationis ſigni ad gratiam, ſeu prædicta relatio æquè fundatur in vtraque, tamquam in vnico fundamento totali.

10 Obijcit tertiò: quando mulier dicit: *ego lavo linteum* nemo dicit, ablutionem eſſe compoſitam ex lotione, & verbis: ergo neque baptiſmus includit ablutionem, & verba directè, ſed verba ſunt connotatum, aut circumſtantia ablutionis. Reſpondetur negando conſequentiam: quia ex lotione, & verbis mulieris non fit aliquod ſignum ſignificans aliquid aliud diſtinctum à lotione: in Baptiſmo autem ex lotione, & verbis componitur Sacramentum, ſeu ſignum ſignificans gratiam abluentem animam: & ideò relatio ſigni ad gratiam fundatur in vtroque nẽpè in verbis, & lotione. ¶ Obi-

quar-

quartò: forma non eſt pars materiæ: ſed verba ſunt forma: ergo non ſunt pars materiæ, aut fundamenti relationis. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: eſt enim verum, formam non eſſe partem materiæ ſumptæ pro altera parte compoſiti naturalis, aut artificialis: eſt autem falſum, nō eſſe partem materiæ ſumptæ pro fundamento, aut ſubiecto relationis. Vnde etiam diſtinguo minorem: verba enim ſunt forma cōparata cum ablutione, ſeu cum altera parte Sacramenti, aut totius artificialis; comparata tamen cū relatione ſigni ſunt pars materiæ, ſeu partialis materia, aut fundamentum dictæ relationis. (Ex quibus negatur conſequentia.) Habemus autem huius aptiſsimum exemplum. Si enim formam Petri v. g. comparemus cum eius materia, non eſt pars illius: ſi tamē illam comparemus cum relatione, qua totus Petrus refertur ad patrē v g. ipſa forma eſt pars materię, fundamēti, vel ſubiecti, quod refertur. ¶ Obijcit quarto, quòd Scotus ſic definit Baptiſmum: *eſt ablutio hominis, &c.* ergo exiſtimat, ſolam ablutionem eſſe fundamētum relationis ſigni. Reſp. diſtinguendo cōſequens: probabiliter, concedo: abſolutè, nego.

Dubium V.

11 PEtes quintò, an ſit probabile, relationem ſigni ad gratiam fundari in ſola ablutione? Reſp. affirmativè. Quia nihil convincit oppoſitum: vt conſtabit ex ſolutione argumentorum. Præterea parum refert, hoc, vel alio modo philoſophari ad ſalvandum, quæ docet Eccleſia de Sacramentis: vt *n.* 7. expendebamus. Inſuper pluralitas eſt vitanda: ergo ſola ablutio eſt ponenda pro fundamento relationis ſigni, reliqua verò pro connotatis, aut circumſtantijs talis ablutionis. Ita *Scotus, & Scotiſtæ probabiliter cum multis alijs, præſertim cum Soto n.* 8. *citato.* Hancque ſententiā ſequutus Magiſter ſententiarum ſic definit Baptiſmum: *eſt ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta forma verborum:* vt *n.* 3. dicebamus; in qua definitione ſolam ablutionē ponit pro ſubiecto, aut fundamento; & reliquas particulas pro circumſtantijs, aut connatis, licèt multas omittat, quas Scotus ſupplevit in definitione, quam etiam ſequendo hanc ſententiam (probabiliter tantùm) tradidit, vt defenderet, definitionem Magiſtri eſſe bonā: & quam *n.* 3. tranſcribebamus.

12 Tamen contra hanc Magiſtri definitionem, obijcies primo: pars nō prædicatur de toto: ſed ablutio eſt pars Baptiſmi: ergo non poteſt prædicari de toto. Reſpond. diſtinguendo minorē: eſt enim vera de ablutionè nudè ſumpta: falſa autem de ablutione circumſtantionata verbis, intentione, &c. Itaque ablutio conno-

tando verba, (& reliqua alia, quæ in definitione Magiſtri ſubintelliguntur, & in definitione Scoti exprimũtur) non eſt pars Baptiſmi, ſed tota eſſentia, & quidditas Baptiſmi, ſeu eius adæquata definitio: quæ cum ipſo Baptiſmo convertibiliter ſe habet; prædicaturque de illo, tamquam explicitè cognitum de cognito implicitè. ¶ Obijcit ſecundò: Baptiſmus eſt idem, ac ablutio: (vt *n.* 2. notabamus) ergo definitur per ſibi ſynonymum. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Grammaticaliter, concedo: Theologicè, nego. Itaque quãvis vox *Baptiſmus* in ſua primæva ſignificatione idẽ ſignificet Græcè, quod Latinè ablutio: iam tamen extẽſione nominis *Baptiſmi* facta per Theologos ad ſignificandum totum Sacramentum Baptiſmi, deſierunt eſſe ſynonyma Baptiſmus, & ablutio.

Dubium VI.

13 Petes ſextò: an Sacramentum Baptiſmi ante mortẽ Christi D. ſit inſtitutum? Reſpõd. affirmativè. Quia Baptiſmus eſt ianua Chriſtianæ vitæ: ergo antequam Apoſtoli fuerint ordinati in Sacerdotes, atque receperint Euchariſtiã in vltima cœna iam fuerant baptizati. Patet conſequẽtia: quia ſine vrgentiſsima ratione non eſt credendũ, cum Apoſtolis hunc ordinẽ recipiendi priùs Baptiſmum, quàm aliud Sacramentum, fuiſſe mutatum. Secũdò, quia ſic colligitur ex Ioannis primo. Cùm enim concurreret populus ad Baptiſtam Baptiſmi gratia, minuens Baptiſmum ſuum, loquenſque de Chriſto D. dixit: *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Sed Chriſtus D. non baptizabat eodẽ Baptiſmo Ioannis: (alioquin Ioannes tunc potiùs exaltaret, quã minueret ſuũ Baptiſmũ) ergo baptizabat Baptiſmo à ſe inſtituto. Hanc noſtrã concluſionem tenet D. Auguſt. *tract.* 5. *in Ioannem*, *& alibi* quatenùs affirmat, Iudam Baptiſmo Chriſti D. baptizaſſe, & baptizatos ab ipſo non fore rebaptizandos: ſentit ergo Chriſtum D. ante mortem ſuam inſtituiſſe Baptiſmum. Patet cõſequentia: quia Iudas ante glorioſam Chriſti Domini reſurrectionem laqueo ſe ſuſpendit. Tenent etiam hanc ſententiam *D. Cyrillus, & Hugo de Sancto Victore: ex Scholaſticis autem Scotus in* 4. *diſtinct.* 3. *q.* 4. §. *Iſta quæſt. verſ. Neque etiam, Magiſter ſentent. D. Bonav. Ricardus, D. Thom. Sotus, Capreolus, & Adrianus quos citat, & ſequitur Vazquez, diſp.* 140. *c.* 3. *à num.* 14. *Tenent etiam Ægid. q.* 66. *art.* 2. *n.* 7. *G. Hurt. diſp.* 1. *diff.* 13. *dicens, ſic communiter docere Theologos.*

14 Sed Rupert. *lib* 4. *in Ioannem ad illa verba venit Ieſus in terram Iudæam*, *& Albertus in* 3. *d.* 3. *art.* 3. docẽt, Baptiſmi Sacramentum fuiſſe inſtitutũ poſt reſurrectionem. Quod probabile exiſtimat Canus 8. *locis cap.* 5. &

& in id maximè inclinant Leo primus epiſt. 4. cap. 5. & Chryſoſt. hom. 28. in Ioannẽ. Igitur obijcies auctoritatem horum PP. Reſp. quòd cùm PP. bipartiuntur, liberum eſt, cum his, vel illis ſentire, præſertim cum pro noſtra ſententia ſtent D. Auguſtinus, Cyrillus, & Hugo: quibus maximè favent Scriptura, & ratio Theologica: vt *num.* 13. expendebamus.

¶ Dices, quod Leo primus definivit oppoſitum. Reſpondetur negando: quia, vt notarunt Vazquez ibi *num.* 28. Gaſp. Hurtado, &c. in illa decretali loquitur Pontifex auctoritate privati Doctoris; & non definiendo auctoritate Pontificia: id enim tantùm dixit, vt Epiſcopis Siciliæ perſuaderet, ne conferrent Baptiſmum in die Epiphaniæ; ſed illum differrent vſque ad diem Reſurrectionis, & Pentecoſtes. ¶ Obijcies ſecundò: Apoſtoli poſt Reſurrectionẽ Chriſti Domini miſsi ſunt prædicare, & baptizare; tũc que eis forma Baptiſmi fuit præſcripta: vt conſtat ex Matth. vltimo: ergo tunc fuit inſtitutum hoc Sacramentum. Reſpondetur negando conſequentiam: tunc enim non fuit inſtitutum, ſed datum fuit præceptum de Baptiſmo prædicando omnibus gentibus. ¶ Dices: in nullo alio loco præſcribitur forma Baptiſmi: ergo tunc fuit inſtitutus Baptiſmus. Reſp. negando conſequentiam: ſufficit enim, quòd ante mortem Chriſti Domini baptizaverint Apoſtoli: quia non poterant præbere Baptiſmum ſine forma. ¶ Obijcies tertiò: ante Pentecoſten, vel ſaltèm ante Reſurrectionem non fuit datus Spiritus Sanctus: ergo neq; Baptiſmus fuit inſtitutus. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: viſibiliter, tranſeat: inviſibiliter, & per gratiam, nego.

Dubium VII.

15 Petes ſeptimò, quo tempore ante paſsionem Sacramentum Baptiſmi fuerit inſtitutum? Reſpondetur per aliquot concluſiones. Quare dico primo: non fuit inſtitutum, antequam Chriſtus D. baptizaretur à Ioanne. Quia Chriſtus D. non cœpit prędicare Evangelium antequam baptizaretur: ergo antequã baptizaretur, non inſtituit aliquod Sacramentum, aut inchoavit legem ſuam. Antecedens colligitur *ex Luc. 3. Act. 1.* vbi dicitur, quod Chriſtus Dominus priùs fecit, (nempè adimpletionem legis, necnon & præinſigne illud opus humilitatis recipiẽdo baptiſmũ) quàm docuit. (legem ſuam) Secundò; quia Baptiſmus Ioannis fuit diſpoſitio ad Baptiſmũ Chriſti Domini: ergo ille nõ fuit prior illo. In hoc conveniunt omnes Theologi; vt teſtantur *Suar. diſp. 19. ſect. 2. & noſter Iribarne diſput. 11. ſect. 1. §. Dico quintò.*

16 Dico ſecundò, Sacramentum Baptiſmi non fuit inſtitutũ, quan-

quando Chriſtus D. baptizatus eſt à Ioanne. Quia tunc potius gerebat perſonam pœnitentis Chriſtus Dominus, quàm Legislatoris. Præterea tunc recepit baptiſmum: quando autem inſtituit illum, ipſum contulit. ¶ Dices, quod Eccleſia canit, Chriſtum D. in Iordane noſtra crimina laviſſe: ergo quia tunc Baptiſmum inſtituit. Reſpondetur negando conſequentiam: quia Eccleſia non ſic loquitur, quia exiſtimet, tunc inſtitutum fuiſſe Baptiſmum: ſed quia tunc apparens in ſimilitudinem peccatoris tàm profundæ humilitatis exemplo noſtra crimina ſuperbiæ deſtruxit; meruit que tãto opere omnium noſtrorum criminum ablutionẽ. Hanc concluſionem defendunt Scotus *in 4. diſt. 3. q. 4. §. Iſta quæſtio verſ. Quando tamen, & Scotiſtæ, præcipuè Tartar. ibi, Fabro diſp. 10. n. 4. & Iribarne diſp. 11. ſect. 1. §. Octavò dico, vbi citat Alenſem. Ex alijs autem idem defendunt, Gab. Suar. & Ægid. quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 1. diff. 13.*

17 Dico tertiò, de hora inſtitutionis Baptiſmi nihil certũ affirmari poteſt. Quia ex Evangelio *Ioan. 3.* ſolùm conſtat, diſcipulos Chriſti D. ante eius mortem baptizaſſe; iuxta illud, quod diſcipuli Ioannis dicebant ipſi: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimoniũ perhibuiſti, ecce hic baptizat: & omnes veniunt ad eum:* & *cap. 4. n. 2.* additur: *quamquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Igitur cùm ſolùm conſtet ex Evangelio, Apoſtolos baptizaſſe ante mortem Chriſti D. & alias non fuerit inſtitutus Baptiſmus, quando Chriſtus D. fuit baptizatus, nec anteà: vt conſtat *ex n. 15. & 16.* merito concludit Scotus *ibi verſ. Neque etiam: convincitur ergo tempus inſtitutionis fuiſſe ante illud tempus, quo diſcipuli Chriſti baptizabant, licet præcisè hora inſtitutionis non legatur in Evangelio.* Ita Scotus, & præcitati Scotiſtæ cum alijs num. præcedenti relatis. ¶ Dices, fuiſſe inſtitutũ, quando Chriſtus D. dixit Nicodemo *Ioann. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Reſpond. negando: *quia non eſt veriſimile, tam neceſſarium Sacramentum in conclavi coram perſona privata inſtitui: quæ non debuit eſſe præco inſtitutionis illius:* inquit Scotus ibi *verſ. Nec etiam.* ¶ Dices 2. cum Ricardo *in 4. d. 3. art. 5. q. 1.* fuiſſe inſtitutũ Baptiſmũ, quando Apoſtoli prędicare cœperũt. Reſp. negãdo; quia Apoſtoli nõ fuerũt inſtitutores Baptiſmi, ſed miniſtri: & ideò neceſſariũ fuit, inſtitutionem huius Sacramẽti eorũ miniſteriũ antecedere: miniſter enim nõ poſt tradere Sacramentũ niſi ritus eius traditus illi ſit ab inſtitutore.

18 Sed Sacramentum Baptiſmi fuiſſe inſtitutum à Chriſto D. quando à Ioanne fuit baptizatus, defendunt Magiſter *in 4. diſt. 3. Sotus, Caietanus, Valentia & Vazquez citati à G. Hurt. diſp. 1. diſt. 13.*

13. *Immò Fabro diſp. 10. num. 3. pro hac ſententia adducit D. Thom. Suar. & Bellarm.* Pro qua contra noſtram ſecundam concluſionẽ objicitur auctoritas Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, Tertulliani, & aliorum PP. (quos adducit Vazquez *diſp. 140. cap. 6. num. 35.*) dicentium, aquas Iordanis fuiſſe ſanctificatas, quando Chriſtus D. fuit baptizatus. Reſpond. intendere, per contactum mundiſsimæ carnis Redemptoris aquas accepiſſe quoddam genus ſanctitatis, ratione cuius redditæ ſunt veneratione dignæ. (ſicut ſpinæ, & reliqua omnia, quæ tetigerunt eius carnem: & qua etiam ratione veſtes ſanctorum veneramur) Inſuper ex tunc aquæ habuerunt quaſi ius quoddam ad Baptiſmum, & ſanctificationẽ, quatenùs deſtinatæ ſunt, & ordinatæ a Chriſto D. ad materiam Baptiſmi Sacramenti. Idque tantùm voluns Ambr. & Beda dicẽtes, aquas Baptiſmo ipſo, quo Chriſtus Dominus baptizatus eſt, ius Baptiſmi induiſſe. ¶ Sed expendit Vazq. dixiſſe Tertullianũ *lib contra Iudæos cap. 8. Baptizato tamen Chriſto, id eſt, ſanctificante aquas in baptiſmate, omnis plenitudo ſpiritualium retro chariſmatum in Chriſto ceſſerunt*: ergo cœperunt nova Sacramenta tunc. Patet cõſequentia: quia ceſſarunt antiqua. Reſp. negando conſequentiam. Ad probationem dico; quòd in Baptiſmo Chriſtus D. manifeſtatus eſt, & prædicatus (per vocem Patris, & per formam columbæ) tamquã legiſlator Summus, totiuſq; prophetiæ verus adimpletor. Et propterea dicitur, quod lex, & prophetę fuerunt vſque ad Ioannem: quia omnia ſpiritualia antiquæ legis retrò ceſſerunt ob dignitatẽ Chriſti D. novę legis inſtitutoris; non tamen quia omnia tunc ceſſaverũt; aut aliquod novę legis Sacramentũ fuerit inſtitutũ.

19 Objicitur ſecundò, quod poſtquam Ioannes *Matth. 3.* dixit Chriſto D. *Ego à te debeo baptizari*, reſpondit Chriſtus D. *ſine modo*: quo indicaſſe videtur, quod ipſe ſtatim baptizaturus erat Ioannem: ergo baptizando Baptiſtam Chriſtus D. inſtituit Sacramentum Baptiſmi. Reſpondetur negãdo, quòd per illa verba *ſine modo* voluerit Chriſtus D. indicare, ſe in illa occaſione baptizaturum eſſe Ioannem: ſed ſolùm intendit declarare, pro tunc expedire, vt ipſemet ſalvator tàm eximium opus humilitatis exequeretur; & quòd poſteà in alia occaſione ipſe Ioannes recepturus erat Baptiſmũ Chriſti D. Quod ſatis adumbravit Chriſtus D. verbis illis: *Sic enim decet, nos implere omnem iuſtitiam*, nempè ego nunc exercẽdo, aut præbendo mirũ humilitatis exemplũ: & tu in alio tempore recipiendo meũ Baptiſmum.

20 Ex quibus conſtat, Baptiſmum Chriſti Domini fuiſſe inſtitutum hora, immò & die atque menſe nobis incerto; ſolùmque poſſe ſciri conjecturaliter in hac

noſtra ſententia fuiſſe inſtitutum no poſt multos menſes à die, quo Chriſtus Dominus fuit baptizatus à Ioanne: quia non poſt multos menſes diſcipuli Chriſti Domini baptizabant. (vt deducitur *ex Ioan. cap. 3. & 4.*) ¶ Dices, illos baptizaſſe baptiſmo Ioannis. Reſpondetur negando: non enim conquererentur diſcipuli Ioannis apud ſuum magiſtrum; (vt refertur *Ioannis 3.* à verbis illis: *Rabbi ecce, qui erat tecum, &c.* quæ verba integrè tranſcripſimus *num. 17.*) ſi diſcipuli Chriſti Domini baptizarent baptiſmo Ioannis: cùm hoc eſſet Ioanni maximè honorificum.

Dvbivm VIII.

21 PEtes octavò, an Chriſtus Dominus immediatè per ſe ipſum baptizaverit aliquem? Reſpondetur affirmativè. Quia *Ioan.* 3. dicitur: *Poſt hæc venit Ieſus in Iudæam, & diſcipuli eius, & demorabatur cum eis, & baptizabat.* Secundò, quia congruum videtur, quòd Chriſtus Dominus inſtituens hoc Sacramentum alicui ſaltèm illud conferret. Confirmatur: quia hoc Sacramentum digniùs adminiſtratur à baptizato, quàm à non baptizato: ergo decens erat, vt Chriſtus Domin⁹ aliquem ſaltèm baptizaret, à quo alij poſteà baptizarentur. Quare Euthimius in illud *Ioan. 3. poſt hæc venit Ieſus, &c.* affirmat, quàm plures PP. antiquos Apoſtolorũ temporibus proximos tradidiſſe, Chriſtum Dominum immediatè baptizaſſe Beatiſsimam Virginẽ, & Petrum Eccleſiæ Caput: & deinde Petrum baptizaſſe cæteros Apoſtolos. ¶ Sed Rupertus, & alij *num.* 14. relati (qui affirmant, baptiſmũ fuiſſe inſtitutũ poſt mortem, & Reſurrectionẽ Chriſti Domini) dicunt, ipſum Redemptorem nullum immediatè baptizaſſe. Si autem aliquãdo dicitur baptizaſſe, intelligendum eſt (inquiunt) auctoritativè: ſicut iudex dicitur ſuſpendere reum, &c. Et obijciunt illud *Ioannis 4. quamquam Ieſus non baptizaret; ſed diſcipuli eius.* Reſpondetur eſſe intelligendum de frequẽti Baptiſmo. Itaque Chriſtus Dominus non vtebatur frequenter munere baptizandi; ſed prædicatione occupatus (quam non congruebat exercere Apoſtolos in præſentia Chriſti Domini) baptizabat per diſcipulos pluſquàm Ioannes.

Dvbivm IX.

22 PEtes nonò, an inſtitutio Baptiſmi evacuaverit circumciſsionem? Reſpondetur affirmativè. Quia *in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Secundò, quia promulgato Baptiſmo, & lege gratiæ, ceſſavit lex antiqua: ergo & circumciſsio; quæ erat quid cæremoniale illius legis. In hoc nulla

nulla eſt controverſia: antiqua ſatis, & graviſsima verſatur inter PP. & AA. de tempore, in quo ita ceſſavit, vt cœperit eſſe mortifera. Quia tamen controverſię illius deciſio altiora petit principia ex tractatu de legibus ſumēda: ideo reſolutionem huius in prædicto tractatu *c.* 12. dabo, dum de ceſſatione legis Moyſis, aut legalium ſermonem inſtituam. Interim videantur Scotus *in 4. diſt. 3. quæſt. 4. à §. De ſecundo principali, & Scotiſtæ ibi, præſertim Irribarne diſp. 2. ſect. 2. & Fabro tota diſput.* 10. Ex quibus duo ſunt neceſſariò prælibanda, aut ſupponenda. Primum eſt, Baptiſmū ab inſtanti ſuæ promulgationis ſufficiētis evacuaſſe neceſsitatem circumciſsionis, nō tamen illam reddidiſſe inutilem. Itaque toto tempore illo, in quo baptizabant Apoſtoli, vivente Chriſto D. & etiam poſt mortem & Reſurrectionem eius, vſque ad diem Pentecoſtes (in quo lex Evangelica fuit ſolemniter promulgata in Hieruſalem) non fuit neceſſaria circumciſio, ſed ſimul currebant Baptiſmus, & circumciſio: & ideo Iudæo ſufficienter chatechizato de inſtitutione Baptiſmi, erat liberum vti Baptiſmo, aut circumciſione: atque adeò nec iſta, nec ille erat ſimpliciter neceſſarius: ſed vno, aut alterum horum Sacramentorum adhibito, delebatur originale per infuſionē gratiæ. Et propter hoc dicūt Scotiſtæ cum Doctore, Baptiſmum toto hoc tempore fuiſſe ſub conſilio, nempè quia, etſi iam erat inſtitutus; tamen non vrgebat præceptum recipiendi illum. Alterū, quod ſuppono, eſt, quòd, facta ſolemni promulgatione legis Evangelicæ in die Pētecoſtes, Baptiſmus ita evacuavit circumciſionē, vt illam reddiderit inutilem: & ideo ex tunc Baptiſmus cœpit eſſe ſub præcepto. Sed de his fusè agam (Deo dante) *in Alfonſina in prædicto tract. de legibus.*

CAP. II.

De materia Baptiſmi.

DVas materias diſtinguunt in Baptiſmo: alia eſt proxima, nempè ipſa ablutio corporis: alia eſt remota, ſcilicèt aqua, qua fit ablutio. De vtraque autem eſt in hoc capite agendum.

De materia remota Baptiſmi.

DVBIVM II.

1 PEtes primò, quæ ſit materia remota Baptiſmi? Reſpondetur, ſic Tridentinum *ſeſ. 7. can.* 2. definire: *Siquis dixerit, aquam veram, & naturalem nō eſſe de neceſsitate Baptiſmi, &c. anathema ſit.* Quod & definierat Eugenius Quartus: & conſtat ex *Ioan. 3.* verbis illis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire Regnū Dei.* Ra-

Ratio autem à priori huius eſt divina voluntas ſic decernens, & nobis manifeſtata per Scripturā, & Eccleſiam in præcitatis locis. Ratio vero congruētiæ eſt, quòd ſicut aqua pura (id eſt naturali, aut elementali) ſordes materiales mundantur: ſic in Baptiſmo (qui eſt Sacramentum regenerationis) per externam corporis ablutionem ſignificatur purificatio, ſeu mundatio animæ à peccatorum ſordibus.

Dubium II.

2 Petes ſecundò, an aqua, quæ eſt materia Baptiſmi, poſsit admittere aliquā mixtionem? Reſpond. ſub diſtinctione: ſi enim talis ſit admixtio, vt aqua ſubſtantialiter alteretur, aut corrumpatur, illam admittere nō poteſt: quia tunc nō remanet vera aqua. Si tamen variatio per talem mixtionē inducta ſolùm ſit accidentalis, aqua illam admittere poteſt: quia remanet vera aqua. Hùc ſpectant, quæ diximus *in tract. de Sacram. in genere cap. 1. n. 48. & 49.* Et ita docet Scotus *in 4. diſt. 3. q. 3. §. Quod autem à verſ. Quòd additur*, & cōmuniſsimè AA. ¶ Natabamus autem *in dicto tractatu num.* 49. non ſolum attendendum eſſe entitativam, aut phyſicam variationem ſpecificam, ſed etiam moralem, aut vſualem. Vnde cōtingere poteſt, (dicebamus ibi) aliquā materiam eſſe phyſicè, ſeu entitativè eiuſdem ſpeciei cum illa, in quā validè conficitur aliquod Sacramentum; & tamen eſſe ineptam ad idem Sacramentum conficiēdum, ſeu quoàd hoc differre ſubſtantialiter, ſeu ſpecificè moraliter, aut vſualiter: v.g. Euchariſtia nequit confici in maſſa: & fortè maſſa non differt phyſicè ſpecificè à pane: differt tamen ſpecificè, ſeu eſſentialiter moraliter, ſeu quantum ad vſum manducandi. Quæ doctrina omnino eſt in præſenti applicanda: ſicque intelligo Scotū ibi ſæpè cōculcantē, quod attendendum eſt, an aqua Baptiſmo deſerviens maneat, vel non maneat intra eandē ſpeciē aquæ veræ: tunc (inquam) loquitur de ſpecie morali, aut vſuali, & non ſolùm de phyſica, aut entitativa; (Pro quo expendo, quod in *verſ. Quod additur* ſic loquitur. *Et prima quidē impuritas non prohibet, dum tamen non excludat ab aqua, quin ſit conveniens ad lavandū, vel abluendum*) quāvis ibi non curſim de phyſica entitate faciat ſermonem: nec immeritò: regulariter enim facta entitativa ſpecifica mutatione alicuius rei, fit etiam vſualis. Vnde concludendū eſt, vt aqua ſit materia Baptiſmi, duo requiri, nempè & quòd entitativè, & quod vſualiter ſit ſubſtātialiter immutata. Quare quilibet iſtorum deficiēte, tranſit aqua ad materiam ineptam Baptiſmi.

3 Vnde infertur, aquam calidam, vel frigidam; lexivium, aquam luctoſam, & quę defluit ex gelu

gelu, & alia huiuſmodi eſſe materiam Baptiſmi: quia eſt vera aqua ſubſtantialiter non ſolùm phyſicè, aut entitativè, ſed etiam vſualiter, ſeu ad vſum lavandi.

¶ A contrario autem non ſunt materia Baptiſmi humores naturaliter reſoluti per digeſtionem, vt ſunt ſaliva, vrina, & huiuſmodi: quia nõ ſunt aqua phyſicè, neque vſualiter. ¶ Aqua autem imbibita farinæ in paſta, vel in ſpongia, dum ibi eſt, vel imbibita in ſpiſſo luto nõ eſt materia Baptiſmi: quia etſi entitativè, aut phyſicè ſit vera aqua naturalis, aut elementalis, non tamẽ vſualiter, ſeu quoàd vſum lavãdi: etſi enim contingat carnẽ; tamen talis cõtactus non eſt lotio, ſed cõtactus aquæ fluendæ coniung[illegible] cuti, aut corpori. Pr[illegible] eamdẽ rationem glac[illegible], nix, & grando non ſunt materia Baptiſmi.

¶ [illegible]quores autem herbarum, & [illegible]arum rerum, quæ per diſtillationem extrahuntur, non ſunt materia Baptiſmi. Quia non ſunt aqua naturalis ſpecificè; vel ſaltèm quia non ſunt aqua vſualis ad lavandum.

4 Aquam decoctionis carnium, (brodiũ vocant) & farinatam, & huiuſmodi; atque cerviſiã, & huiuſmodi notat Scotus eſſe materiam dubiã Baptiſmi. Quia nõ eſt certũ, ibi eſſe ſubſtantialiter alteratam ſpeciẽ aquæ. Quod de ſubſtãtialitate phyſica, aut entitativa intelligo. Et ideò exiſtimò, quòd quãvis ex hoc capite ſit materia dubia: ex alio tamẽ capite eſt mihi ferè certum prædictorũ nullũ eſſe materiam Baptiſmi, nen pè quia nõ ſunt aqua vſualis ad hunc finem lavandi.

5 Ex dictis repello diverſos errores hæreticorum conſpirantium partim contra Baptiſmum ipſum, partim contra eius materiã. Igitur hęretici quidã Gnoſtici dicti aſſerebant, materiã huius Sacramenti eſſe aquã oleo mixtam; qua non lavabant, ſed vngebant capita baptizãdorũ. Quẽ errorẽ ſequuti ſunt Manichæi. ¶ Iacobitæ autem dicebant, [illegible] Baptiſmi eſſe, nõ a[illegible], ſed ignem. Quare [illegible]enti ferro characterẽ [illegible] imponebant baptizatis in [illegible]otibus eas igne inurẽdo. ¶ Hæretici Flagellantes dicti putabant, materiã Baptiſmi eſſe ſanguinem flagellis extortũ. ¶ Lutherus demũ exiſtimavit, quãcumq; rem lavantẽ (ſivè vinũ, ſivè oleum, ſivè lac, &c.) eſſe materiã Baptiſmi. ¶ Tamen cõtra hos omnes errores militant verba Trident. *n.* 1. allata; necnon & quæ hucuſq; diximus de materia Baptiſmi. (De quo videndi ſunt RR. præſertim *Suar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *& Vazq. diſp.* 141. *c.* 1.) ¶ Sed Iacobitę obijciebant illud *Matth.* 3. quod dixit Ioannes de Baptiſmo Chriſti D. ſeu de ipſomet Redẽptore: *Ipſe baptizabit vos in Spiritu S. & igne*: ergo (inferebãt) materia Baptiſmi non eſt aqua ſed ignis. Reſpond. negando cõſequentiã: quia per vtrãq; particulã (*in Spiritu S.*

&

& igne) ſignificatur effectus Baptiſmi, (vt interpretatur Chryſoſtomus *hom.* 11. *in Matthæum*; vt alias Patrũ interpretationes modo omittamus) qui inſtar ignis cor accendit; & peccatorum rubiginem conſumit. Quare ly *ignis* ſumendum eſt metaphoricè.

De materia proxima Baptiſmi.

Dvbivm III.

6 PEtes tertiò, in quo conſiſtat materia proxima Bapti[illegible]? Reſpondetur, conſiſtere in ablutio[illegible]. Quia id exprimit definitio Baptiſm[illegible] [illegible] ſic Baptiſmus definiatur: *eſt ablu[illegible] exterior, &c.* vel ſic: *eſt Sacrament[illegible] ablutionis, &c.* vt latè diximus *cap.* 1. *à num.* 3. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. §. *& verſ. Hic dicendum*, *D. Thom.* 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 4. *& omnes Scholaſtici.*

Dvbivm IV.

7 PEtes quartò, an proxima materia Baptiſmi ſit ablutio, quatenùs paſsiva? Reſpondetur affirmativè. Sed antequam probationem exhibeam, ſuppono ex convenientia omnium, ablutionem, quæ eſt materia Baptiſmi, dividi in activam, & paſſivam. Vocãt activam ipſam ablutionem, vt factam à miniſtro, aut ad ipſum relatam, ſeu quatenùs ipſum denominat baptizantem, ſeu abluentem. Denominat inquam, materialiter: formalis enim denominatio eſt à relatione, quæ dicitur actio; ſicut denominatio formalis baptizati eſt à relatione extrinſecùs adveniẽte, quę dicitur paſsio; ſeu pertinet ad prædicamentum paſsionis. Paſſivam autẽ vocant ipſammet ablutionem, vt receptam in corpore baptizati, aut ad ipſum relatã, ſeu quatenùs illum, in quo recipitur, denominat baptizatum, ſeu ablutum. Quo ſuppoſito, ſic probo, quod ablutio paſsiva, ſeu quatenùs paſsiva, eſt proxima materia Baptiſmi: multiplicatis ablutionibus activis, non multiplicantur Baptiſmi, quando recipiens eſt vnus: benè tamen multiplicãtur Baptiſmata, quando ſunt plu[illegible] recipientes, etſi ablutio activa ſit vna, [illegible] etſi miniſter vnica, & eadem actio[illegible] plures aſpergat: ergo ablutio paſsiva [illegible] proxima materia Baptiſmi. Secun[illegible] quia in hoc Sacramento ſignificat[illegible] mundities, ſeu ablutio interior animæ: ſed hæc aptiùs ſignificatur in ablutione paſsiva quàm in activa: ergo paſsiva eſt proxima materia Baptiſmi. Minor conſtat: non enim inſtitutus eſt Baptiſmus ad mundandum miniſtrũ Baptiſmi, ſed eum, qui Sacramentum recepit. Ita *Scotus diſt.* 6. *quæſt.* 2. §. *Reſpondeo verſ. Ex iſto, & Scotiſtæ* (dum tractant, an idem Baptiſmus poſsit conferri à duobus? & affirmativè reſpondent abſolutè: omitto Irribarne exiſtimantem de hac re Scotum eſſe

eſſe problematicum) *Sotus in 4. diſt. 3. art. 1. §. Ex quo ſit, Suarez diſp. 20. ſect. 2 §. Atque hunc. Ex parte tenet Coninch quæſt. 66. num. 31. citans Valentiam & alios apud ipſum.*

8 Dices, Scotum *diſt. 3. q. 3. §. Ex dicendum*, probat, actionem ablutivã pertinere ad Sacramentum: ergo exiſtimat, ablutionem activam eſſe proximam materiã Baptiſmi. Reſpond. negando cõſequentiam: Scotus enim ibi ſolum ſtatuit, quod certum eſt apud omnes, nempè ablutionem, ſeu actionem ablutivam eſſe omninò neceſſariam ad conſiſtentiam Baptiſmi, tamquam eius materiam proximam: nullo autem modo determinat ibi, immo neq; quærit, an habeat rationem materiæ proximæ, quatenus activa? an quatenùs paſsiva? ¶ Inſtabis, quod Scotus ibi dicit, *nam ſolus contactus corporis ab aqua, quæ eſt quaſi ablutio formaliter, non eſt inſtituta, tamquam ſignum, vel pars ſigni; ſed ipſa lotio effectivè facta ab aliquo abluente*: ergo expreſsè excludit ablutionem paſsivam, & adſtruit activam. Reſp. negando conſequentiã: intendebat namq; (vt bene notat Vazq. *diſp. 142. n. 13.*) ad baptiſmum ex ſua inſtitutione, nõ ſufficere contactũ aquę ad corpus; (qui contactus poteſt dici lotio quaſi formalis) ſed etiã requiri lotionem effectivã, id eſt, à miniſtro factam: alias non erit vera forma: *Ego te baptizo*. In illa autem quæſtione non diſputat, an proxima materia Baptiſmi conſiſtat in ablutione effectiva, ſeu quatenùs provenit à miniſtro? an in recepta in baptizato? ſed hanc diſputationem, & eius reſolutionem diſtulit ad *diſt. 6. q. 1. §.* vbi apertè tenet noſtrã concluſionẽ, immò & illã probat eiſdẽ rationibus, quibus nos illam probamus.

9 Ex quibus conſtat, fundamẽtum relationis ſigni, quam Sacramentum Baptiſmi dicit ad gratiam eſſe ablutionem, non quatenùs activam, ſeu quatenus reſpicit miniſtrum; ſed quatenus paſſivam, aut quatenùs reſpicit baptizatum. Quod verum, & tenendum eſt, ſive defendamus probabilem illam ſententiam, quæ affirmat, relationem ſigni ad gratiã in Sacramento baptiſmi non ſolùm fundari in ablutione, ſed etiam in verbis formæ: (quã probabiliter propugnavimus *cap. 1. à num. 7.*) ſive teneamus ſententiã illam, quæ affirmat, prædictam relationem ſigni ſolũ fundari in ablutione; verba autem eſſe connotatum, aut circumſtantiam talis ablutionis: quam ſententiam etiam tamquam probabilem defendebamus *ibi à n. 11.*

10 Sed proximam materiam Baptiſmi eſſe ablutionem activã defendunt multi. Aliqui autem alij dicunt, ablutionem tam vt activam, quàm vt paſsivam eſſe materiam illius. Ita *Vazq. diſput. 141. cap. 2. n. 14. Ægidius Ochagavia, & Raconis, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſput. 1. diff. 3.* Pro

quibus ſententijs objicitur: forma Baptiſmi primario ſignificat actionem, ſeu ablutionem, vt actiuam: ergo in ablutione, vt actiua conſiſtit proxima materia. Antecedens conſtat expendendo ly *ego* & ly *baptizo* poſita in forma. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, vtrumque æque ſignificari in verbis formæ: etſi enim ly *ego* & ly *baptizo* denotent ablutionẽ actiuam: ly *te* denotat paſsiuam. Imme magis videtur attendenda eſſe paſsiuam: (ex rigore formæ cum forma Græcorum ſit ſufficiens; & tamen in illa non exprimatur actio miniſtri, ſeu ablutio, vt actiua; ſed vt paſsiua: hæc eſt enim illorum forma. *Baptizetur ſeruus Chriſti.*

11 Objicies ſecundo, actio miniſtri baptizantis eſt motus: ergo ſubiectatur in mobili, ſeu in re, quæ mouetur: etenim actio, & paſsio ſubiectantur in mobili, ex communi Philoſophorum axiomate: ergo in aqua: quæ ſola mouetur, & non corpus: ergo materia proxima huius Sacramenti nõ eſt illud eſſe ablutum corporis, ſed ablutio actiua in aqua ſubiectata. Reſpondetur negando vltimam conſequentiam: nam omnia, quæ pro antecedenti ponuntur, procedunt de motu effuſionis aquæ; non autem de ipſa lotione, ſeu ablutione quaſi formali. Itaque aqua dicitur mota per effuſionem, ſiue extrinſecè, ubi in ea ſubiectatur motus infundentis eam: (de quo motu procedunt omnia, quæ pro antecedenti ponuntur) qui motus eſt prærequiſitus ad lotionem, ſeu ablutionem quaſi formalem, vt ab alio prouenientem: non tamen in eo formaliter, & præciſè conſiderato eſt ratio ablutionis: etenim eodem modo aqua diceretur mota, ſeu effuſa, ab alio, etiamſi in nullo ſubiecto reciperetur. Conſiſtit ergo ablutio Sacramentalis in hoc, quod aqua effuſa à miniſtro tangat corpus baptizati, ſeu illud lauet: in qua lotione tur datur relatio ſignificandi gratiam lauantem animam à peccatorum rubigine. Huic ſpectat illud Auguſtini tract. 80. *in Ioannem. Quæ eſt iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat.*

12 Aduerto tamen, antequam hinc diſcedam, quod quando dico, ablutionem Sacramentalem conſiſtere in hoc, quod aqua effuſa à miniſtro tangat corpus baptizati; loquor Theologicè. Si enim metaphyſicè loquamur, prædicta ablutio ſolùm materialiter denominat baptizatum, ſeu ablutum illum, qui recepit baptiſmum: formaliter enim denominatur baptizatus, ſeu ablutus per quandam relationem extrinſecus aduenientem receptam in eodem baptizato, quæ dicitur paſsio, & ſpectat ad ſextum prædicamentum. Sicut miniſter etiam extrinſecè denominatur abluens, ſeu baptizans per prædictam ablutionem; formaliter autem talis deno-

denominatur per quamdam relationem extrinſecus advenientẽ tranſmutantis ad tranſmutatũ, quæ dicitur actio, & ſpectat ad quintum prædicamentum. Quod totum patet exemplo, illius qui movet ignem, v. g. a quo lignum tranſmutatur per calorem: motus enim localis ſubiectatur in igne; ſed non ex hoc præciſè dicitur calor ignis formaliter calefacere lignum: ſed ex eo quod calor ignis vnitur cum ligno: qua vnione poſita, ponitur in ligno quædam relatio extrinſecus advenieas ſpectans ad ſextum prædicamentum, per quam lignum dicitur formaliter tranſmutatum: ſicut calor ignis dicitur formaliter tranſmutans (in genere cauſæ formalis: qui enim applicuit ignem, aut calorem, ſolùm in genere cauſæ efficientis dicitur tranſmutans) per relationem extrinſecùs advenientem pertinentem ad prædicamentũ actionis; quod eſt quintum prædicamentum.

15 Ex dictis conſtat, minùs propriè locutum fuiſſe Leldeſmã dicentem corpus, quod lavatur, eſſe materiam proximam Baptiſmi: etenim etſi intendat idem, quod nos dicimus: propriè tamen loquendo, corpus non eſt materia proxima, ſed ablutio paſsiva in corpore recepta proveniens ab ablutione activa.

Dubium V.

14 Petes quintò, qualis debeat eſſe ablutio Baptiſmalis? Reſpondetur, quamcumque ſufficere; ſive fiat per aſperſionem; (vt quando quis aſpergitur aqua) ſive per immerſionem: vt quando quis immergitur: ſicut contingit in balneis. Quod approbat vſus Eccleſiæ; in quà baptiſmum fuiſſe aliquando factum per immerſionem; aliquando per aſperſionem, nequit dubitari. Nec aliter quã per immerſionẽ Apoſtolos baptizaſſe in vno die tot millia hominũ, perſuaderi poteſt. Et ratio concluſionis eſt, quod tã per immerſionem, quam per aſperſionẽ fit ablutio, quæ eſt proxima materia huius Sacramenti.

¶ Nec obſtat, Baptiſmum eſſe figurã mortis, & ſepulturæ Chriſti D. iuxta illud *ad Rom. 6. Conſepulti ſumus cum illo* (ſcilicet Chriſto D.) *per baptiſmum in mortem.* Nam (vt optimè notavit D. Th. *3. p. q. 66. art. 7. ad 1.*) ſive ablutio fiat per immerſionem, ſive aſperſionem, mors, & ſepulchrum figuratur: nã illa pars quę abluitur, quaſi tegitur, & ſepelitur aquis.

15 Ex concluſione infero primò, trinam immerſionem non eſſe de neceſsitate Baptiſmi. Quia quælibet ablutio ſufficit.

¶ Objicies multa dicta conciliorũ, & PP. quæ videntur inſinuare neceſsitatem trinæ immerſionis (vt videri poteſt apud RR,

præſertim apud Vazq. *diſp.* 145. *cap.* 2. *à n.* 2.) Reſpondetur, ſolum inſinuare neceſsitatem præcepti. In Eccleſia enim pro diverſitate temporum, & vt hæreticorum placitis occurreretur, iuſtum fuit aliquando celebrari Baptiſmata triplici immerſione: vt vberior confeſsio Trinitatis perſonarum fieret in Baptiſmo contra quoſdam hæreticos, qui dixerunt Trinitatem perſonarum non pertinere ad formam Baptiſmi. Aliquando autem Concilium IIII. Toletanum *cap.* 5. iuſsit, Baptiſmum deinceps vnica immerſione fieri ad extinguendum ſchiſmata, quæ in Hiſpania ex diverſitate opinionum circa trinam immerſionem oriebantur. Itaq; concilia, & PP. neceſsitatem præcepti, non autē materiæ innuunt. Quapropter D. Gregor. *lib. epiſtolarum epiſt.* 41 dicit: *reprehenſibile eſſe, aſſerere infantem in Baptiſmate trina immerſione baptizandum eſſe.*

16 Infertur ſecundò, validū, & ſufficientem Baptiſmum recipere puerum, quem cum diſpendio vitæ eijcit miniſter in puteū, vel flumen. (licèt in hoc graviter peccaverit) Quia tunc eſt vera ablutio a miniſtro facta, & in puero recepta. Ita *Vazq. Suar. Valentia & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurtur. diſp. 1. diff.* 5. Et innuit Scotus *diſt. 5. quæſt.* 3. quatenùs affirmat, in dicto caſu puerum nullo modo eſſe proijciendum in puteum: (in quo omnes conveniunt) & ſubdit pro ratione: *quia peccabit mortaliter occidendo; & quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in ſe ipſo, quàm quærere ſalutē proximi: quia ordinata charitas magis eſt ad ſe ipſum.* Expendo verba illa, (*quàm quærere ſalutem proximi*) quibus ſatis innuit Scotus, puerum per illam proiectionem conſequi ſalutem animæ medio valido Baptiſmo. Expendo etiam, Scotum ſtatim proponere ſententiam dicentium, talem Baptiſmum non valere; eo quod non eſt ordinatus ad ſalutem. Quod Scotus non approbat, aut reprobat. Quare benè notat Cavellus in Scholio illius quæſtionis, Scotū innuere, quod valeret talis Baptiſmus; vel ſaltèm, dubitat de hoc. Et ideò quando *in diſt. 4. q. 3. §. Ad quæſtionem dico verſ. Ex hoc ſequitur* expreſsè dicit: *ſed proiectus de ponte non:* (manet baptizatus) *quia hoc non eſt ad vitam ordinatum, vel lotionem, ſed ad mortem:* non loquitur ex propria ſententia, ſed ex ſententia aliorum: quam nec reprobat, nec approbat: & meritò, quia id tunc non diſputabat: ſed ſolùm, an puer exiſtens in vtero matris poſsit validè baptizari? Nec credendum eſt, Scotum rem aliàs tunc temporis valdè cōtroverſam (nec adhuc hac noſtra tempeſtate ab omnibus receptam) ita curſim, & breviter reſolvere ſine eo, quod contra opinionem ſuam aliquod afferret argumentum.

17 Sed in tali caſu puerum non recipere verum Baptiſmum defendunt Scotus *diſt. 3. quæſt. unica art. 8. Palud. Marſilius, & Silveſter citati à prædicto Gaſpare Hurt.* Immo & citat Scotum *d. 5. quæſt. 3.* In numero tamen: maiori enim iure poterat eum citare *diſt. 4. quæſt. 3.* Tamen quid utrobique velit Scotus conſtat ex dictis. ¶ Sed obijciunt: quod illa ſubmerſio non eſt ablutio viſualis: ergo nō eſt materia Baptiſmi. Reſpondetur negando antecedens: eſt enim vera, & propria ablutio. Verum tamen eſt, quod communiter rem, quam abluimus, ſubmergimus animo illam educendi ex aquis, ſeu illam emergendi: hoc tamen ad veram ablutionem non requiritur: ſed emergitur res illa, ſeu ex aquis educitur, ne ſubmerſa pereat.

¶ Objicies ſecundo, Baptiſmū fuiſſe inſtitutum non ad mortem corporalem, ſed ad vitam ſpiritus: ergo Baptiſmus, qui ordinatur ad mortem, (qualiter ordinatur Baptiſmus illius qui è ponte projicitur in flumen) non eſt verus Baptiſmus. Reſp. negando conſequentiam: quia Chriſtus D. inſtituit in materia proxima Baptiſmi quamcumq; veram ablutionē; ſive è per ea [illegible] deſtinatur, & ægrotet (per accidens) baptizandus; ſive non [illegible], quod quavis Baptiſmus ordinatus [illegible] per ſe ad vitā corporis, poteſt in eo ex accidenti adjungi mors corporalis: ut patet in cibo, qui ordinatur per ſe ad conſervandū vitā; & tamen eā aliquando (per accidens) deſtruit. ¶ Obi. tertio, quod per ſubmerſionem, ſeu per Baptiſmū configuramur Chriſto D. mortuo, ſepulto, & reſurgenti: ut conſtat *ex ad Rom.* 6. ſed per Baptiſmum in noſtro caſu non configuramur Chriſto D. reſurgenti: cum non educatur ex aquis: ergo talis Baptiſmus eſt invalidus. Reſpond. negando minorē loquendo de Baptiſmo præciſe ſumpto: & concedēdo de illius effectu, ſeu de Baptiſmo, quatenus involvit ſuum effectum: per gratiam enim ſanctificantem morimur, & ſepelimur peccato, & reſurgimus, ſeu regeneramur Deo. In quo ſenſu loquitur Paulus, & explicandi ſunt P.P. qui ſic loquuntur.

18 Obſervandum eſt, quòd quamvis verum, & ab omnibus ſit receptum, eſſe illicitum proijcere puerum in puteum, vel flumen Baptiſmi gratia. Quia hoc eſſet occidere innocentē directè: directa autem innocentis occiſio nequit à malitia excuſari. Tamē Ochagavia n. 7. exiſtimat, quod, ſi baptizādus iam, iam animā agat, licitum eſt, illum Baptizare prædicto modo. Et licet prædictus Hurtado id non approbet, illud tamen paulo inferius concedere videtur dum aſſerit, quod, ſi baptizandus adeo infirmus ſit, ut exiguam aquæ aſperſionem ferre non poſſit abſque periculo vitæ, (quod moraliter accidere nequit,) baptizādus eſt ne moriatur

abſque Baptiſmo: quia acceleratio illa mortis hominis aliàs morituri adeo exigua, & inſenſibilis eſt, & fit modo ita humano, vt ob ſalutem æternam non ſit contra rationem. Igitur videtur prædictum Hurtado concedere in hoc caſu, quod in alio ſimili impugnaverat contra Ochogaviam. Sed, quidquid ſit de hoc; ego vtrumque exiſtimo verum. Et ideo propugno, non eſſe illicitum applicare baptiſmum etiam cum evidenti periculo mortis ei, qui iam iam eſt moriturus, quando aliter moriturus eſt ſine Baptiſmo. Quia ſalus ſpiritualis, & conſequenter vita æterna, quam baptizandus acquirit per Baptiſmũ præferenda eſt (ſecundùm rectam rationem) exiguo ſpatio vitæ corporalis, quo ille ſine Baptiſmo ſupervixiſſet. Immo addo, ex charitate teneri miniſtrum ad illius Baptiſmi applicationem; alias graviter peccabit. Quia ſemel ſtatuto, non eſſe illicitum, cum talibus circumſtantijs, vel puerum iam iam moriturum proijcere in puteum; vel baptizare alio modo cum evidenti periculo mortis; tenetur miniſter, (& defectu illius quilibet alius) Baptiſmum applicare: alias contra charitatem peccabit: quinimo ſi fuerit Paſtor baptizandi contra iuſtitiam ſecundùm multos.

Dubium VI.

19 Peres ſextò, quãta debeat eſſe ablutio ex parte corporis, vt exiſtat verus Baptiſmus? Reſpondetur quamlibet ſufficere. (Suppono, aquam immediatè attingere partem aliquam corporis baptizati: alias non dicetur ablui. Et ideo conveniunt AA. non ſufficere, quod aqua attingat veſtes baptizati, aut vterum matris includentem puerum.) Quia quacumque parte hominis aqua attacta, verè homo dicitur ablutionem Sacramentalem, aut aſperſionem recepiſſe. Secundo, quia in quacumque minima parte hominis reſidet tota anima rationalis: ergo ablutio illa ſufficit ad ſignificandum ablutionem, ſeu munditiam animæ: etenim in quacumque minima parte ſalvatur ratio ablutionis. Hanc Scoti rationem cõtemnit Vazquez. Sed inaniter eam impugnat: vt legenti patebit. Prædictam concluſionem defendunt Scotus *diſt. 4. quæſt. 3 §. Ad quartum verſ. Si ſecundo modo, D. Thom. Durandus Palud. & alij, quos citat, & ſequitur Vazquez diſputatione 145. cap. 4. à num. 27. Quibus adde Ochogaviam* [illegible] *4. & Gaſpar Hurtad. diſp. 1. diff. 10.*

20 Sed oppoſitum defendũt Suar. *diſp. 20. ſect. 2. Valentia, & Sotus citati à prædicto Hurtad.* & obijciunt: homo non dicitur ablutus per hoc ſolum, quod ſecun

dum

ſùm minimam eius partem ſit albus: ergo neque dicetur baptizatus, ſi ſolùm in minima parte abluatur. Antecedēs patet in Æthiope, qui eſt albus ſecundum dentes: & tamen non dicitur abſolutè albus. Reſpondetur negando conſequentiam: quia albedo eſt ex illis accidentibus, quæ dimanant à ſubiecto, aut illi naturaliter conveniunt; ablutio autem eſt ex illis accidentibus, quæ ab extrinſeco conveniunt ſubiecto. Inter quæ accidentia eſt nota differentia, quod priora denominant ſubiectum, ſecundum illam partem, in qua ſunt: poſteriora vero ſuam denominationem tribuunt abſolute, licèt ſolùm in aliqua parte exiſtant. Et ideo abſolute dicitur homo vulneratus, etiam ſi ſolùm in aliqua parte corporis vulnus ſuſtineat. ¶ Reſpondetur ſecundò negando conſequentiam: quia baptizatio non ſupponit pro ablutione totius corporis, aut maioris partis illius; (ex Theologorum convenientia) ſicut ſupponit dealbatio, ſeu album eſſe; ſed pro ablutione ſufficiente ad ſignificandum munditiam animæ. Nos autem dicimus, ſufficere ablutionem factam in quacumque minima parte: cum ibi reperiatur, & vera ablutio, & tota anima, vel ſaltem ſit vera pars hominis.

DVBIVM VII.

21 PEtes 7. an ad valorē Baptiſmi ſufficiat quæcumque quantitas aquæ, quàmuis minima, vt vna gutta: Reſp. affirmatiuè. Quia ſufficit, vt verificetur, miniſtrū immediatè per illam attingere corpus, ſeu illud Sacramentaliter abluere: etenim Sacramentalis ablutio nihil aliud eſt, quam immediata receptio aquæ in corpore baptizati à miniſtro facta. *Ita Ochogavia, & Ioan. quos citat, & ſequitur G. Hurt. citatus n. 19. Itē Paulus Comitolus, & Filliuc. quos citat, & ſequuntur Dian. 3. p. tract. 4. Reſ. 5 & eius Compendiator Noclin. e verbo Baptiſmi materia n. 20. Quib⁹ ipſi Dian. 5. p. tract. 3. Reſ. 5 addit Maratiū, Panormit. & Innoc. IIII.* ¶ Sed oppoſitū defendunt *Scot. & Suar. citati à prædicto Hurt. Quibus prædictus Diana addit Granadum, Gamachæum, Muſcorſum, Reginaldū, & Henriquē.* Et obijciunt, quod tinct⁹ aqua in tā minima quātitate non dicitur ablutus. Reſp. negādo de ablutione Sacramentali: ad quam ſolùm requiritur immediata receptio, aut attactio aquæ in corpore baptizati facta à miniſtro. Nec obſtat, quòd in ablutione vſuali maior aquæ quātitas requiratur, vt quis dicatur lotus, ſeu ablutus: nā etiā in vſuali loquutione, vt quis dicatur ablutus, requiritur quod per ablutionem liberatus fuerit à ſordibus corporis: quod tamē ad lotionem, aut ablutionem Sacramentalem non requiritur.

DVBIVM VIII.

22 PEtes 8 quæ ſint ea, quæ ex duplici dubio præcedēti inferūtur? Reſpōd. inferri primo, eſſe verum Baptiſmum, quando ſolùm capilli (aut vngues) aſperguntur, ſeu aqua à miniſtro effuſa immediatè attinguntur: immo ſi vnicus capillus vnica gutta aquæ tangatur. Quia capillus eſt vera pars hominis; quæ verè dicitur aſpergi, ſeu lavari Sacramentaliter (& conſequēter totus homo) per prædictam aſperſionem. Ita *Sot. & Vazq. quos citat, & ſequitur Nockinoct ibi n.* 21. Vnde patet, ad probationem huius illationis non eſſe neceſſarium examinare, an capilli vivāt vitā rationalē? aut an anima rationali informentur?

23 Infertur ſecundo, puerū natum ſub tella, quæ dicitur ſecundina, etiam ſi non extrahatur ex illa, validè poſſe baptizari. Quia reputatur pars illius à natura ipſi tributa. Ita *Præpoſitus, & Ochogavia, quos citat, & ſequitur Auſonius ibi num.* 22.

24 Infertur tertiò, validum eſſe Baptiſmum factum in vmbilico. Quia eſt vera pars hominis, etſi à natura tributa fuerit, vt infans per eam à matre ſugat alimentum. Itaque ſi antequā vmbilicus infantis præſcindatur à corpore, in aliqua parte illius baptizaretur, teneret Baptiſmus. Quia tunc eſt vera pars illius. Ita probabiliter Marcantius *tractat. 2. de Baptiſmo cap. 1. quæſt. 1. cauſa 2.*

25 Infertur quartò, quod, ſi infans exiſtens in vtero materno manum, pedem, vel quamcumque aliam corporis partē exerat, in caſu neceſsitatis in ea poterit baptizari; manebitque baptizatus, etiam ſi poſtea retrahat illam partem, & in vtero materno moriatur. Quia Baptiſmus in illa parte fuit ſufficiens: & aliàs iam natus fuerat ſecundùm illam partem: (quæ autem nativitas requiratur, vt homo per Baptiſmum dicatur renaſci dicam *num.* 27.) Ita communiter AA. *n.* 19. relati.

26 Infertur quintò, infantem exiſtentem in vtero matris non poſſe baptizari. Quia nequit immediatè attingi aqua. Ita Scotus *diſt 4. q. 3. §. & verſ. Ad quæſtionē* Scotiſtæ, & alij communiter cū D. Thom. ſtatim citando. ¶ Ex ratione iſta infero primò, quod, ſi infans exiſtens in vtero poſſet immediatè attingi aqua in aliqua ſui corporis parte, vere baptizaretur. (ſivè tunc mater eſſet viva, ſivè mortua) ¶ Infero ſecūdò, falſam eſſe ſententiam, quæ affirmat; ideo tunc infantem nō poſſe baptizari; quia parvulus in vtero matris eſt coniunctus cauſæ ſuæ corruptionis, nempè matri: &, dū eſt ſic coniunctus, nequit mundari. Pro qua ſententia Hugo Cavellus *in primo Scholio quæſt. 3. diſt. 4 citat Ricardum: Marginiſtæ autem Scoti citant F. Petrum Tarant.* Sed cuiuſcumq; illa ſit, eam im-

impugnat, & reijcit Scotus *ibi* §. *Dicitur*; eoquod puer tunc etiam eſt perſonaliter diſtinctus à matre. Itẽ quia Hieremias, & Ioannes Baptiſta mundati ſunt in vtero.

27 D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 11. tenet noſtram concluſionẽ propter rationem à nobis aſsignatã. nempè quia, dum infans eſt in matris vtero nequit immediatè attingi aqua. Quod & eius expoſitores communiter fatentur: notant tamen *Victoria de Baptiſmo n.* 32. & *Candelabrum aureum n.* 57. *quos citat, & ſequitur Coninch ad illum art.* 11. quod, quacumque ratione poſsit proles, adhuc in vtero exiſtens, ſufficienter aqua perfundi, valet in neceſsitate baptizari, etſi nullam partem corporis exerat. (Quod ex ratione Scoti ſemel notabamus *n.* 26.) Quia tunc reperiretur omnia ad Baptiſmum requiſita. Nec obſtat, quod non fuerit natus. Vt enim per Baptiſmum renaſcatur, ſufficit, vt præcedat natiuitas illa, qua quis de non homine fit homo: alias nòn poſſet baptizari ille, qui ex matre mortua, & ſecta educitur: vt benè notant Suarez, & Coninch *ſuper prædictum art.* 11. ¶ Addunt prætereà, quòd, etſi nullomodo liceat, matrem innocentem ſecare, etiam ſi ipſa ad hoc ſit parata, vt proles ex ſecta educta poſſet baptizari; etſi tamen mater, quam proles ante partum ſint certò morituræ. (Quod minimè negandum vſurpo iuxta dicta *n.* 18.) Quia non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona: (inquiunt) tamen illa, quæ ad mortem iuſtè eſſet damnata poſſet in aliquo caſu ſecari ad baptizandum prolem; nempè quando in illo temporis interuallo, quo ſecundùm diſpoſitionem iuris expectari debet partus prægnãtis ad mortẽ damnatæ, superueniat certum periculum de morte prolis. Tunc enim poteſt ſecari mater. Quia nihil fit contra aliquod ius: mater enim iam eſt iure ad mortem damnata: & alias cunctatio illa exequendi mortem conceſſa fuit à iure non in fauorem matris, ſed prolis innocẽtis: & ideò quãdo ex illa proli imminet detrimentum, non eſt matri concedenda.

CAP. III.

De forma Baptiſmi.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quæ ſit forma Baptiſmi? Reſpondetur, ex cõuenientia Patrum, & Scholaſticorum ſufficientem eſſe illã à Chriſto D. præſcriptam *Matth. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quare Eccleſia Romana ponit formam Baptiſmi ab omnibus obſer-

obſervandam eſſe: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Conſtat ex Florentino, & ex Trident. De quo videndi ſunt RR. præſertim *Vazquez diſp. 142. c. 2.*

2 Vnde refelluntur diverſi errores, qui circa formam Baptiſmi extiterunt: & quos refert noſter Alfonſus de Caſtro verbo *Baptiſmus, Bellarminus, & Præcitatus Vazq. c. 1.* quos ego potiùs libabo, quam expendam. Merito tamen non expendo; quia cum Catholicis, non cum hæreticis deſcendo in arenam: libabo tamen, ne viro Theologo aliqualis eorum notitia deficiat, qui, ſi fuſiorem deſideret, apud præcitatos AA. adinveniet. Igitur primus error fuit illorum, qui temporibus Apoſtolorum baptizabant, non in voce, & invocatione Trinitatis, ſed aut trium ingenitorum, aut ſine principio, aut trium filiorum, aut trium paracletorum. ¶ Secundus error fuit Gnoſticorum: qui dupliciter errabant: quidam enim illorum baptizabant in nomine ignoti Patris omnium; in veritate matris omnium, & in nomine, deſcendentis Ieſu ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutum. Alij vero ex eadem ſecta Gnoſticorum, Hebraicis quibuſdam vocibus prolatis, vt impoſiti eſſent his, qui conſecrabantur, ſeu Baptiſmum recipiebant, Baptiſmum miniſtrabant: quæ quidem, ſi Latinè ad verbum convertas, ſic habent: *Hoc, quod eſt ſuper omnem virtutem Patris, invoco, quod vocatur lumen, & Spiritus, & vita, qui in corpore regnaſti.* ¶ Tertius error fuit eorum, qui dicti ſunt Paulianiſtæ, (eo quod erāt diſcipuli Pauli Samoſateni) necnon & Photiniani, (eo quod fuerunt in errore Photini) atque Montaniſtæ Kataphrygas; eo quod veram formam baptiſmi non habuerint: non enim baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: eo quod derant Sabelliani, & myſterium Trinitatis negabant. ¶ Quartus error fuit cuiuſdam Ariani Deuterij nomine tempore Symachi Papæ, qui baptizando quemdam nomine Barbam Conſtantinopoli dixit: *baptizetur Barbas in nomine Patris per filium in Spiritu Sancto*: qua forma prolata, vnda, quæ in ſacro lavacro erat, diſparuit. ¶ Alij autem Ariani aliter erraverunt circa formam Baptiſmi. ¶ Quinto errabant Macedoniani Baptizantes in nomen increati, & in nomen Filij creati, & in nomen Spiritus Sanctificativi, & à creato Filio creati. ¶ Sexto errabant quidam Eunomiani baptizantes non in nomine trium perſonarum, ſed in mortem Chriſti, hoc eſt, invocatione ſolius mortis Chriſti, vel Chriſti mortui.

¶ Septimo errarunt Græci (poſtquam ab obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtraxerunt) non quia vtebantur, & de facto vtuntur hac

hac forma: *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* ſed quia putarunt, prædictum modum proferendi formam eſſe ita neceſſarium; vt modum illum, (*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*) quem ſervat Romana Eccleſia, damnarent tamquam inſufficientem. Denique Lutheras, Zvinglius & Brentius errarunt dicentes, eam formam Baptiſmi, qua Eccleſia Romana vtitur, non eſſe neceſſariam. Lutherus enim dicebat, Baptiſmū quibuſcumque verbis collatum eſſe ratum, & firmum, cummodo non in nomine hominis, ſed Dei conferatur: immo etiam ſi in nomine Dei ſuſcipiatur, quamvis in nomine Dæmonis detur. Zuvinglius autem dicebat certam formam verborum in Baptiſmo neceſſariam non eſſe: addebat tamen, ſe neminem prohibere, quominus vtatur verbis receptis, & viſitatis. Quare circa nonnulli Zvingliani baptizabant in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: qui eſt manifeſtus error Arianorum: nam ly *nomen* in forma Baptiſmi non accipitur pro voce ſignificante Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; ſed pro poteſtate, & virtute, iuxta illud *Marci vltimo: in nomine meo dæmonia eycient: & Ioan. 5. Ego veni in nomine Patris mei:* poteſtas autem, & virtus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnica eſt, non plures. & ideo in ſingulari, & non in plurali eſt ſignificanda. Denique Brentius etſi admoneret, vt conſueta forma ſervaretur: dicebat tamen, eſſe verum Baptiſmum, ſi miniſter poſt recitatum ſymbolum à Catecumeno hunc modum dicat: *Audiviſti iam ex te confeſſionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: in hac igitur confeſſionem intingo te in aquam, vt hoc ſignaculo certus ſis, te eſſe inſertum Chriſto. Vade in pace.*

3 Igitur ex noſtra concluſione, ſeu ex Eccleſiæ determinatione omnes prædicti errores manent refutati.

DVBIVM II.

4 Peres ſecundò: quæ ex prædictis verbis ſint de neceſſitate formæ? Reſpondetur, ly *ego* non eſſe de neceſſitate: quia includitur in ly *baptizo*. Ly autem *te* eſt de neceſſitate: quia debet forma explicare ſubiectū. Item ly *baptizo* eſt de neceſſitate. Quia forma debet explicare determinatè actū miniſtri: cum enim aquæ infuſio à miniſtro poſſet [illegible] ad refrigerandum, ad medicinam, (& forte ad alia officia) debuit forma declarare, in Baptiſmo aquam adhiberi ad lavandum ſordes corporis: quàvis enim ex vi ſignificationis verbum *baptizo*: (aſpergo, & immergo) hoc determinare non ſignificet: tamen ex determinatione Chriſti D. verbis illis. *Matth. vl-*

timo

timo baptizantes eos in nomine Patris,&c. ex decretis Eccleſiæ, ex conſenſu Patrum, & Scholaſticorum ſupponit in forma Baptiſmi pro lotione ſordium corporis: vt ſic ſignificaretur lotio ſordium animæ facta per gratiā ſanctificantem, necnon & Sacramentalem collatam vi huius Sacramenti.

5 Inſuper verba illa *in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti* ſunt de neceſsitate. Quia Chriſtus D. voluit, quod in Sacramēto, quod eſt ianua fidei, præcipuum myſterium exprimeretur. Et ideò ly *in nomine* etiam eſt de neceſsitate: quia myſterium Trinitatis conſiſtit in Trinitate perſonarum in vna eſſentia: cuius eſſentiæ vnitas ſignificari nequit abſque particula illa *in nomine* in numero ſingulari: in quo conveniunt PP. relati à Vazq. *diſp.* 143.*c* 5. Vnde ſi loco particulæ *in nomine* dicatur *in nominibus* non fit Baptiſmus: (ex convenientia Doctorum) quia Deitas, auctoritas, aut virtus perſonarum eſt vnica; per particulam autem *in nominibus* plures Deitates, auctoritates, aut virtutes ſignificantur. Quod non contingit, ſi repetatur ly *in nomine* dicēdo: *in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti.* Quia per talem repetitionem non denotatur pluralitas eſſentiæ, virtutis, aut auctoritatis: ſicut neque denotatur pluralitas eſſentiæ, quando dicimus: Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus. Eſtque omninò idem, ac dicere: Deus Pater, Filius, & Spiritus Sāctus. Ita *Sotus, Vazq. & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſput. 1. diff. 7.* Item *Auſonius verbo Baptiſmus n. 45 ſequentes Dianā.* Bonacina tamen de Sacram. *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *n.* 5 exiſtimat, non eſſe validum Baptiſmum ſub prædicta repetitione & obijcit: illa repetitio eſt idem ac diceret *baptizo te in nominibus Patris, &c.* Reſpondetur negando propter rationem dictam.

6 Particula *in* non eſt de neceſsitate. Quia illa omiſſa ſenſus non violatur, ſed ſolum tollitur Hebraiſmus: vt fieret dicendo *cano citharā*, ac *cano in cithara.* Ita præcitati Hurt. & Auſonius, atque communiter contra Toletum, & Conincum. Item non eſt de neceſsitate ly *&*: ſicuti neque ly *amen.* Quia ly *&* ſecundum modum ſatis vſitatum ſubintelligitur, ly verò *amen* nihil iuvat ad perfectionem ſenſus Sacramentalis.

7 Notant præcitati Hurt. & Auſonius eſſe peccatum omittere ly *in* vel ly *&*, vel ly *amen*: quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ: non tamen erit mortale quia omiſſio cuiuſcumque dictarum particularum eſt parvi momenti, (quamvis oppoſitum defendat Sotus de omiſſione ly *&*) ſecluſo contemptu. Idem eſt de ly *ego*: cuius omiſſio eſt venialis

tamen,

tantùm. ¶ Multa ex his, quæ in hoc dubio quaſi curſim diximus, ſtrictiori indigent examine: & ideo ſequentia dubia ſubmitto.

Dvbivm III.

8 PEtes tertiò, an ad eſſentiam formæ Baptiſmi ſpectet exprimere actionem miniſtri? Reſpondetur affirmativè. Quia Alexand.3. *in cap.1. de Baptiſmo* ſic loquitur. *Si quis puerum in aqua merſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amē. & non dixerit: ego te baptizo; puer non eſt baptizatus.* Quod, adiuncta hac Eccleſiæ determinatione, efficaciter colligitur ex verbis illis *Matth. 28. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quibus Chriſtus D. non ſolùm voluit, quòd Apoſtoli (& quicumque alij miniſtri) re ipſa baptizarent ſed etiā, quod exprimerent verbis ipſam baptizationem. Ita Scotus *diſt. 3. q 2. § & verſ. Tertio de forma, & communiſsimè DD.* ¶ Dices, ly *baptizantes* denotare potius id, quod opere debebat exerceri, quā quod verbis debebat exprimi. Sicut quando ibi dicitur *docentes omnes gentes, &c.* non præcipitur Apoſtolis, (aut alijs miniſtris) vt in forma Baptiſmi dicant, aut exprimant, *ſe docere*; ſed quod re ipſa doceant: igitur nō poteſt colligi ex verbis Scripturæ, requiri expreſsionem actionis miniſtri in forma Baptiſmi. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: ex verbis præciſè, concedo conſequentiam: adiuncta declaratione Eccleſiæ, nego.

Dvbivm IV.

9 PEtes quartò: an ad eſſentiam formæ Baptiſmi ſit neceſſarium, ſic exprimi actionē baptizandi, vt neceſſario denotetur, eſſe phyſicam actionem illius miniſtri, qui baptizat? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic videtur colligi ex Alexandro III. *num. præcedenti* citato. Immò ratio illius concluſionis probat etiam iſtam. Itaque ex verbis illis *Matth. vltimò* (*Baptizantes eos &c.*) non nudè ſumptis, ſed adiuncta declaratione, ſeu auctoritate Eccleſiæ, efficaciter colligitur, voluiſſe Chriſtum D. quòd Apoſtoli, (& quicumque alij miniſtri) nō ſolùm haberent auctoritatem baptizandi; & quòd phyſicè baptizarent; ſed etiam quod in forma exprimerent baptizationem; (vt diximus in concluſione præcedenti; & fatentur omnes DD.) necnon & quod verbis exprimerent, aut ſaltem implicitè denotarent, baptizationem phyſicè a miniſtro procedere. Quod etiam probo ex vſu Eccleſiæ, atque ex conſenſu Doctorum: à quibus ſolum admittitur duplex forma Baptiſmi, ſeu (propriùs loquendo) duplex modus eiuſdem formæ Baptiſmi.

tiumi. Primus eſt Eccleſiæ Latinæ, quæ ſic profert formam: *Ego te baptizo in nomine, &c.* Secundus eſt Eccleſiæ Græcæ; quæ ſic profert: *Baptizetur ſervus Chriſti:* ſed vterque ille modus denotat, baptizationem phyſicè fieri à miniſtro: ergo ſic fieri eſt neceſſarium. Patet conſequentia: quia nulla alia forma Baptiſmi admittitur, vt ſufficiens niſi vna ex his duabus, aut alia illis æquivalens: vt ſuppono, & admittunt omnes. Minor loquendo de forma Eccleſiæ Latinæ eſt per ſe nota: cum ly *ego*, immo, & ipſo ſupreſſo ly *baptizo* expreſſe ſignificet, baptizationem fieri a miniſtro: & quamvis in vulgari, & communi modo loquendi etiam dicamus, iudicem ſuſpendere reū; Regem committere bellum, &c. & conſequenter poſſet quis dicere, ly *ego*, & ly *baptizo* ſumi moraliter, nempe imperativè, aut conſulendo: tamen cùm ſtādum ſit verbis, non nude ſumptis, ſed vt Eccleſiæ praxi, & conſenſu Doctorum accipiuntur: à quibus receptum ſemper fuit, ly *ego*, & ly *baptizo* de actione phyſica, & non de morali eſſe accipienda in præſenti: per ſe notum eſt, in forma illa Latinorum: *Ego te baptizo in nomine, &c.* expreſſe ſignificari, baptizationē phyſicè fieri a miniſtro.

10 Loquendo autem de forma illa (*Baptizetur ſervus Chriſti &c.* quæ eſt forma Græcorum) non poteſt ita aperte convinci, ibi denotari baptizationem phyſicè fieri a miniſtro, quia ly *baptizetur* non magis determinat primam perſonam, quam ſecundam, aut tertiam: ac per conſequens poſſet quis dicere, ſenſum illius formæ eſſe, *baptizetur ſervus Chriſti ab ipſo Chriſto, vel à Deo.* Tamen etiam expendendū eſt id, quod loquendo de forma Latinorum n. 9. expendebamus, nempe ſtandum eſſe verbis non tam Grammaticè, quam Theologicè ſumptis. Vnde fit, quod etſi Grammaticè, immo & in vulgari modo loquendi ly *baptizetur* ſit indifferens, poteſtque determinari per primam, ſecundam, & tertiam perſonam: & conſequenter ſic poſſe accipi formam Græcorum: *Baptizetur talis ſervus Chriſti à Chriſto, vel à Deo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* theologicè tamen loquendo ſolum poteſt determinari per primam perſonam: & conſequenter nunc eſſe neceſſario ſenſum formæ Græcorum *baptizetur a me talis ſervus Chriſti in nomine, &c.* Et ratio eſt, quod hac ratione cadē eſt forma baptiſmi vtriuſque Eccleſiæ, nempe Latinæ, & Græcæ: quas ſine vrgenti fundamento nequit affirmari eſſe diverſas in re tanti momenti. Nec crederem ego, Eccleſiam Latinam permiſiſſe Græcis vti prædicta forma, ſi ſubſtantialiter eſſet diverſa a forma, qua ipſa ſemper fuit vſa, & modo vtitur. Prætereà

reà Chriſtus, vt Deus, aut ipſe Deus non baptizat auctoritate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ergo ly *baptizetur* nequit cum veritate determinari à Deo, vel à Chriſto D. quatenus Deus eſt. Nec poteſt dici determinari à Chriſto Domino, quatenus homo eſt: non enim capitur, quomodo Chriſtus Dominus, quatenus homo, aut eius humanitas poſsit phyſicè concurrere ad baptizationem. Hanc noſtram concluſionem defendunt *noſter Alenſis 4.p.quæſt.8.memb 2.art. 3. Vazq. Ægidius, & Ochagavia, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 1. diff. 8*

10 Sed Sotus *in 4.d.3.q. vn. art. 3.* docet, ad eſſentiam formæ baptiſmi non eſſe neceſſarium ita in illa exprimi actionē miniſtri, ſive active, ſive paſsivè, vt denotetur, eſſe actionem illius, ſeu ab eo procedere, dum id non negetur, ac proinde ſufficere, ſi baptizans dicat: *baptizet te Chriſtus*, dum tamen non addat; *quem ego non baptizo*. Pro qua ſententia obiicies Scotum *in 4. diſt. 3. q.2.§. & verſ. Tertia de forma* dicentem: *miniſtrum enim non eſt ſimpliciter neceſſarium aliquo verbo exprimi, neque pro nomine cuiuſcumque perſonæ: quia non eſt in verbis Chriſti Matth. vltimo*: ergo noſtra concluſio eſt contra Scotum. Reſpondetur negando: nos enim non dicimus, eſſe neceſſarium exprimi miniſtrum; ſed connotationem ad illum, ſeu quod baptizatio denotet, fieri a miniſtro. ¶ Dices: ergo hæc non erit ſufficiens forma; *baptizet te Chriſtus*. Reſpondetur, ita eſſe. ¶ Contra, quod in forma Sacramenti confirmationis, qua Magnus Conſtantinus Imperator confirmatus eſt, (quæ habetur in edicto eiuſdem, quod eſt ante Concilium Nicænum primum) non connotatur miniſter: ergo neque in forma Baptiſmi erit neceſſarium connotari. Antecedens conſtat: hac enim forma fuit confirmatus: *Signet te Deus ſigillo fidei ſuæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in ſignatione fidei.* Reſpondetur negando antecedens, ad probationem dico (admiſſo, illam fuiſſe formam confirmationis Conſtantini: quod non eſſe certum advertit G. Hurt. *ibi cum Vazquez*) ibi etiam connotari miniſtrum: nam eo ipſo, quod ſigillat ſigno crucis frontem confirmandi, denotat, ſe habere poteſtatem ſigillandi, ſeu confirmandi, vt miniſtrum Dei, & ſe eſſe qui ſigillat: ac proinde ſenſus illius formæ eſt: *ſignet te Deus ſigillo fidei ſuæ* (idem *ſigno crucis*; ſubintellige *à me ex miniſtro*) *in nomine Patris, &c.* ¶ Reſpondetur ſecundo, admiſſo antecedenti negando conſequentiam: ex eo enim, quod diceremus, formam confirmationis antiquam eſſe datam per modum deprecationis, (ſicut forma extremæ vnctionis: quæ talis eſt: Per

iſtam

iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, auditum, &c.) ſive propter ſpecialem diſpenſationem; ſive quia ex ſua inſtitutione forma huius Sacramenti non determinat modum imperativum, aut deprecativum; nō infertur, idem eſſe dicendum de forma Baptiſmi: habent enim diverſas inſtitutiones: & ideo forma Baptiſmi neceſſario debet connotare miniſtrum, ſeu ſignificare, baptizationem phyſicè fieri à miniſtro. Quod fortè non petit confirmationis forma: & certiſsimum eſt, non petere formam extremæ vnctionis.

Dvbivm V.

11 Petes quintò: an ſit de neceſsitate formæ Baptiſmi explicita invocatio trium perſonarum Trinitatis? Reſpondetur affirmativè. Quia *Matth.* 28. (vbi traditur forma, ſub qua Baptiſmus debet miniſtrari) dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quam concluſionem videntur decreviſſe *Alexandrum III. cap.* 1. *de Baptiſmo, & Florent. ſub Eugenio IIII.* eamque confirmāt multi PP. quos referunt præcipuè *Vazquez diſp.* 143. *c.* 3. *& Suarez diſput.* 21. *ſect.* 3. Et congruentiſsima ratio eſt: Baptiſmus enim eſt Sacramentum fidei, (vt loquitur Innocentius III. *cap. Debitis de Baptiſmo, & D. Auguſtinus epiſt.* 103.) & ianua, qua intramus ad veram fidem: ſed explicita fides Trinitatis eſt de neceſsitate ſalutis: ergo congruum fuit, quod fidei Sacramentum, & fidei ianua ex vi ſuæ inſtitutionis exegerit explicitam invocationē trium perſonarum. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. §. *Tertiò verſ. De nomine, D. Thom. quæſt.* 66. *art.* 6. *Canus, Bellarm. Suarez, Vazquez, & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp.* 1. *diff.* 9.

12 Sed *Magiſter in* 4. *diſtinct.* 3. *& Adrianus in* 4. *q.* 2. *de Baptiſmo* § *Ad rationes* docent, ad eſſentiam formæ Baptiſmi non eſſe neceſſariam explicitam invocationem trium perſonarum Trinitatis; ſed ſufficere implicitam dicendo *in nomine Chriſti*, aut *in nomine Dei*, aut in nomine alicuius perſonæ divinæ: quia in quolibet ex his tribus eſt tota Trinitas; & multo meliùs *in nomine Trinitatis* nullā exprimēdo perſonam. Quod tradidiſſe videntur Ambroſius, Bernardus, Beda, Nicolaus Papa, & Hugo Victorinus citati a Recentioribus, præſertim a Vazquez *ibi cap.* 1. *à num.* 2. *& G. Hurt. ibi.* Et obijciunt, quod *Actor* 2. 8. 10. & 19. dicitur, Apoſtolos Baptizaſſe in nomine Chriſti, nullius alterius perſonæ facta mētione: ergo expreſsio trium perſonarum Trinitatis non eſt de eſſentia, aut de neceſsitate formæ Bap-

Baptiſmi. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: ex vi inſtitutionis, nego; ex ſpeciali diſpenſatione, concedo. Itaque quamvis Chriſtus Dominus inſtituit, tanquam quid eſſentiale, pro forma baptiſmi expreſsionem triū perſonarum Trinitatis: aliquando tamen diſpenſavit, vt validus eſſet Baptiſmus datus ſub nomine Chriſti D. vt dicam *n.* 13.

Dubium VI.

13 PEtes ſexto: an Baptiſmus datus ſub nomine Chriſti D. fuerit aliquando validus? Reſpondetur affirmativè. Quia ſæpe dicitur *in lib. Actuum Apoſtolorum, præſertim cap.* 2. Apoſtolos baptizaſſe ſub nomine Chriſti: ibi enim dicitur reſpondiſſe Petrum his, qui cum interrogaſſent, quid facturi eſſent ad fugiendum iram venturam: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum; & accipietis donum Spiritus Sancti.* Ita Scotus *in* 4. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 2. § *Tertio de forma verſ. De quinto, D. Thom.* 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 6. *ad* 1. *D. Bonav. Ricardus, Albertus, Canus, & alij, quos citant, præſertim noſter Cavellus in ſcholio ad illum* § *& Vazq. diſp.* 143. *cap.* 1. *num.* 3. Vnde conſtat, tempore Apoſtolorum licitum fuiſſe baptizare ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Ieſu Chriſti*: & conſequenter propter ſpecialem diſpenſationem: cum enim generaliter diſpoſuerit Chriſtus Dominus Baptiſmum conferri ſub forma trium perſonarum exprimendo ſingula illarum nomina: vt conſtat *Matth. vlt.* illis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: vt validè, & licitè daretur Baptiſmus ſub nomine Ieſu Chriſti, neceſſario debuit præcedere diſpenſatio facta ab ipſo Chriſto Domino, & manifeſtata Apoſtolis. Ratio autem huius diſpenſationis fuit, vt nomen Chriſti Domini divulgaretur per orbem, & hominum animis infigeretur, augereturque credentium numerus. Quod autem fuerit talis diſpenſatio, colligitur ex ipſo facto Apoſtolorum per Scripturam nobis manifeſtato. Sicut enim ex facto antiquorum PP. ſeu ex hoc, quod habuerunt plures vxores, colligitur, cum illis fuiſſe diſpenſatum ſuper bigamia, De quo legatur noſter Villalobos *in ſum. tract.* 14. *diff.* 15. *num.* 4. Et ſicut ex facto aliquarum fœminarum, quas Martyres Eccleſia celebrat, quæ è carnificum manibus elapſæ flammis, & morti ſe ipſas tradiderunt, colligitur efficaciter, ad hoc habuiſſe ſpecialem diſpenſationem per revelationem ſibi notam, ſeu quemdā impulſum Spiritus Sancti. Ita ex ipſo facto Apoſtolorum efficaciter colligitur, extitiſſe diſpenſationem illis intimatam, vt omiſſa pro tunc

communi forma Baptiſmi, illum conferrent ſub nomine Domini Ieſu Chriſti.

15 Sed numquam fuiſſe datum Baptiſmum in nomine Ieſu Chriſti docent *Canus, Bellarmin. Suarez, Vazquez, & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 1. diffic. 9.* Qui dicunt, auctoritates Scripturæ, & Patrum, quibus dicitur, Baptiſmum fuiſſe aliquando datum ſub nomine Ieſu Chriſti, eſſe interpretandas: non enim (inquiunt) fuit aliquando datus Baptiſmus ſolùm in nomine Chriſti. Quare ſolùm volunt declarare, quòd auctoritate, & poteſtate Chriſti Domini fuerit miniſtratus. Sicut *Marci vltimo* dicitur: *In nomine meo dæmonia eijcient* id eſt, auctoritate, & poteſtate mea. ¶ Alij autem dicunt, prædictas auctoritates ita eſſe intelligendas, nō quòd Apoſtoli, dum baptizabant, omittebant invocationem Trinitatis ſub expreſſis nominibus; ſed quòd interponebant in forma Baptiſmi nomen Ieſu Chriſti dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti. Amen.* ¶ Sed, vt verum mihi fatear, hæ ſolutiones haud facilè falſitatis convincentur; non quia falſæ non ſint; ſed quia cùm ſic potuerit contingere; quid contigerit de facto, non facilè oſtendetur. Tamen contra prædictas ſolutiones ſtat, noſtram ſententiam nulla explicatione indigere ad intelligendum verba Scripturæ, & illius authoritates, quibus toties in Actibus Apoſtolorum dicitur, Baptiſmum fuiſſe collatum in nomine Ieſu Chriſti. Oppoſita autem ſententia diverſis indiget explicationibus, quibus multiplicatis ſuſpitionem potiùs, quàm ſecuritatem generāt. Ædificium enim, quod, ne labatur, multis indiget adminiculis, ipſiſmet proclamat, non eſſe ſecurum. ¶ Obſtat etiam contra has ſolutiones, mirum admodum eſſe, quod, ſi tunc temporis ſub expreſsis Trinitatis nominibus dabatur Baptiſmus; nullibi Scriptura id exprimat; ſicut exprimit, datum fuiſſe ſub nomine Ieſu Chriſti D. ¶ Præterea ſi diſpenſavit Deus cum antiquo populo ſub bigamia, ſeu in hoc, quod vnus, & idem vir plures ſimul haberet vxores, vt populus electus creſceret, ſeu augeretur ad cultum veri Dei, quid mirum diſpenſaſſe in forma Baptiſmi, vt Chriſtianorum numerus augeretur in amorem, cultum, & reverentiam veri Dei; illuſtriuſque fieret Chriſti D. nomen?

16 Sed obijciunt, quòd in Canonibus Apoſtolicis *can. 49.* præſcribitur forma Baptiſmi *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; nulla facta mentione de invocatione ſolius nominis Chriſti D. ergo adhuc tempore Apoſtolorum non fuit datus Baptiſmus ſolū in nomine Chriſti Domini.

Reſpondetur negando conſequentiam: ibi enim ſolùm determinatur, formam ſub expreſſa invocatione trium perſonarum Trinitatis eſſe de neceſſitate Sacramenti ex ſua inſtitutione. Quod non ſolum in præſenti, ſed etiam tempore Apoſtolorum fuit neceſſarium, quando non fuit ſpecialis diſpenſatio: iſta tamen ſtante, licitè, & validè conferebatur ſub nomine Domini Ieſu Chriſti. ¶ Contra: ibi enim reprobatur Baptiſmus collatus *in morte Chriſti* & redditur pro ratione, Chriſtum Dominum non dixiſſe: *Baptizate in morte mea; ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ergo quia non erat validus Baptiſmus in nomine Chriſti Domini, aut ſine expreſsione trium perſonarum Trinitatis. Reſpondetur negando conſequentiam: reprobatur enim ibi Baptiſmus, non quia dabatur ſub hac forma: *Ego te baptizo in morte Chriſti*: numquam enim ſic fuit collatus. Sed quia tunc temporis Baptiſmus fiebat ſub trina immerſione ad ſignificandum myſterium Trinitatis: quod aliqui omittebant dicentes faciendum eſſe ſub vnica merſione ad ſignificandum mortem Chriſti D. Quos reprobat ille canon, & reddit pro ratione, non dixiſſe Chriſtum D. *Baptizate in morte mea; ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: vt inde concludat, Baptiſmum ſub trina merſione celebrandum eſſe ad ſignificandum myſterium Trinitatis, non tàm verbis, quàm factis, ſeu merſionibus: non verò ſub vnica, ad ſignificandum per illam mortem Chriſti Domini. Vnde conſtat, in illo canone non reprobari Baptiſmum collatum ſub alia forma, quam ſub expreſſione Trinitatis. Immò neque ibi ſtabilitur, Baptiſmum conferendum eſſe ſub illa, aut ſub alia forma: non enim agebatur de forma Baptiſmi, ſed de numero merſionum, quibus erat conferendus. Expendo etiam, ibi non reprobari Baptiſmum tamquam invalidum, etiam ſi vnica merſione fiebat; ſed reprobari miniſtrum tunc temporis ſic baptizantem. Quæ omnia in illo canone apertè continentur.

17 Objiciut ſecundo, quod *Actor* 19 cum Paulus interrogaſſet quoſdam diſcipulos Epheſi, ſi accepiſſent Spiritum Sanctum? & illi reſpondiſſent; *neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*: dixit Apoſtolus: *In quo ergo baptizati eſtis?* vbi Paulus omnino ſuppopnit, Baptiſmum non poſſe conferri ſine expreſſione Spiritus Sancti; & conſequenter Patris, & Filij. Alias, ſi Baptiſmus tunc temporis ſolitus fuiſſet conferri in nomine Chriſti D. ſine expreſsione perſonarum Trinitatis, ineptè conieciſſet Paulus, (Inquit Ægidius *quæſt.* 66. *art.* 6. *n.* 3. vbi hoc proponit argumentum) eos non eſſe baptizatos, ex eo quod non audiviſſent, an ſit Spiritus

Sancti? Reſpondetur, inde ſolum inferri, quod adhuc debitè conferri Baptiſmum, ante eo, quod prius inſtruantur de fide Trinitatis; præmiſſa inſtructione præcedente, validè, & licitè ex diſpenſatione Dei, vt nomen Chriſti illuſtrius fieret; augereturque amor, & reverentia illius, (qui ab Apoſtolis prædicatus crucifixus Iudæis erat ſcandalum; Gentilibus autem ſtultitia: vt teſtatur Paulus 1. ad *Corinth. 1. num. 23.*) Baptiſmum conferebant in nomine Ieſu Chriſti: vt conſtat ex eodem loco, vbi ſubditur: *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Vnde vnum apertè conſtat; & aliud infertur. Conſtat (inquam) apertè, tunc conferri Baptiſmum in nomine Ieſu Chriſti. Quod autem infertur, eſt, verbis illis (*In quo ergo baptizati eſtis?*) ſupponere Paulum baptizatos habituros eſſe notitiam Spiritus Sancti, non quia in forma Baptiſmi tunc temporis exprimeretur; (ex hoc enim præciſè, quod nomina perſonarum Trinitatis in forma baptiſmi audiret Baptizatus exigua notitia myſterij Trinitatis, & proceſſionis Spiritus Sancti poſſet haberi) ſed quia in catechiſmo præcedente Baptiſmum inſtruebantur de myſterio Trinitatis, & conſequenter de exiſtentia Spiritus Sancti.

Dubium VII.

18 PEtes ſeptimo, an poſt tẽpora Apoſtolorum Baptiſmus collatus, ſub hac forma (*Baptizo te in nomine Ieſu Chriſti*) ſit validus. Reſpondetur problematicè. Quia vtrinque ſunt rationes probabiles: vt ex dicendis conſtabit. Ita Scotus *in 4. diſt. 3. quæſt. 2. §. Tertio de forma in verſ. Sed an modo*: quod & omnes Scotiſtæ debemus defendere, cum ſit expreſsiſſima mens illius. Sed claritatis gratia vtraque ſententia ſigillatim eſt propugnanda.

Propugnatur ſententia affirmatiua.

19 HÆc ſententia defendit, validum eſſe baptiſmũ collatum in nomine Chriſti poſt tempora Apoſtolorum. Quia ex diſpenſatione fuit validus in tẽpore Apoſtolorum: vt conſtat ex dictis *à n.* 13. ſed non conſtat, hãc diſpenſationem fuiſſe revocatã: ergo etiam nunc, ſicut tunc, erit validus. Quæ ratio adeo vrgens viſa eſt Scoto, vt *verſ. Quid ergo* dixerit: *neque audeo dicere, quod non eſſet baptizatus: quia non lego, vbi fuerit illa diſpenſatio revocata.* Et adhuc magis vrget prædicta ratio in caſu, quo in aliqua gentium videretur Eccleſiæ neceſſarium conferre Baptiſmum in nomine Chriſti ad propagandum nomen Chriſti Domini, vt fuit in primitiua Eccleſia. Hanc con-

concluſionem defendunt PP. & DD. citati *num.* 12. Sufficiat nobis Nicolaus Papa *ad Conſulta Bulgarorum cap.* 104. *& refertur de Conſecratione diſt.* 4. *cap. A quodam Iudæo* ſic loquutus: *A quodam Iudæo, neſcitis, vtrùm Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis; & quid de eis ſit agendum conſulitis? Hi profectò ſi in nomine Sanctæ Trinitatis; vel tantùm in Chriſti nomine, (ſicut in actibus Apoſtolorum legimus) baptizati ſunt; (vnum quippe, idemque eſt, vt Sanctus exponit Ambroſius) conſtat, eos non eſſe denuò baptizandos.* Vnde apertè conſtat, Pontificē (etiam admiſſo, quòd loquatur vt privatus Doctor, dum dicit, Baptiſmum collatū in nomine Chriſti eſſe validū) ſtare pro hac ſententia. Quod, & de D. Ambroſ. Bernardo, & Hugone à Sācto Victore fatentur aliqui ex adverſarijs, præcipuè Vazquez *diſp.* 143. *cap.* 4. *à num.* 28. Ægidius *quæſt.* 66. *num.* 53. & G. Hurtado *diſp.* 1. *diff.* 9. & conſequenter conſtat, quanta probabilitate polleat hæc ſententia: ſiquidem non ſolùm nititur probabili ratione, ſed etiam tantorum Patrum, atque aliquorum Scholaſticorum auctoritate munitur: etenim à Scoto defenditur problematicè: & conſequenter ab vniverſa illius ſchola debet ſaltèm probabiliter propugnari: abſolutèque defenditur *à Magiſtro, & ab Adriano num.* 12. *relatis.*

20 Igitur in confirmationem fundamenti huius concluſionis (quod eſt, ſubſiſtere diſpenſationem, dum non revocatur) expēdo, eſſe ſententiam graviſſimorum Authorum, ſubſiſtere diſpenſationem datam propter aliquam iuſtam cauſam, etiam ſi poſtea decurſu temporis ceſſet prædicta cauſa, dummodò diſpenſatio non revocetur. Et ratio eſt, quod per diſpenſationem verè relaxata eſt lex, ac eius obligatio extincta: ergo non poteſt reviviſcere; eo quod cauſa diſpenſationis ceſſaverit. ¶ Nec obſtat, quòd dicunt aliqui, nempè quod in omni diſpenſatione intelligitur conditio illa; *dummodò cauſa permaneat.* Hoc (inquam) non obſtat: quia ſuppoſito, quod diſpenſatio abſolutè fuit collata; omnino voluntariè dicitur, intelligi prædictam conditionem. Ita Baſilius Pontius *lib.* 8. *de Matrimonio cap.* 20. *n.* 4. *Salas, Granados, Gutierrez, & Sà, quos citat, & quorum doctrinam tamquam probabiliorem amplectitur Diana* 1. *p. tract.* 10. *Reſ.* 41. *& eius Compendiator Auſonius verbo Diſpenſatio n.* 5. Vnde patet, immeritò dixiſſe Sanchez *tom.* 3. *de Matrimonio lib.* 8. *diſp.* 30. *num.* 14. cum alijs, quod ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio: vt enim modo expendebamus, oppoſitum eſt tenendum cum Pontio, & alijs citatis. ¶ Sed objicit Sanchez: facilius tollitur privilegiū, (quale eſt diſpenſatio) quam

ius commune: ſed iſtud ceſſat, ceſſante cauſa finali: ergo à fortiori ius ſpeciale, privilegium, ſeu diſpenſatio. Reſpondetur (omiſſa intelligentia maioris) negãdo conſequentiam: ius enim, aut lex eſt quid odioſum: atque adeo tollitur, ceſſante cauſa privilegiũ autem eſt quid favorabile: & ideo non ceſſat, quamvis ceſſet cauſa. ¶ Reſpondetur ſecundò, diſtinguendo conſequens. eſt enim concedendum de privilegio, quod datur ſub aliqua conditione: negandum autem eſt de privilegio abſoluto, ſeu quod abſolute conceditur: iſtud enim abſolutè & ſine aliqua conditione extinguit obligationem legis: & conſequenter illa reviviſcere nõ poteſt, etiam ſi ceſſet ratio, aut cauſa diſpenſationis, ſeu propter quam tale privilegium fuit conceſſum. Secùs autem eſt de privilegio conditionato: quia iſtud non extingit abſolutè, ſed cum illa conditione obligationem legis: & ideo, iſta conditione ceſſante, reviviſcit obligatio.

21 Ad rem ergo: cùm in noſtra ſententia certiſsimum ſit, diſpenſatum fuiſſe in tempore Apoſtolorum, vt Baptiſmus conferretur ſub hac forma; *Ego te baptizo in nomine Ieſu Chriſti*: vt conſtat ex dictis à *n.* 12. Et cũ aliàs illa diſpenſatio fuerit abſoluta: (quoties enim non ponitur conditio pro abſoluta reputatur diſpenſatio: etenim eſt privilegium; atque adeo amplè explicandum) etiam ſi ceſſaverit iam cauſa, propter quam iſta diſpenſatio fuerit conceſſa; ipſa diſpenſatio firma perſiſtet, quoadvſque revocetur: & conſequenter validus, & firmus erit Baptiſmus vi talis diſpenſationis ſub hac forma collatus: *Ego te Baptizo in nomine Ieſu Chriſti.* ¶ Dices oppoſitum videri diffinitum a Pelagio, & Zacharia. Reſp. *n.* 26.

Propugnatur ſententia negans.

22 HÆc ſententia negat, validum eſſe nunc temporis Baptiſmum collatum ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Ieſu Chriſti.* Quia ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio: ſed, elapſo tempore Apoſtolorum, ceſſavit cauſa diſpenſandi in lege illa generali, qua Baptiſmus fuit inſtitutus ſub hac forma, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ergo, tempore Apoſtolorum elapſo, non fuit validus Baptiſmus ſub hac forma. *Ego te Baptizo in nomine Ieſu Chriſti.* Propter hanc rationem Scotus *ibi verſ. Quid ergo* concludit: *Non audeo dicere, quod baptizatus hodie in nomine Chriſti eſſet baptizatus.* Igitur Scotus ibi (dubitativè, aut problematice) defendit hanc ſententiam; quam hic etiam defendere tenemur Scotiſtæ: eamque abſolute defendunt a fortiori AA. qui dicunt tempore Apoſtolorũ non fuiſſe validum Baptiſmum

colla-

Collatum ſub nomine Chriſti : quos retulimus *n.* 15. eſtque hac tempeſtate ſatis communis. Immò exiſtimant aliqui, præcipuè Vazquez *diſp.* 143. *cap.* 3. *à num.* 10. *& G. Hurt. diſp.* 1. *diff.* 9. *Sic fuiſſe definitum à Zacharia Papa, can. In ſynodo de Conſecrat. diſtinct.* 4. *& à Pelagio in can. Multi eadem diſtinct. & ab aliquibus alijs Pontificibus.* Pro qua demùm adducit præcitatus Vazquez multos PP. quorum alij dicunt, formam ad baptiſmum neceſſariam eſſe ſub expreſſione perſonarum Trinitatis. Alij autem addunt, Baptiſmum alitèr collatum eſſe irritum.

23 Sed contra hanc ſententiam objicies fundamentum oppoſitæ, quod *à n.* 19. expendebamus ſic : tempore Apoſtolorum fuit validus Baptiſmus collatus in nomine Chriſti propter ſpecialem diſpenſationem: ſed non cõſtat, revocatam eſſe diſpenſationem : ergo etiam nunc eſt validus, præſertim ſi alicubi gentium reperiretur eadem ratio, ſeu cauſa, ob quam tempore Apoſtolorum fuit diſpenſatum, vt baptizaretur ſub nomine Ieſu Chriſti.

¶ Confirmatur ex dictis *num.* 20. vbi ſtatuimus, ſubſiſtere diſpenſationem, dum non revocatur, etiam ſi ceſſet cauſa, propter quam fuit diſpenſatum. Reſp. negando conſequentiam : quia in omni diſpenſatione ſubintelligitur, ſolùm diſpenſationem debere ſubſiſtere, quandiù durat cauſa, propter quam primò fuit diſpenſatum : vt cum multis docet Sanchez *tom.* 3. *de Matrimon. lib.* 8. *diſp.* 30. *num.* 14. Vnde patet ad confirmationem. Immò, addo, adhuc abſtinendo ab hac doctrina, & oppoſita admiſſa, invalidum hodie fore Baptiſmũ collatum in nomine Chriſti D. etiam ſi validus fuerit tempore Apoſtolorum: quia vt innuit Scotus, *ibi verſ. Primum probatur, & verſ. Conſimiliter*) diſpenſatio non fuit abſoluta, ſeu pro omni tempore, ſed ſolùm pro tempore Apoſtolorum in primitiva Eccleſia: & conſequenter, illo tempore elapſo, ceſſavit diſpenſatio.

¶ Dices, poſſe contingere, quòd alicubi Gentium reperiatur eademmet ratio, aut cauſa, propter quam data eſt diſpenſatio tempore primitivæ Eccleſiæ: ergo etiam nunc validè conferetur Baptiſmus ſub nomine Chriſti D. Reſp. negando conſequentiam: quia cum illa diſpenſatio nõ fuerit abſolutè pro quocunq; tempore, ſed determinatè pro tempore naſcentis Eccleſiæ; illo elapſo, etiam ſi reperiatur eadẽ cauſa, non ſtabit diſpenſatio. Ex hoc autem, quòd nunc alicubi gentium reperiatur eadem cauſa, aut ratio, ſolùm infertur, dari ſufficientẽ cauſam diſpenſandi: non autem, quòd datur legis diſpenſatio: ad hoc enim requiritur, quòd à ſuperiori lex relaxetur. Quare autem tempore Apoſtolorũ diſpenſatum fuerit, vt eſſet validus

Baptiſm' datus ſub nomine Chriſti D. non autem nunc, etiam ſi exiſtat eadem cauſa, pendet ex voluntate divina: ſicut, & quòd tunc temporis Spiritus Sanctus deſcendens ſuper fideles, præcipuè ſuper confirmatos, faceret, eos loqui diverſis linguis, & prophetare: quod poſtea in aliarum gentium converſione non contigit, ſaltem adeo frequenter.

Explicantur auctoritates vtriuſque ſententiæ.

24 Conſtat ex dictis *à n.* 18. probabiliter nos defendere tam ſententiam, quæ affirmat, validum eſſe Baptiſmum nunc temporis collatum ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Ieſu Chriſti*; quàm ſentētiam, quæ hoc negat. Quia tamen pro vtraque ſententia adducuntur Patrū auctoritates ſatis difficiles, ideò conſultò illas in præſenti diſtuli explicandas. Igitur breviter poteſt reſponderi omnibus, nullam illarum nos vrgere. PP. enim de hac re ſunt diviſi oppoſita ſentiētes: & ideò liberum eſt vnicuique iſtis, vel illis aſſentire, venerata aliorum auctoritate. Quod autem PP. ſint de hac re diviſi, cōſtat *ex n.* 19. vbi pro ſententia affirmativa citabamus *Nicolaum Papam, Ambroſ. Bernard. Bedam, & Hugonē à Sācto Victore.* Immò & tranſcripſimus verba Nicolai, quibus hęc pars videtur definita. Pro ſententia vero negativa adducuntur (*præcipuè à Vazq. diſp.* 143 *c.* 3. *à n.* 13. *& à G. Hurt. diſp.* 1. *diff.* 9.) *Clemens Roman. Dionyſ. Areopagita, Athan. Baſil. Damaſc. & alij.* Immo exiſtimant, ſentētiam iſtā eſſe definitā à Pontificibus Zacharia, & Pelagio, quos *n.* 22. citavimus.

25 Igitur, etſi à quacūque Patrū auctoritate facile vtraq; ſententia ſe expediat dicēdo PP. eſſe diviſos. Tamen Pontificū decreta non ita facilè explicātur. Quare ſingillatim ſunt videnda. ¶ Pro ſententia affirmativa adduximus *n.* 19. Pōtificem Nicolaū, qui ſatis expreſſè videtur affirmare, Baptiſmū poſt tempora Apoſtolorum collatum nomine Chriſti eſſe validum. Reſp. (omiſsis varijs ſolutionibus, quas adducit, & & refutat Vazq. *diſp.* 143. *c.* 4. *à n.* 24.) cum ipſo ibi *à n.* 28. (*qui citat Canum, & Sotum*) *cum Ægidio q.* 66. *art.* 6. *n.* 53. *& cum G. Hurt. diſp.* 1. *diff* 9. Pōtificem loquutū fuiſſe vt privatū Doctorem. Itaque in prædictis verbis reſpondet definitivè, aut definiendo id, de quo fuerat interrogatus, nempè an eſſet validus Baptiſmus collatus à Iudæo, vel à Pagano? Diffinit ergo validè poſſe Iudæū, aut paganum baptizare. Poſtea verò per accidens ad interrogata, & vt Doctor privatus addit ſuam ſententiam, nempè valere Baptiſmū datum ſub nomine Chriſti tātū; de quo nullatenùs fuerat interrogatus. Quod probatur ex illa regula generali, quæ communiter

tradi-

traditur ad cognoſcendū, quādo Papa loquitur, vt Pontifex; quādo vero vt Doctor particularis, quæ talis eſt. Tunc Pontifex loquitur ex Cathedra, ſeu definit, quando reſpondet directè ad illa, de quibus interrogatur. (ſi aliàs ſunt pertinentia ad fidem, vel ad mores) Quando verò aliqua alia docet, vel tamquam fundamentum, aut exemplum ſuæ definitionis, aut alioquovis modo ad interrogationem non pertinētia directè; tunc vt privatus Doctor procedit.

26 Sententiam autem negantem, validum fuiſſe Baptiſmum poſt tempora Apoſtolorū datum ſolùm ſub nomine Chriſti, definiſſe videntur duos Pontifices, nempe Pelagium, & Zachariam, quorum verba adducit Vazq. ibi *cap. 3. à n.* 10. Reſpondetur, hos Pōtifices loqui, vt Doctores particulares. Ita *Iribarne diſp. 9. q. 3. §. Sed contra reſponſionem, Canus lib. 6. cap. 8. §. Ad ſeptimum & Suar. diſput. 21, ſect. 3. in fine.* Reſpōd. ſecundo. in nullo oppoſitæ ſententiæ nocere. Pelagius enim affirmat, rebaptizādos eſſe eos, qui in nomine Chriſti ſunt baptizati; non quia exiſtimet talem Baptiſmum fuiſſe nullū abſolutè; ſed quia probabiliter fuit nullus: & ideò debet ſub conditione reiterari: ſicut fit, quoties miniſter circa materiam, aut formam alicuius Sacramenti ad ſalutem neceſſarij vtitur opinione probabili. ¶ Zacharias autem docet, non eſſe perfectè baptizatum eum, qui ſine expreſsione perſonarum recepit Baptiſmum: quod ideo dicit, quia eius Baptiſmus eſt dubius, ſeu ſub opinione poſitus: atque adeò ſolus ille Baptiſmus erit perfectus, ſeu ſecurus qui datus eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. ¶ Ferè eodem modo ſunt intelligenda verba, quæ ſubdit: quibus approbat id, quod fuerat diſpoſitum, nēpè quòd rebaptizarentur omnes, quando incognitum erat, an baptizantes nominaſſent Trinitatem. Et ſubdit pro ratione, *vt qui vel vnam de Trinitate perſonā in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe non poſſe.* Merito ergo dicit, eſſe rebaptizandos: quia non exprimendo nomina perſonarum Trinitatis; Baptiſmus eſt dubius, aut ſub opinione. Quando autem dicit, quòd tunc Baptiſmus eſſe non poteſt; loquitur de Baptiſmo certo, & ſecuro; non autem de dubio, & probabili. ¶ Adde, hanc Zachariæ auctoritatem ſaltare extra chorum: non enim loquitur de Baptiſmo collato non in nomine Chriſti ſed de Baptiſmo, in quo vna ſaltèm, vel alia Trinitatis perſona non fuit nominata: vt ſatis declarant præcitata illa verba: *qui vel vnam de Trinitate perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe nō poſſe.*

Quid

Quid ſit obſervandum in praxi.

27 EX dictis conſtat, vtramque ſententiam adhuc hac noſtra tempeſtate eſſe probabilem. Tamen vtraque pro praxi non eſt ſecura: atque adeo non eſt in praxi vtendum ſententia, quæ affirmat, etiam poſt tempora Apoſtolorum validum eſſe Baptiſmum datum ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Ieſu Chriſti.* Quia ſi in re nunc temporis non ſubſiſtit diſpenſatio, Baptiſmus eſt nullus; fitque proximo ingens iniuria, & fortè irreparabile damnum ſalvationis. Quare miniſter vtens prædicta forma (idem eſt de quacumque alia diſtincta ab iſta: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*) peccat mortaliter: vt notat Scotus *in 4. diſt. 3. q. 2. §. Tertio de forma verſ. Sed an modo.* Quod verum eſt, niſi alias immineret mors, vel aliud damnum miniſtro ex vſu prædictæ formæ. Vt ſi fingamus v. g. miniſtro minaſſe mortem aliquem, ſi non vteretur hic & nunc hac forma: *Ego te baptizo in nomine Chriſti.* Tunc enim licitè poſſet vti prædicta forma; omiſſa illa, qua communiter vtitur Eccleſia: Non enim eſt facilè credendum, piam matrem Eccleſiam tāto rigore obligare miniſtrum ad vtendum forma à ſe præſcripta: (ſuppono in hoc caſu imaginabili tantùm, non cogi miniſtrum ad omittendum formam communem baptizandi in contemptum Eccleſiæ: ſi enim hoc animo miniſtro manifeſtato peteret tyrannus prædictæ formæ omiſſionem, potiùs ſubiturus eſſet mortem miniſter, quā omittere formam, qua vtitur Eccleſia.) quando poteſt hic defect⁹ poſteà ſuppleri rebaptizando illū. Recolantur quę diximus *in tract. de Sacram in genere cap. 3. à n. 107.* Quibus addit Scotus nupèr citatus *verſ. Circa iſtum,* quod *vniverſaliter in omnibus dubijs quantum ad materiam, & formam ſunt tres maximæ. Prima eſt: ſi poſsibilitas adeſt, via tutiſsima eſt eligenda. Secunda, ſi non adeſt poſsibilitas, via tutiſsimæ proxima eſt tenenda. Tertia: ceſſante impoſsibilitate, cautè eſt ſupplendum, quod impoſsibilitas prohibebat*: hoc eſt (ad noſtrū intentum) Baptiſmus ſub coditione eſt reiterandus. Nota obiter, parū referre, quòd conditio verbis exprimatur, aut mente retineatur.

DVBIVM VIII.

28 PEtes 8. an Baptiſmus collatus ſub hac forma (*Ego te baptizo in nomine Trinitatis*) ſit validus? Reſp. negativè. Quia ex inſtitutione Baptiſmi requiritur expreſſio nominum trium perſonarū: vt conſtat ex illis verbis *Matth. vlt. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* & aliàs non cōſtat, aliquādo fuiſſe diſpenſatū, vt Baptiſmus conferretur ſub hac forma; (*baptizo te*

in

in nomine Trinitatis) ſicut diſpenſatu eſt, vt baptizaretur in nomine Chriſti: ergo non apparet, vnde poſsit eſſe validus prædictus Baptiſmus. Ita Scotus *in 4. d. 3. q. 2. §. Tertio de forma verſ. De nomine, Fabro diſp. 8. c. 3. n. 15. & communiſſime AA.* præſertim quotquot affirmant, eſſe de eſſentia formæ Baptiſmi expreſſam invocationē trium perſonarum Trinitatis. *Hi ſunt Scotus, D. Thom. D. Bonav. Alenſis, Ricardus, Altiſiodorenſis, & Paludanus, quos citat, & ſequitur Suar. diſp. 21. ſect. 3.*

29 Sed oppoſitum defendunt *Magiſter, & Adrianus, immo & Ambr. Bern. Beda, Hugo Victorin. & Nicolaus Papa n. 12. citati.* Igitur objicies horum PP. auctoritatem. Reſp. PP. eſſe diviſos; atque oppoſitū defendere illos præſertim, qui exiſtimant, poſt tempora Apoſtolorū Baptiſmum collatū in nomine Ieſu Chriſti eſſe invalidū. Hi PP. ſunt *Clemens Romanus, D. Dionyſius, Athan. Baſil. Damaſc. & alij citati n. 24.* Quibus communiſsima Theologorum ſententia ſubſcribit. Imo aliqui exiſtimāt, Pelagiū & Zachariam Papam definiſſe noſtram ſententiā. Et quāvis dixerimus *n. 26.* quo modo hi Pontifices ſint intelligendi; tamē apertè ſunt pro hac noſtra ſententia. ¶ Dices, quod Nicolaus Papa (cuius verba retulim⁹ *n. 29.*) definit oppoſitam ſententiam. Reſpondetur negando: loquitur enim vt Doctor particularis: vt diximus *num. 25.*

DVBIVM IX.

30 PEtes 9. an ſit de neceſsitate formę Baptiſmi, quod in ea exprimatur vnitas eſſentiæ? Reſp. affirmative. Quia in Concilio Florentino reddendo rationem, cur Baptiſmus Græcorū ſit validus, dicitur: *Quoniam in ea exprimitur actus baptizandi, & invocatur ſancta Trinitas, ex qua vt cauſa principali habet virtutē Baptiſmus:* ergo ex mente concilij ad valorem formæ Baptiſmi eſt neceſſarium, quod exprimatur myſterium Trinitatis. Sed nō poteſt exprimi, niſi exprimatur vnitas eſſentiæ: ergo neceſſarium eſt exprimi. Exprimitur autem per ly *in nomine*: quia iuxta communem Patrum intelligentiā ly *in nomine* poſitum in forma Baptiſmi idē ſignificat, ac in virtute, poteſtate, aut maieſtate divina; quæ vnica, & indiviſibilis eſt in omnibus perſonis Trinitatis. Ita omnes Scholaſtici; immo eſt concors Patrum ſentētia per ly *in nomine* denotari auctoritatem vnius divinitatis in tribus perſonis. Sufficiat D. Amb. *lib. 2. de Sacram. cap. 7.* ſic locutus: *In vno autem nomine baptizare nos iuſsit, hoc eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Noli mirari, quia dixi vnum nomen, vbi eſt vna ſubſtantia, vna divinitas, vna maieſtas.*

31 Vnde infertur, invalidum eſſe Baptiſmū collatum ſub hac forma: *Ego te baptizo in nominibus*

bus Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti. Amen. Quia ſic non declaratur eſſentiæ vnitas, maieſtas, aut poteſtas. ¶ Valet tamen replicando ly *in nomine*, ſeu dicendo: *Baptizo te in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti. Amen.* Quia tunc non denotatur pluralitas eſſentiæ: vt diximus *num.* 5. ¶ Infertur ſecundò, non valere Baptiſmum ſub hac forma: *Ego te baptizo in fide, ſeu in confeſsione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Quia ſic non ſignificatur vnitas, maieſtas, aut auctoritas Dei. Ita *communiter Scholaſtici contra Hugonē, Alenſem, & alios.* ¶ Infertur tertio, non valere Baptiſmum, ſi omittatur ly *in nomine*, aut aliud æquivalens. Quia non exprimitur vnitas eſſentiæ. Quare non eſt ſufficiens forma iſta: *Baptizo te in Patre, Filio, & Spiritu Sancto*; aut *in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.*

Dvbivm X.

32 PEtes decimò, an ſit de neceſsitate formæ baptiſmi invocare tres Divinas Perſonas ſub conſuetis nominibus? Reſpondetur affirmativè. Quia ſub his nominibus tradita eſt forma à Chriſto Domino, vt conſtat ex *Matth. vltimo baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ergo ſubſtantialiter variatur forma, (quoad modū ſignificandi; non quoad ſignificatu; vt putat Suarez, intellexiſſe Scotum) ſi dicamus; *in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*; aut *in nomine primæ, & ſecundæ, & tertiæ perſonæ.* Patet conſequentia: quia etſi hæc nomina *Pater & genitor* ſignificent eamdem primam Trinitatis perſonā; differunt in modo ſignificandi: *Pater* enim ſignificat primā perſonam ſub ratione propria, aut prima, aut eſſentiali perſonæ: genitor autem ſignificat illam ſub aliqua ratione proprietatis, aut ſecundaria. (Idem dicendum eſt de nominibus Filij & geniti; necnon & de Spiritus Sancti, & procedentis ab vtroque.) *Et bene probabile eſt* (ſubdit Scotus citandus) *in aliqua invocatione nomen perſonæ habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis perſonæ: petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Ioannis, citiùs impetraretur, quàm ſi loco nominis proprij poneretur nomen ſignificans proprietatem ſuppoſiti.* Confirmatur à D. Thom. citando: ſicut enim ſola aqua vſualis electa fuit à Chriſto Domino pro materia Baptiſmi: (excludendo aquam roſaceam, & alios liquores, etiā ſi poſsint lavare, & mundare) ita elegit pro forma illas voces, quæ faciliùs, & aptiùs perſonas ſignificant, excludendo alias, licet idem ſignificent. Ita *Scotus in 4. diſt. 3. quæſt 2. §. Tertio de forma verſ. De nominibus D. Thom. 3 part. quæſt. 66. art. 5 ad 7. D. Bonav. Alenſ. Ricardus Durandus, Palud. Marſilius*

lius, Gab. & Altiſiod. quos citat Suar. diſp. 21 ſect. 4 Item Vazquez diſput. 14. cap. 2. à num. 3. Gaſp. Hurt. diſp. 1. diff. 10. & communiſſimè Theologi.

33 Sed *Gloſſa in canonem Multi de conſecratione diſt. 4 Caiet. q. 66. art. 5. & Victoria in ſumma §. 14. de Baptiſmo* docent, ad eſſentiam formæ Baptiſmi non eſſe neceſſarium exprimere perſonas divinas nominibus conſuetis *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* ſed ſufficere, eas exprimere nominibus genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque: immo & quibuſcumque alijs æquivalentibus, (quāvis non ſint ſynonyma) quibus ex vſus accommodatione poſsint exprimi. In quod inclinat Ægidius *quæſt.* 66. *num.* 55. nec multum diſſentit Suar. *diſp.* 21. *ſect.* 4. dicit enim. *At vero ſpeculatiuè poteſt opinio Caietani probabiliter teneri: habet enim fundamenta non parvi vrgentia, & apparentia.* Igitur obijcit hæc ſententia: Florentinum in decreto fidei reddens rationem, cur forma Græcorum ſit valida dicit: *quia in ea denotatur actio miniſtri cum invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis:* ergo ſatis erit, exprimere diſtinctè Trinitatem, quovis modo invocetur. Reſpond. negando conſequentiam. Concilium enim ſolùm determinat, invocationē Trinitatis eſſe neceſſariam: qualiter autem debeat fieri, relinquit praxi Eccleſiæ, & Theologorum iudicio. Quare cum tam in noſtra, quàm in Græcorum forma tres divinæ perſonæ ſub conſuetis nominibus invocentur; non eſt, vnde inferamus, formam ſub alijs nominibus eſſe ſufficiētem.

34 Obijcit ſecundo: illa variatio ſolum eſt accidentalis: ergo valida erit forma illa. Patet conſequentia ex dictis *in tract. de Sacram. in genere cap. 1. à num.* 48. Vbi ſtatuimus tamquam certum, accidentalem variationem materiæ, aut formæ Sacramentorum non invalidare Sacramentum. Reſpond. diſtinguendo antecedens: ex vi vocum, ſi grammaticaliter ſumantur, concedo, aut omitto: quia tam vox *Pater*, quam vox *genitor* ſignificant primam perſonam; licet diverſo modo: vt *num.* 32 notabamus: ſi tamen theologicè ſumātur, ſeu quatenùs à Chriſto Domino ſunt inſtitutæ pro forma Baptiſmi, nego. Voluit enim Chriſtus Dominus accipere pro forma huius Sacramenti voces, quæ & ſignificarent perſonas ſub prima ſua conſtitutione, & quæ alias eſſent magis communes, & vſitatæ: ſicut pro materia Baptiſmi ſolùm accepit aquam vſualē.

¶ Dices: ergo Græcus v. g. proferens formam idiomate Hiſpano [illegible] non baptizabit. Patet; quia Græcis Hiſpanum idioma non eſt vſuale. Reſpondetur negando. Ad probationem dico, elegiſſe Chriſtum Dominum pro forma Baptiſmi verba vſitata, quibus perſonæ divinæ ſignificantur per pri-

primum illarum conſtitutivum, non determinando hoc, aut illud idioma. Quare ſi in illo idiomate, in quo forma profertur, ſint & vſitata, & ſignificent perſonas divinas per primum conſtitutivum illarum, ſunt forma ſufficiens; licèt aliàs proferantur ab alio alterius idiomatis, immo omninò ignaro idiomatis, in quo tūc forma profertur.

Dubium XI.

35 Petes vndecimò, an ſit validus Baptiſmus collatus ſub hac (vel ſimili) forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ?* (vel *omnium Sanctorum*) Reſpond. negativè. Quia per ly *in nomine* denotatur vnitas eſſentiæ, aut maieſtatis divinæ, (*ex num.* 30) hoc eſt, ita perſonas divinas eſſe vnū in eſſentia, virtute, &c. vt in illa eſſentia & ſint tres perſonæ, & non ſint plures: ſic enim ſalvatur myſterium Trinitatis. Inſuper per ly *in nomine* denotatur Baptiſmum confici, atque eius effectus conferri virtute, & poteſtate Trinitatis. Sed additio illa (*& B. Mariæ*) denotat, divinam eſſentiam, maieſtatem, aut poteſtatem eſſe communem B. Virgini: (& conſequenter ponit quaternitatem, immò aliquid creatū in divinis) necnon & denotatur, quod virtute, & poteſtate illius conficitur Baptiſmus; conferuntur que effectus huius Sacramenti: ergo reddit invalidum Baptiſmum defectu veritatis formæ. Pro hac ſententia Diana 2. *part. tract.* 15. *Reſolut.* 48. citat *Iacobū de Graſſis, Hoſtienſem, Archidiaconum, & G. Hurtado* (*à me non inventum*) *additque de prædicto Baptiſmo dubitare Rubeum, & noſtrum Pitigianum.* Sed, quidquid ſit de mente horum Auctoru, ego pro me adduco Scotum *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. §. *& verſ. De ſecunda* verbis illis: *dico, quòd, ſi aliquid addatur repugnans verbis principalibus formæ, vel diminuens verba illa, nihil fit*: quia, vt conſtat ex dictis additio iſta (*& B. Virginis*) repugnat vnitati eſſentiæ in tribus perſonis: cum ex vi verborum denotet in divina eſſentia eſſe quaternitatem perſonarum, immo & aliquid creatum, nempe B. Virginem. Inſupèr & repugnat; eo quod per illam additionem (*& B. Virginis*) denotatur, quod eo modo, quo virtute Trinitatis cōficitur Baptiſmus; & conferuntur effectus illius: ita & virtute, aut potentia B. Virginis.

36 Sed multi exiſtimant, in prędicto Baptiſmo eſſe diſtinguēdum: admittuntq; noſtram ſententiam in caſu, quod Sacerdos, aut alter baptizans intendat baptizare in nomine B. Virginis; ſicut in nomine Trinitatis. Sin autem per talem additionem ſolū intendat invocare interceſsionē Virginis in auxilium baptizati; dicunt, additionem non repugnare veritati formæ Baptiſmi; & con-

conſequenter, dari tunc verum Baptiſma. Ita *Bonacina diſput. 2. quæſt. 2. puncto 4. num. 16. Suarez Coninch, Henriq. Durãdus, & alij, quos citat, & ſequitur prædictus Diana.* Et obijciunt: etſi verba omnia præfata ſimul ſumpta ſignificent errorem cõtrarium formæ; verba tamen eſſentialia, etiã vt hic, & nunc proferuntur, tàm ex intentione proferentis, quàm ſecundùm commune Chriſtianorum audientium iudicium determinantur ad ſignificandum, quod Baptiſmus confertur in virtute Sanctiſsimæ Trinitatis tantùm; & quòd B. Virgo invocatur, non vt conferat virtutẽ Baptiſmo, ſed vt intercedat pro baptizato: ergo ex illa additione non evadit invalidus Baptiſmus. Patet conſequentia: ſic enim additio illa nihil ponit contra veritatem formæ. ¶ Confirmatur; quia verba formæ prius tempore, quàm ponatur illa additio, integrè proferuntur, habentque integrum ſenſum tàm ex ſe, quàm ex intentione proferentis, atque ex audientium iudicio: ergo parum poteſt nocere prædicta additio.

37 Reſpondetur, voces independenter ab intentione proferẽtis, & audientium iudicio habere ſuam ſignificationem ex cõmuni vſu. Quare nequit miniſter per ſuam intentionem mutare verborum ſignificationem: & ideò cùm additio illa, quantum eſt ex ſua ſignificatione, denotet, Baptiſmum non minùs dari in virtute Virginis, quàm divinarum perſonarum, ſeu Virginem eſſe vnũ in eſſentia cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto; quantumcumque miniſter aliud intendat ſignificare, & quamvis mens, aut intentio miniſtri intelligeretur à præſentibus; non conficiet Sacramẽtum: ſicut fatentur omnes, non conficere, ſi proferret alia verba loco verborum formæ; (v. g. ſi diceret vnum Pater noſter) quãtumvis intenderet conficere; & quamvis aliàs admonuiſſet præſentes, per illa verba intendere, & ſignificare idem; ac per verba formæ Baptiſmi; nec non & baptizare. Et ratio eſt, quòd vt miniſter conficiat aliquod Sacramẽtum, & debet habere intentionẽ requiſitã; & debet applicare materiam, & formam a Chriſto D. præfixas.

38 Ad confirmationem dico, non tàm eſſe attendendum ad ſignificationem cuiuſcumq; vocis ſeorſim ſumptæ, quàm totius clauſulæ, aut propoſitionis: qua completè audita, remanet fixus conceptus audientis de mente, aut animo loquentis. Aliàs nihil operarentur termini reſtrictivi, aut ampliativi. Quod multiplici inſtantia comprobatur. Sufficiat iſta propoſitio: *Petrus eſt albus ſecundùm dentes*: quamvis enim prius tempore, quàm proferatur illa additio (*ſecundùm dentes*) audiens formaliter cõceptũ de Petro albo quaſi abſolutè,

& ſimpliciter, debuit tamen expectare ſignificationem integræ propoſitionis, vt maneret firm⁹, & omninò certificatus de mente, & intentione loquentis. Expendatur etiam, quòd ſicut poſita illa additione (*ſecundis dentes*) omninò fruſtraneè intenderet loquens ſignificare, Petrum eſſe abſolute album: ita in noſtro caſu omnino fruſtraneè dicitur, Baptiſmum non conferri in virtute Virginis: ſicut confertur in virtute, & poteſtate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Aptius fortè videbitur hoc exemplum prolata hac propoſitione *ſumptibus Petri, & Ioannis, & Franciſci ædificatum eſt templum*, omnino fruſtranee diceret loquens, ſe intendere ſignificare diverſimode concurriſſe Franciſcum, ac Petrum, & Ioannē. verba enim opponūtur eius intentioni. Ita in præſenti, prolata hac propoſitione, (*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virginis*) omnino fruſtrà intendit miniſter, facere diſtinctionem concurrendi ad conficiendum Baptiſmum, & ad præſtandum effectus illius inter tres diuinas perſonas ex vna parte, & B. Virginem ex alia: cū in verba ex ſe ſignificēt indiſtinctum, aut æqualem concurſum Virginis, ac Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

39 Ex dictis infero, Baptiſmū collatum ſub præfata forma eſſe reiterandū ſub cōditione: quia cū de eius valore ſint opiniones; contingere poteſt, quòd in re & ſit poſitus verus Baptiſmus, & quod in re non ſit poſitus. Et ideo conſulendo ſaluti proximi, debet reiterari, ne, ſi in re non ſit poſitus, privetur Baptiſmo. Conſulendo autē decentiæ, aut reverentiæ Sacramenti, debet apponi coditio, ne, ſi in re iam ſit receptus, Baptiſmus (quod eſt Sacramētū irreiterabile) reiteretur, ſaltèm ex intentione miniſtri.

Dubium XII.

40 PEtes 12. an forma ſimul proferri debeat, cum adhibetur ablutio? Reſp. affirmative. Quia ſic voluit Chriſtus D. vt cōſtat ex coveniētia DD. & praxi Eccleſię. Inſuper quia alias non verificabitur forma: *Ego te baptizo, &c.* Ita omnes DD. Inter quos eſt cōtroverſia de qualitate huius ſimultatis. Scotus autē *in 4. d. 6. q. 3. §. Ad iſtā vero. Dico ergo* rē iſtā ſic reſolvit: *Dico ergo, quod talis ſimultas requiritur, qualis requiritur in actibus humanis. Noluit enim Chriſtus, nos obligare ad tàm ſubtilem ſimultatem, quam vix poſſet homo percipere, vel ſervare.* Hāc Scoti ſententiam ſecuntur *Sotus, Suarez, Vazquez, & Ægidius, quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurt. diſp. 2. diff. 8.* Item *Henriq. noſter Vallalobos, Laiman, & Victoria, quos citat, & quorum ſententiam tamquā probabiliorē ſequitur Diana 3. p. tract. 4. Reſol. 6.*

41 Hinc reijcio ſententiam Gloſſæ *in can. Detrahe 1. quæſt. 1.*

aſſe-

aſſerentis talem coniunctionem ablutionis, & prolationis formæ requiri ad Baptiſmum, vt, ſi in vltimo inſtanti prolationis formæ non perſeveret ablutio, non fiat Sacramentum. Quia tunc no verificantur illa verba formæ: *Ego te baptizo.* Hoc tamen à Scoto, & Auctoribus noſtræ ſententiæ reijcitur ex noſtra concluſione, & eius fundamento. Etſi enim in rigore metaphyſico, aut phyſico tunc non verificentur prædicta verba formæ *Ego te baptizo*: tamen ad veritatem, & efficientiã Sacramentorum inter materiam & formam non requiritur ſimultas metaphyſica, aut phyſica; ſed politica, aut moralis, ſeu illa, quæ requiritur in actibus humanis. Quia nõ eſt credibile, quòd Chriſtus D. Sacramẽta, quæ ad moralem hominum vſum accommodata inſtituit, metaphyſico rigori adſtringere voluerit.

41 Reijcio etiam ſententiam, quæ inter ablutionem, & prolationem formę talem ſimultatem requirit, vt aliquid prolationis formę coniungatur cum ablutionis parte, vel cum tota ablutione; aut è contra, aliquid ablutionis cum tota prolatione formæ, vel cum aliqua parte illius. Ita *Richardus, Caietanus, Navarrus, & Zambranus, quos citat prædictus Diana. Item Gab. citatus à G. Hurtado ibi.* Immo vterque & communiter AA. pro hac ſententia citanr Scotum vbi ſupra: nec mirum; præbet enim haud parvam occaſionẽ exiſtimandi, eum huic ſubſcripſiſſe ſententiæ. Tamẽ germana eius mens conſtat ex verbis *n.* 40. relatis. ❡ Dices, quòd ſtatim explicando ſuam ſententiam, talem ſimultatem requirit ad valorem Baptiſmi, vt antequam finiatur prolatio verborum formæ cœperit ablutio; aut è cõtra. Reſpo id. verum eſſe. Scotum ſic ſuã ſententiam explicuiſſe: non tamẽ hoc fecit, quia exiſtimet, ſemper requiri inter materiam. & formã Sacramentorum hanc ſimultatẽ: ſed exemplificavit in illa ſimultate, quæ quamvis non erat metaphyſica; (ad hãc enim requiritur, quod ablutio, & prolatio formæ in eodem inſtanti inciperent; atq in eodem finirentur) ad oculum apparebat, & explicabatur: cùm aliquæ partes materiæ, & formæ ſimul phyſicè coniungerentur.

42 Quòd autem Scotus non ſemper requirat tantam, aut talẽ ſimultatem inter materiam, & formam huius, aut alterius Sacramenti; conſtat ex verbis ipſius *n.* 40. relatis: vbi ſolùm eam ſimultatem requirit, quæ requiritur in actibus humanis: in his autem nõ requiritur aliqua ſimultas phyſica ad verificandũ propoſitiones; ſed illud dicitur ſimul fieri cum alio, quod non multum ante, vel poſt fit cum illo. De quo paſsim reperiuntur exempla. Sufficiat iſtud: cùm enim dico: *Ego bibo*, dum accipio poculum in manu illud ori ſtatim applicaturus bibendi gratia: quamvis in rigore me-

taphyſico, aut phyſico tunc non bibam; moraliter, ſeu quoad vſus humanos exiſtimatur verũ. Immò, & in vſu Sacramentorum idem contingit, præſertim in Sacramento Pœnitentiæ: confeſsio enim peccatorũ, & reliqui actus pœnitentis multoties præcedunt ad prolationem formę; & tamen fit Sacramentum: & conſequenter materia, & forma habent ſimultatem ſufficientem. Non ergo requiritur aliqua ſimultas phyſica inter materiam & formam; ſed ſufficit moralis, aut politica ſeu, (vt loquitur Scotus *n.* 40. citatus) quæ requiritur in actibus humanis: vi cuius ſimultatis verificantur illa verba formæ Baptiſmi: *Ego te baptizo*, quamvis aliàs phyſicè tranſierit totalis ablutio: aut quamvis traſierit totalis prolatio formæ, ante quam incipiat ablutio; dummodo ſtatim ponatur, aut ablutio, aut formæ prolatio.

34 Admonendũ tamen ſemper eſt, quòd breviſsima mo[r]ula intercedat inter poſitionem materiæ, & formæ, quando non ſimul phyſicè ponuntur. Et quamvis ſpatium vnius orationis Dominicæ non videatur ſufficiens ad impediendum effectionẽ Sacramenti Vincentio Fernãdez de Heredia *diſp. de Sacrament. in genere part. 6. dub 2. num. 8.* Dianæ tamen, & mihi diſplicet: quia eſt longa diſcontinuatio. ¶ Eſt etiã advertendum, ſub conditione eſſe reiterandum Baptiſmum, quando in illius effectione defuit phyſica ſimultas: quia ſententia, quæ hanc requirit non eſt improbabilis, & conſequenter fortè in re eſt vera: atque adeò ſine illa nõ tenet Baptiſmus: vt in ſimili *num.* 39. notabamus.

CAP. IV.

De vnitate Baptiſmi.

Dvbivm I.

1 PEtes primò, qualem vnitatem habeat Baptiſm⁹? Reſpond. per aliquot ſuppoſita. Quare ſuppono primò, Baptiſmum eſſe vnũ. Quia *ad Epheſ. 4.* dicitur: *vnus Deus; vna fides; vnũ Baptiſma.* ¶ Suppono ſecundè, Baptiſmũ collatũ ſub hac forma *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amẽ.*) eſſe vnũ in ſpecie athoma. Quia non apparet, vnde diverſitas ſpecifica poſſit aſſumi: cùm materia, forma, & effectus eius in quocumque Baptiſmo ſint eiuſdem ſpeciei.

¶ Dices, Baptiſmium ſanguinis ſpecificè differre à Baptiſmo aquæ. Reſp. analogicè dici Baptiſmum; ſcilicèt quia tribuit effectũ Baptiſmi, nempè gratiam mundantem à culpa. Hinc translatum eſt nomen *Baptiſmus* ad ſignificandum martyriũ, aut paſsionẽ; iuxta illud *Marc. 10. Et Baptiſmo,*

quo ego baptizor, baptizamini: & Luc. 12. Baptiſmo habeo baptizari. ¶ Baptiſmus autem collatus in nomine Chriſti ſpecificè differt à noſtro Baptiſmo. Quia forma ſubſtãtialiter variatur quoàd modum ſignificandi: nam nomen *Chriſtus* implicitè importat tres divinas perſonas; (*ſignificat enim filium ſecundum naturam humanam, qui vnctus eſt: & dat intelligere Patrem, à quo vnctus eſt; & Spiritum Sanctum, quo vnctus eſt:* inquit Scotus *diſt. 3. quæſt. 2. §. Tertio de forma verſ. De prima*) quas Baptiſmus vſitatus explicitè ſub proprijs, & conſuetis nominibus ſignificat.

Dvbivm II.

2 PEtes ſecundò, an Baptiſmus poſsit iterari? Reſp. negativè. Quia hoc ſæpè definitũ fuit, præſertim *ab Eugen. IIII. & à Trident. ſeſ. 7. can. 9. de Sacram. in gen. & can. 11. de Baptiſmo.* Ratio autem à priori eſt voluntas divina per Eccleſiam declarata. Multas autem rationes congruentiæ adducit Scotus *diſt. 6. quæſt. 7.* Prima eſt, quòd inſtitutus eſt contra originale: quod tãtũ eſt vnũ, nec iterari poteſt. Secunda, quòd in Baptiſmo datur remiſsio omniũ peccatorum, etiam quoàd pęnã: ſi autem poſſet iterari, eſſet incẽtivum, aut inde homines ſumerent occaſionem peccandi, vt liberarentur à pęnis pro alijs peccatis debitis. Tertia, quia eſt ianua ad intrandum in militiã, aut collegium Chriſti D. Qui autem ingreſſus in aliquam militiã, aut collegiũ contra talẽ cõmunitatẽ, aut eius Caput delinquit; poteſt quidẽ reconciliari; non tamẽ iterũ ingreditur. ¶ Vnde infertur, non ſolùm mortaliter peccare eum, qui iteraret Baptiſmum; ſed etiam invalidè, & ſine vllo fructu id faceret.

Dvbivm III.

3 PEtes 3. an, cùm dubitatur de valore, aut validitate Baptiſmi, debeat iterari? Et qualiter? Reſp. eſſe convenientiã DD. quòd, quando prudenter dubitatur de Baptiſmo, (an ſcilicèt quis fuerit, vel non baptizatus?) aut de eius valore (nempè an Baptiſmus receptus fuerit validus?) Baptiſmus debet iterari. Aliàs ille, de cuius Baptiſmo, aut valore dubitatur, exponeretur periculo ſalvationis. Secũdo, quia Baptiſmus eſt ianua Eccleſiæ; & ingreſsio ad Eccleſiã debet eſſe omninò certa. ¶ Adduntquè, (reſpondendo ad ſecundum quæſitũ) iterationẽ iſtam debere fieri ſub cõditione. Alioqui miniſter exponeretur periculo rebaptizandi. Vtrũque definivit Alex. III. *in cap. De quibus:* vbi formam in caſu dubij conferendam ſic tradidit: *Si baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi non baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* ¶ Dices, quòd Leo 1. *epiſt. 37.* quæſitus de

remedio adhibendo cuidam, de cuius Baptiſmo dubitabatur; reſpondit abſolutè, baptizandum fore, nulla facta mentione alicuius conditionis: ergo in Baptiſmo conferendo propter dubium non eſt neceſſarium aliquam conditionem apponere. Reſpond. cum Vazq. *diſp.* 146. *cap.* 4. *num.* 23. in caſu, de quo Leo fuit interrogatus, non interveniſſe dubium, ſed ignorantiam: cumque nullæ rationes ſuaderent, illum, qui infantulus fuit in captivitatem ductus, eſſe baptizatum: meritò ſtatuit Pontifex, abſolutè eſſe baptizandum. ¶ Notant communiter, præcipuè Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 2. §. *Sed quæres*, ſufficere conditionē prædictam mentaliter apponere. In baptiſmo tamen ſolemni, & quando dubium eſt publicū, exteriùs eſt explicanda conditio, vt omnis occaſio ſcādali auferatur.

4 Notant etiam, dubium vocari illum, qui cunctabundus pēdēs nec ſcit, quam partem eligat; quia vtrimque ipſum premunt rationes ſuadentes partim ad aſſenſum, partim ad diſſenſum. Quæ dubitatio, ſi ſit circa materiam, aut formam, aut intentionem miniſtri conficientis Baptiſmum, dicitur dubium iuris: nam ius Sacramentorum petit, vt forma, materia, & intētio miniſtri ex vi ſuę inſtitutionis neceſſariò ponantur. Si tamen dubitatio ſit circa poſitionē Baptiſmi; dicitur dubium facti: quia de ipſo facto dubitatur. ¶ Igitur loquendo de Baptiſmo dubio dubietate iuris, ſemper eſt reiterandus Baptiſmus, quando fuit adminiſtratus in materia, aut forma, aut intentione miniſtri ſolùm probabili; immò & probabiliori. Quia tunc Baptiſmus manet dubius; vrgetque ratio noſtrę concluſionis.

5 Loquendo verò de Baptiſmo dubio dubietate facti, ſtandū eſt ponderi rationum prudentialium, vt poſsit repeti ſub conditione, vel abſolutè Baptiſmus. ¶ Vt autem iudicemus factum eſſe Baptiſmum, ſufficit atteſtatio vnius teſtis omni exceptione maior: (Teſtis omni exceptione maior dicitur ille, de cuius veritate nequit prudenter dubitari.) vt colligitur ex Leone I. & tenet Vazq. *diſp.* 146. *cap.* 4. *n.* 24. *ſecutus Paludanum, & Sotū.* ¶ Dices, quòd *in* 6. *Synodo can.* 84. dicitur: *quoties non inveniūtur firmi teſtes, qui eos abſque vlla dubitatione baptizatos eſſe dicant: neque ipſi propter ætatem de ſibi tradito myſterio, aptè reſpondere poſsint, debere baptizari.* Et *in Concilio Carthaginenſi* 5. *cap.* 6. idem dicitur, quoties non inveniuntur certiſsimi teſtes: necnon & in Concilio Africano *cap.* 59. atque in Concilio Vormacienſi *can.* 70. ergo non ſufficit vnus teſtis. Reſp. negando cōſequentiam: aut quia hæc cōcilia non loquūtur de dubio proprio; ſed de ignorātia, aut de illo, qui penitùs ignorat, ſe eſſe Baptizatum. Aut quia illa concilia

ſic

ſic communiter Authores intelligant, quod ſufficiat vnus teſtis fide dignus, aut omni exceptione maior: vt dicunt Authores præſertim *Suar. diſput. 22. ſectione 2. §. Quamvis & Vazq. diſp. 146. cap. 4. num. 24.*

6 In his, quæ generaliter diximus de reiteratione Baptiſmi, quando de eius valore dubitatur, conveniunt AA. Tamen pro pleniori intelligentia de Baptiſmo dubio dubietate facti aliquos caſus in ſpeciali proponunt, & decidunt in præſenti a nobis etiam ſequenti dubio reſolvendos.

DVBIVM IV.

7 PEtes quartò, an pueri expoſiti, ſeu qui reperiuntur ad valvas Eccleſiæ, aut alicuius domus, ſint ſub conditione baptizandi? Reſpond. affirmativè. Quia eſt ſufficiens præſumptio, non eſſe baptizatos: etenim impudicæ matres totæ incumbunt ſcelus ſuum tegendo; & parum, aut nil curant de ſpirituali ſalute prolis. Et ideò in hanc concluſionem conſpirant AA. loquendo in caſu, quòd infans eſt recenter natus; & aliàs nullo teſte, aut inſtrumento conſtat de illius Baptiſmo. ¶ Immò etiam ſi infans ex colore, & magnitudine videatur proles vnius menſis, eſt ſub cõditione baptizandus. Quia hęc indicia fallunt. Quippè quandoque infantes aliqui corpulentiores alijs naſcuntur; recens natus excedit corpulentiam alterius vnius menſis. Ita *noſter Villalobos tom. 1. tract. 5. diff. 7. num 4. Diana in Additionibus ad 2 part. Reſolut. 6. & Auſonius verbo Baptiſmus num. 8.*

8 Immo addo, eſſe ſub cõditione baptizandum infantulum, etiam ſi ſchedulam Baptiſmi ſecum habeat appēſam. Quia teſtimonium ſchedulæ ſuſpicionem aliquam generat, an ritè ſit collatus Baptiſmus: frequenter enim ſchedula ſignificat, Baptiſmum collatum fuiſſe a mulierecula: quæ tūc ſolicitudine partus nimis occupata, atque ſalvandæ prolis anxia prudenter præſumitur aliquē errorem in eſſentialibus cõmiſiſſe; videlicèt, aut in proferendo verba, aut in partem principalem abluendo. Ita *Machantius tract. 2 de Baptiſmo cap. 2. quæſt. 4. nec diſplicet Dianæ 5. part. tract. 13. Reſol. 85.* ſicque determinatum fuiſſe in Synodo Camaracenſi teſtatur prædictus Machantius. Et quamvis Ochagavia, & G. Hurt. quos citat, & ſequitur Auſonius *verbo Baptiſmus num. 8.* oppoſitū defendant, non ſunt audiendi: quia ſolùm nituntur in hoc, quòd per ſchedulam Baptiſmus redditur certus. Falluntur tamen; vt conſtat ex noſtro fundamento; ampliùſq; conſtabit ex nupèr dicendis.

9 Vlteriùs addo, ſub cõditione eſſe in Eccleſia baptizandū infantem, quē obſteſtrix domi baptizavit. Quia quoties obſteſtrices

baptizant, eſt prudens dubium, an omiſerint aliquid ex neceſſarijs ad conſiſtentiam Baptiſmi: tùm, quia ſubito neceſsitatis caſu turbantur: tùm quia nimis diſtrahuntur attendentes ad pericula matris, & prolis: & hinc oritur ſuſpitio ad iterandum ſub conditione Baptiſmum ſufficiens. Nec tollitur ſuſpitio ex eo, quòd tales obſtetrices ſint benè inſtructæ de neceſſarijs ad conſiſtentiam Baptiſmi. Perturbatio enim, & nimia diſtractio generat ſuſpitionē in præſenti, non autem obſtetricis ignorantia. Item non tollitur ſuſpitio ex eo, quòd ipſæ obſtetrices dicant, poſuiſſe omnia neceſſaria ad conſiſtentiam Baptiſmi: quia, quidquid ipſæ dicant, ſtat contra ipſas præſumptio propter turbationem caſus ſubiti, & propter diſtractionem multorum, quæ ſimul occurrūt; & quorum expeditio ab obſtetrice præſertim dependet. Ita *Sil vius in 3. p. D. Thom. queſt. 66. art. 9. dub. 2. & Molanus ſuæ practicæ tract. 4. cap. 3. affirmans, ſic diſponi in Paſtorali Mechlinenſi; & quòd conſentit Synodus Iprenſis ſub Martino Rithonio tit. 12. c. 5.*

10 Oppoſitum autem huius non ſolùm paſsim defendunt AA. ſed etiam praxi communiter ſervant: quia exiſtimant, obſtetrices à viris doctis edoctas, & examinatas de prolatione verborum, de ablutione facienda, atque de intentione ad valorem Sacramēti requiſita, ſufficienter, & ſecurè baptizare infantes in periculo mortis. Tamen ego non ſolùm de obſtetrice, ſed etiam de viro docto, & prudenti haberem alicuius defectus ſuſpitionem, ſi illum tot curis diſtractum, atque turbari ſubitæ neceſsitatis periculo viderem: experimur enim quotidie nos minoris ponderè ſarcinæ ſic premi, vt multa cura exhibita, vix poſsimus rebus, quibus occupamur, debitam attentionem adhibere, quin paſsim ab ea diſtrahamur; ſtatimque de peractis actionibus dubitemus. Igitur prędicta ſuſpitio de obſtetricis Baptiſmo non ſuboritur ab illius neſciētia, aut ab ignorantia; ſed à perturbatione ſubiti periculi, & neceſsitatis, atque de diſtractione mulieris tot, & tàm gravibus curis ſimul occurrētibus occupatæ. ¶ Sed adhuc pro pleniori dictorum in præſenti dubio intelligentia, illorumque firmiori comprobatione ſequens dubiū placuit examinare.

Dubium V.

11 Petes quintò, an peccet, qui Baptiſmum ſub cōditione præſtat non baptizato, quem certo ſcit non eſſe baptizatum. Reſpondetur affirmativè. Quia exercet actum otioſum, ſeu otioſè apponit conditionem, & contra vſum Eccleſiæ; quæ ſolùm iubet, apponi conditionem in caſu dubio. ¶ De qualitate autem huius peccati eſt controverſia

ſia inter AA. teſte Diana 3. *part. in Additionibus ad 2. part. Reſol.* 6. §. *Non reticiam*: exiſtimarunt enim multi, eſſe mortale baptizare ſub conditione eum, quem ſcio, non eſſe baptizatum. Ipſe tamen Diana, & Villalobos 1. *tom tract. 5. diff. 7. num. 2.* (quibus ſubſcribo) dicunt, ſolùm eſſe veniale. Idemque dicit Ludovicus de S Iuan de illo, qui ſub conditione baptizaſſet eum, quē cōſtat eſſe baptizatum. Et vtriuſque eadem eſt ratio, nempè eſſe actū otioſum: & conſequenter refundere in Baptiſmum malitia otioſitatis: quæ reſpectu Sacramenti eſt levis iniuria: vt advertit prædictus Ludovicus *in ſumma de Sacramento Baptiſmi q. 1. art. 8. dub. 2. concluſ. 2. ab ipſo Diana citatus.*

¶ Dices contra hoc poſterius: rebaptizans punitur à iure pœna irregularitatis, necnon & rebaptizatus: vt notant Scotus *in 4. d. 6 q. 8. verſ. Loquendo de ſcientia, & communiter AA*: ergo ius iudicat peccatum graviſsimū rebaptizare baptizatum. Patet conſequentia: quia pœna adeo gravis nō imponeretur propter levem culpā. Præterea rebaptizans agit contra inſtitutionem Baptiſmi: quod Sacramentū inſtituit Chriſtus D. initerabile. Reſpond. ita eſſe omnia prædicta loquendo de iterante Baptiſmum abſolutè: iſte enim habet animum repetendi Sacramentum Baptiſmi; & conſequēter opponitur inſtitutioni huius Sacramenti; quod Chriſtus Dominus initerabile inſtituit. Qui autem ſub cōditione iterat Baptiſmum ſine vrgente neceſsitate, non intendit novum Sacramentum Baptiſmi conferre: ſed ſolùm convincitur crimine levitatis, ſi levibus ſcrupulis agitatus ducitur ad repetendum Baptiſmum ſub conditione; vel ſi nulla adhuc levi ratione ductus id facit, tantū convincitur exercuiſſe actum otioſum: cum autem nec levitas, nec otioſitas ſint mortale, numquam erit mortale repetere Baptiſmum ſub conditione ſuper baptizatum.

12 Ex hac ergo iſtorum AA. & mea doctrina confirmo omnia, & ſingula, quæ dubio 4. dicebamus. Si enim ſolùm eſt veniale conferre Baptiſmum ſub conditione, adhuc in caſu, quòd cōſtaret eſſe baptizatum, vel non eſſe baptizatum eum, cui confertur; quando datur aliqualis ratio dubitandi; (vt datur in illo duplici eventu à *num.* 8. explicato) repetere Baptiſmum ſub conditione, nullum erit peccatum. Sicuti etſi verbū otioſum proferre ſit peccatum veniale; tamen aliquali neceſsitate interveniente, deſinit eſſe otioſum, & peccatum.

13 Expendo prætereà quàm ſine ſcrupuli vmbra conferatur ab omnibus confeſſarijs in Sacramento Pœnitentiæ abſolutio cenſurarum ſub conditione, nulla, aut ferè nulla, interveniente cauſa. Experimur enim, doctos, & timoratos in ferè omnibus

Q4 con-

confeſsionibus ſic abſolutionem impendere: *Si teneris aliqua cenſura, te abſolvo ab illa: deinde ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Inſuper concedo tibi gratias, & indulgentias, quas concedere poſſum.* Immo ad abſolvendum a peccatis ſub conditione, non ita ſtrictum præcedit examen; ſed quocumque ſcrupulo, aut metu interveniente de vſu rationis pueri; aut de materia pro confeſsione ſuppoſita, aut de vita infirmi, aut de eius dolore, docti, experti, & timorati confeſſarij peccatorum conditionatam impendunt abſolutionem ſine aliquo ſcrupulo irreverentiæ Sacramento irrogandæ. Cur ergo in Baptiſmo tam exactum examen requirunt AA. oppoſitę ſententiæ ad illum ſub conditione iterandum? Certè ratio me ſubterfugit; immo illam numquam me inventurum ſpero: præſertim cùm Baptiſmi ſub conditione collatio nullum afferat incommodum. Si enim ille, cui confertur, eſt iam baptizatus, vi conditionalis novus Baptiſmus non ſubſiſtit. Si autem non erat baptizatus conditionalis nihil operatur; & ſit verus Baptiſmus; atque proximi vtilitati, ſpiritualique ſaluti conſuli-tur.

Dubium VI.

14 PEtes ſextò, an aliquando ſit obligatio iterandi Baptiſmum? Reſpondetur affirmativè. Itaque quotieſcumque Parrocho cõſtaret, alicui ſuæ parrochię (ſivè infanti, ſive adulto) collatum fuiſſe Baptiſmum dubium dubietate iuris, vel facti, tenetur rebaptizare ſub conditione. Immo quicumque alius tenetur in caſu extremæ neceſsitatis, hoc eſt quando perſonæ dubiè baptizatæ imminet mors; & non adeſt copia alterius miniſtri. Quia charitas obligat ſub mortali, quod ſuccurramus proximo graviter indigenti. Sed tunc proximus eſt in periculo carendi hoc Sacramento, & effectu illius ad ſalvationem in parvulo, qui moritur, ſimpliciter neceſſario: immò & in adulto ferè ſimiliter eſt neceſſarius: etenim, etſi poſsit ſalvari per Baptiſmum flaminis, hoc eſt per actum ſupernaturalis contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia: tamen horum actuũ elicientia non ita facilis ab omnibus proclamatur: eſtque certum, de illa nos non poſſe certificari tanta certitudine; quanta certificari poſſumus de baptiſmi receptione, aut collatione. (dicunt communiter; etſi mihi non arrideat: cùm neque miniſter poſsit metaphyſicè certificari de cõſenſu recipientis: neque baptizatus de in-

intentione miniſtri) ¶ Propter rationem noſtræ concluſionis ſub mortali etiam tenetur adultus, qui ſcit ſibi collatum fuiſſe Baptiſmum dubium, ad petẽdum ſuam rebaptizationem. Quia lex charitatis obligat ad propriam ſalutem procurãdam; & ad evitandum contingentiam circa illam: quam contigentiam evitat, qui certum baptiſmum recipit: cum in eius receptione (ſi non erat Baptizatus) non ſolùm fiat per characterem de Familia Chriſti Domini, ſed etiam plenam peccatorum remiſſionẽ recipiat.

DVBIVM VII.

15 PEtes ſeptimò, an vnitas Baptiſmi requirat neceſſariò vnitatem miniſtri? (hoc eſt, quòd idem & proferat verba, & ſimiliter abluat) Reſpondetur affirmativè. Quia Deus ſic inſtituit. Congruentia autẽ eſt, quòd ſicut Deus eſt vnus principaliter agens; ita voluit, habere vnum miniſtrum in collatione Sacramenti. Præterea eſſet falſa hæc forma: *Ego te baptizo, &c.* non autem expedit confici Sacramẽtum per formam falſam. Ita Scotus *diſtinct. 6. q. 2. § & verſ. De ſecundo, D. Thom. q. 67. art. 6. Vazq. Suarez, Ægidius, & communiter DD. quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurtado diſp. 2. diff. 6* ¶ Vt de reijciendi ſunt Marii lus *in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. & Caiet. ad illum art. 6.* oppoſitum affirmantes in caſu extremæ neceſſitatis, nempè ſi infans eſſet ſtatim moriturus; & ſolùm adeſſent duo, quorum alter erat mutus; alter autẽ ſine brachijs ita, vt neque iſte poſſet abluere, neque ille verba proferre. Horum tamen ſententia plus pietatis, quàm veritatis, aut probabilitatis habet: & ideò reijcienda: quia tunc forma eſſet falſa.

DVBIVM VIII.

16 PEtes octavò, an vnitas Baptiſmi requirat vnitatem miniſtri? (hoc eſt, quod non ſimul concurrant plures integrè baptizantes; ſeu quorum quilibet, & proferat verba formæ, & ſimul abluat eumdem hominẽ) Reſpondetur negativè. Tamen claritatis gratia dico primò: in prædicto caſu verum conficitur Sacramentum Baptiſmi. Quia non eſt veriſimile, quòd vnus faciens annullet factum alterius. Sed, ſi vnus tantùm integrè proferret formam, & ablueret, conficeretur verum Sacramentum Baptiſmi: ergo: & quando plures concurrunt ſimul ponentes quidquid requiritur ad conſiſtentiam Baptiſmi. Ita Scotus *diſtinct. 6. quæſt. 2 §. & verſ. de primo, & eius diſcipuli; immò Fabro diſp. 18. n. 1 dicit, in hoc Theologos convenire. Idem tenent D. Thom. q. 67. art. 6. noſtri Bonav. Alenſis, Richardus, & multi alij, quos citant, & ſequuntur*

aſſuntur RR. præſertim Vazquez diſp.148.c.1.n.1.

27 Notant tamen Scotus, & communiter, hanc concluſionẽ procedere in quocumque eventu, hoc eſt, ſive vnus illorũ priùs finiat verba formæ: ſivè omnes ſimul abluant, & proferant verba, ita vt vnus non finiat priùs alio. Solùm eſt differentia, quòd, ſi vnus priùs alio finit prolationem verborum, ab illo tantùm fit Sacramentum. Si tamẽ ſimul omnes, & abluunt, & proferunt verba, ab vno illorum tantùm. (quamvis dicat præcitatus Vazquez, quod conveniunt AA. noſtræ ſententię, ab vtroque verum perfici Sacramentum: manifeſtè tamen fallitur: ſaltem enim Scotiſtæ diſconvenimus) A quo tamen illorum, non determinat Scotus; immo *ibi verſ. Reſpondeo, difficile* fatetur, ita difficile eſſe hoc aſsignare, vt concludat ſic. *Reſponſionem quære.* Additioniſtæ verò dicunt, Deum pro libito ſuæ voluntatis acceptaturũ baptizationem huius, vel illius: & conſequenter nobis penitùs incertum eſſe, vi cuius miniſtri factus fuerit Baptiſmus. Ego autẽ cum quodam ex noſtris in manuſcriptis exiſtimo, quod ex cõgruentia Deus acceptaret Baptiſmum illius miniſtri, qui vel ſanctitate vel Eccleſiæ dignitate eſſet dignior.

28 Dices contra concluſionem, quòd a pluribus cauſis totalibus nequit idem effectus provenire: ergo quando plures ſimul concurrunt integre baptizantes, nequit confici vnus Baptiſmus. Reſpondetur, ex nuper dictis negando conſequentiam: quia ab vno illorum miniſtrorũ tantùm fit hic Baptiſmus. ¶ Cõtra: cauſæ eiuſdem virtutis ſimul concurrentes mutuò ſe impediunt, ne agant circa idem paſſum: ergo à nullo illorum fit Baptiſmus. Reſpondetur, ex Scoto *ibi verſ. Ad primum* negando cõſequentiam: quia antecedens ſolum eſt verum de cauſis phyſicis; non autem de moralibus. Quare poteſt Rex v. g. è pluribus æqualiter petentibus huius potiùs quã illius præces acceptare ad conferendum aliquod beneficium.

29 Dico ſecundò in dicto caſu ſolùm fit vnum Sacramentum Baptiſmi, Quia vnitas aut pluralitas Baptiſmi ſumitur ex vnitate, aut pluralitate ſubiecti; non autem ex vnitate, aut pluralitate miniſtri. Et ideo quando multi baptizantur ab vno, & eodem miniſtro omnes ſimul abluente, omnes remanent baptizati, ſeu multa fiunt Baptiſmi Sacramenta. Ita Scotus *ibi verſ. Ex iſto, D. Th. q. 67. art. 6. in corpore, Sotus, Paludanus, Marſilius, & Durandus, quos citat, & ſequitur Vazq. diſp. 148 c. 2. num. 9. Item Ochogavia q 13.* ¶ Sed *Gab. Caiet. & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 2. diff 5.* affirmant, tũc eſſe plura numero Sacramenta Baptiſmi: & obijciunt: in noſtro caſu

caſu reperiuntur plures ablutiones paſsivæ: (etſi ſint eiuſdem hominis) ergo ſunt plura Sacramenta. Patet conſequentia: quia quælibet illarum ablutionum eſt materia totalis; (vt ſuppono) & aliàs ei adiungitur forma. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dico, inde probari quidem quemlibet illorum ponere omnia neceſſaria (quantum eſt ex parte ſua) ad efficiendum Sacramentum Baptiſmi: tamen non quilibet conficit, ſed ille ſolus, cuius factum Deus voluerit acceptare. Et ratio eſt, quòd ex inſtitutione divina hoc Sacramentum eſt initerabile: atque adeò ſubiectum eſt incapax recipiendi (ſive ſucceſsivè, ſive ſimul) duo Sacramenta Baptiſmi: et conſequenter ſicut ille, qui Petro iam baptizato applicaret novam ablutionem, cum forma, & intentione denuò baptizandi, non conficeret Sacramentum, non defectu materiæ, aut formæ, vel intentionis miniſtri; ſed defectu diſpoſitionis ſubiecti, aut propter incapacitatem illius, qui debet, non recepiſſe aliud Baptiſmi Sacramentum. Ita quando plures baptizantes ſimul concurrunt, vnum tantùm fit Sacramentum; non quidem quia vnuſquiſque illorum non ponit quidquid aliàs ſufficeret ad conficiendum Baptiſmi Sacramentum; ſed quia Deus propter indiſpoſitionem, aut incapacitatẽ ſubiecti, aut hominis, qui vnum tantùm poteſt recipere Sacramentum Baptiſmi, vnius miniſtri tantum factum acceptat.

30 Dico tertiò: illicitum eſt, plures ſimul eumdem baptizare. Quia moraliter numquam eſt neceſsitas ita baptizandi. Et ideò ſaltem exercent actum otioſum: ſi aliàs intendat quilibet illorum baptizare ſolùm ſub conditione in caſu, quòd alter priùs perfecerit ſuam baptizationem. Si autẽ abſolutè, & ſine conditione intenderent baptizare, eſſet grave peccatum: quia ſe exponeret vnuſquiſque manifeſto periculo rebaptizandi. Recolantur dicta *num.* 11.

Dubium IX.

31 Petes nonò: an, ſi plures eumdem baptizarent dicendo; *nos te baptizamus*, verum conficerent Sacramentum? Reſpondetur ſub diſtinctione. Quare dico primò. Si intendant partialiter concurrere, non fit Sacramentum. Quia ex inſtitutione Baptiſmi ab vnico miniſtro debet confici. ¶ Dico ſecundò: ſi intendat vnuſquiſque totaliter conficere, & ſimul cum prolatione formæ ponat ablutionem ſufficientem, conficitur Sacramentum: conſtat enim ex dictis *à num.* 26. vnitatem Sacramenti Baptiſmi non pendere ab vnitate miniſtri totaliter agente. Ita Durandus *in* 4. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 15. *Richardus, Marſilius, Maior,*

Maior, & Caietanus citati à Vazquez diſp.148. cap.5. n.35. Item Suarez diſp.25 ſect.3. & G. Hurt. diſp.2. diff.5. ¶ Sed tunc non cōfici Sacramentum, defendunt *D. Thom. D. Bonav. Alenſis, Gab. Silveſter, & Ledeſma, quos citat, & ſequitur, prædictus Vazq. ibi num.38. Item Ægidius quæſt. 67. num.43.* Et obijciunt: hæc forma: *Nos te baptizamus, &c.* ſignificat, miniſtros partialiter concurrere: ergo non fit Sacramentum ſub hac forma. Reſpōdetur negando antecedens: ly enim *nos* aliquando ſignificat, quemlibet ſub illo contentum concurrere partialiter ad aliquam actionem: vt cùm dicimus: *Nos navim trahimus; aut pondus portamus.* Aliquando autem ſignificat, quemlibet illorum totaliter operari: vt cùm dicimus: *Nos deambulamus; aut pugnamus, &c* aut cùm auctoritativè loquēdo dicit Rex aut Iudex. *Nos mandamus.* Igitur cùm ly *nos* ſit indifferens ad ſignificandum totalem, aut partialem concurſum, quando determinatur per intentionem miniſtri ad concurſum totalem, nihil obſtabit, quin per hanc formam (*Nos te baptizamus*) fiat verum Sacramētum. Sicut verè obſtat, quando determinatur ad partialem concurſum.

Dubium X.

32 **P**Etes decimò, an ſi [illegible] miniſter plures ſimu[illegible]tizaret ſub hac forma (*Ego vos baptizo, &c.*) teneret Baptiſmus? Et plura Sacramenta conficeret? Reſpondetur affirmativè, ad vtrumque. Primū patet: quia ponit omnia neceſſaria circa ſubiectum capax. Item conſtat ſecundum. quia tunc multiplicantur ablutiones paſſivæ, circa diverſa ſubiecta: ergo multiplicantur Sacramenta Baptiſmi. Ita Scotus *diſtinct 6 quæſt. 2 §. & verſ. De tertio, & communiter AA.* ¶ Dices: forma eſt vnica: ergo nequeunt fieri plura Sacramenta. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: (& negando conſequentiam) expreſſe, & formaliter, concedo: virtualiter, aut æquivalenter, nego: hæc enim forma (*Nos te baptizamus*) æquivalet his; *Ego ſimul cum alijs te baptizo; iſte ſimul cum alijs te baptizat, &c.* & conſequenter, cùm per multas materias diſtribuatur: virtualiter, aut per æquivalentiā eſt multiplex. ¶ Inſtabis, forma totam ſe communicat materiæ: ergo applicata vni materiæ nequit alteri ſe applicare. Reſpondetur diſtinguendo: forma phyſica, concedo: moralis; nego. Itaque formæ Sacramentorum licèt comparatæ ad materiam dicantur formæ, immo & for[illegible]æ phyſicæ, provt diſtinguuntur [illegible]ione ſigni: in rigore autem [illegible]ædam cauſæ morales par[illegible] quæ movent Deum ad [illegible]um effectum Sacramen[illegible]e potius debent reduci

ci ad genus cauſæ efficientis.

33 Notat Scotus ibi, & communiter AA. miniſtrum vtẽtem hac forma. *Ego vos baptizo, &c.* mortaliter peccare. *Quia non ſeruat formam ſibi impoſitam ab Eccleſia, niſi eſſet tanta neceſsitas, quòd immineret mors omnium; etſi quando ſingulos baptizaret ſigillatim, aliquis eorum foret moriturus antequam alios baptizaſſet.* (inquit Scotus.) Idem dicendum eſt propter eamdem rationem de illis, qui ſub hac forma baptizarent *Nos te Baptizamus, &c.* Itaque ſolùm ex eo, quòd mutarent formam, peccarent grauiter, (Recolantur dicta *n.* 31.) ſecundùm Scotum, & prædictos AA. quibus ego auctoritate potiùs, quàm ratione (haud libens) conſentio. Quare, ſi Scoti allatis verbis non premeret, dicerem cum Soto *in 4. diſt. 4. art. 4. §. Secundò arguitur*, ſolùm eſſe veniale, plures ſimul baptizare ſub hac forma. *Ego vos Baptizo, &c.* Quia hæc formæ variatio videtur leuis. Immò adderem, neque eſſe veniale, quando pluſquam decem ſimul concurrerent ad Baptiſmum ſuſcipiẽdum: ſolùm enim propter nauſiam toties repetendi Baptiſmum videtur mihi ſine aliqua culpa poſſe omnes ſimul baptizari ſub illa forma *Ego vos baptizo, &c.* Sic quippè præſumendum eſt de piæ matris Eccleſiæ intentione, nempè non adeò ſtrictè præfixiſſe iſtam formam Baptiſmi (*Ego te baptizo, &c.*) vt nolit, aliquali exiſtente neceſsitate, permittere tam exiguam variationem, ac reperitur vtendo iſta: *Ego vos baptizo, &c.* Quod mihi perſuadet, tùm quia non omninò acquieſco, materiam eſſe ſub mortali obligatoriam vti hac forma: *Ego te baptizo, &c.* Tùm quia, adhuc hoc admiſſo, poteſt aliquali neceſsitate oppoſitum permitti. Sicut etſi præceptum ſub mortali ſit ieiunium, multis de cauſis ceſſat præceptum: vt ſuppono.

34 Conſimiliter dicerem, non eſſe mortale vti hac forma *Nos te baptizamus, &c.* Quando plures eumdem ſimul baptizarent. (Loquor in caſu, quo quilibet intendat integrè baptizare: ſi enim hoc partialiter tantùm intendat, erit mortale vti prædicta forma: quia tunc non fit Sacramentum, iuxta dicta *n.* 31.) Et quidem hoc dicerem, (eſſetque magis conſequenter dictum ad illa, quæ dixi *n.* 11.) ſi aliàs auctoritas prædictorũ Auctorum, & fortè Scoti me non premeret. Quid ergo? Probabile mihi ſatis eſt, (abſtineo à Scoti, & aliorum auctoritate) ſolùm eſſe veniale, immò aliquando nullum peccatum, vti hac forma ad baptizandum plures: *Ego vos Baptizo, &c.* Recolantur dicta *num. præcedẽti.* Item probabile eſt mihi, ſolùm eſſe veniale vti hac forma, *Nos te baptizamus, &c.* Quãdo quilibet ex concurrentibus intendit integrè Baptizare. Recolãtur dicta n. 11.

CAP.

CAP. V.

De miniſtro Baptiſmi.

DVBIVM I.

1 PEtes primò: quibus conveniat validè baptizare? Reſpondetur, competere cuicũque perſonæ humanæ viatori. Quia ſic definiunt multa concilia, & clamant PP. (de quo paſſim RR.) Sufficiat nobis Eugenius IIII. *in ſuo decreto fidei* ſic loquutus. *In caſu autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus; ſed etiam Laicus, vel mulier; immò etiam paganus, & hæreticus baptizare poteſt.* Ratio autem à priori eſt divina voluntas, aut inſtitutio nobis per Eccleſiam revelata Ratio vero congruentiæ eſt, quòd ſicut piíſsimus Deus elegit pro materia Baptiſmi aquam, qua nihil eſt in liquoribus, immò & in natura communius: ita liberaliter largitus eſt prædictis omnibus poteſtatem baptizandi, ne, ſi aliqua eſſet ex parte miniſtri difficultas, aliquis fraudaretur ab hoc ſalubri, atque ad ſalutem neceſſario medicamine. ¶ PP. autem aliquot, atque concilia, quæ excludunt ab hoc miniſterio aliquas perſonas, (ſufficiat Iſidorus *lib. 2. cap. 25.* dicens: *conſtat, Baptiſmum ſolis Sacerdotibus tradi*) non loquuntur in caſu neceſsitatis: extra quam ob indecentiam excluduntur mulieres; & ob prudentem dubitationem de recta intentione excluduntur Iudæi, & hæretici. Immò ſecluſa quacunque dubitatione, vult Eccleſia, vt rectus ordo ſervetur in hoc miniſterio. Et ideò in præſentia Sacerdotis non adminiſtrat Laicus; nec fœmina in præſentia viri; nec bigamus in præſentia non bigami. ¶ Greg. autem II. *in Epiſtola ad Bonifacium* ſic loquutus (*quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*) ideò mandat rebaptizare baptizatos à paganis, quia non fuerant baptizati in nomine Trinitatis; non autem quia à paganis nõ potuerint baptizari.

2 Vnde reijcitur Calvinus exiſtimans, ſolum miniſtrum ad hoc deputatum poſſe validè baptizare: & obijcit: verba illa (*Matthæi vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.*) ſolùm dicta ſunt Apoſtolis: & conſequenter Epiſcopis, qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores: ergo iſti ſolùm poſſunt baptizare. Reſpondetur negando ſuppoſitum antecedentis; (& conſequentiam) nempè, tũc datam fuiſſe poteſtatem baptizandi: vt enim conſtat *ex cap. 1. à num. 13.* ante mortem Chriſti D. fuit inſtitutum, & adminiſtratum Sacramentum Baptiſmi: & conſequen-

ſequenter fuit inſtitutus miniſter illius. Matthæi autem vltimo fuit impoſitum præceptum baptizādi; fuitque tributum ius ordinarium exercēdi tale miniſterium. ¶ Obijcit ſecundò; ſolis Sacerdotibus data eſt poteſtas remittendi peccata per pœnitentiæ Sacramentum: ergo illis ſolùm cōpetit remittere originale per Baptiſmum. Reſpondetur negando conſequentias propter diverſas inſtitutiones horum Sacramentorum Eccleſiæ praxi declaratas. Et congruentia diſparitatis eſt, quòd in pœnitentia remittuntur peccata per modum ſententiæ, & iudicij: ad quod requiritur ſcientia, & prudentia: quare congruum fuit, vt ſolis Sacerdotibus committeretur. In Baptiſmo autem peccatum non ſic remittitur, ſed per modum ablutionis: hæc verò à quovis poteſt fieri.

DVBIVM II.

3 PEtes ſecundò: an Angelus poſsit validè baptizare? Reſpondetur affirmativè de potentia abſoluta, ſeu per diſpenſationem Dei. Cùm enim poſsit aſſumere corpus, quo medio ſenſibiliter proferat formam, & abluat cum debita intentione, poteſt phyſicè quidquid poteſt homo pro Baptiſmo conficiendo: ſi ergo accedat diſpenſatio legis, qua Deus ſtatuit, ſolos homines eſſe miniſtros Baptiſmi; nihil prohibere poteſt, quòd validè baptizet. ¶ Sin autem loquamur de facto, ſeu de lege ordinaria, nequit: quia ſolus homo eſt miniſter Baptiſmi. Cuius non eſt alia ratio à priori, niſi inſtitutio divina ſic diſponens. Ita Scotus *in 4. diſtinct. 6. q. 1. §. Reſpondeo verſic. Cùm ergo, & communiter AA.* Tres autem congruentias aſsignat Scot. *ibi verſ. Generaliter*, quare Chriſtus Dominus fecerit miniſtrum Baptiſmi hominem, & non Angelum. Prima eſt, quòd Chriſtus D. inſtitutor huius Sacramenti, eſt homo. Secunda, quòd *in Sacramento eſt aliquid ſenſibile & aliquid ſpirituale:* (nempè gratia ab ipſo cauſata) *& per conſequens magis congruit miniſtro vtenti & ſenſu, & intellectu; quàm purè intellectuali. Tertia, quia per ſuſceptionem Baptiſmi aſcribitur aliquis, vt ſit membrum Eccleſiæ Militantis: ergo congruum eſt, hoc fieri per aliquem in illa Eccleſia* exiſtentem.

4 Notat Scotus *ibi verſ. Cùm ergo*, quòd ſi bonus Angelus baptizaret aliquem, ſupponendum eſſet, verum contuliſſe Baptiſmum: *quia non fieret niſi de præcepto Dei: nec eſſet ille Baptizatus ab Angelo iterum baptizandus. Sicut Michael prohibuit Epiſcopo dedicare Eccleſiam ſuam in monte Gargano aſſerens, eam à ſe dedicatā fuiſſe. Si etiam malus Angelus in corpore aſſumpto Baptizet, & conſtet, quòd eſſet de præcepto Dei, talis habendus eſſet pro baptizato: quia*

quia oportet, malum Angelum etiam invitum obedire Deo. Sed non eſſet ſine certa revelatione ſuper hoc habita credẽdum, quòd malus Angelus verè baptizaret. Hucuſque Scotus.

DVBIVM II.

5 PEtes ſecundò, quibus cõveniat ex officio Baptizare? Reſpondetur, quod *ſoli Sacerdoti congruit ex officio:* (inquit Scotus *diſtinct. 6. q. 1. §. Reſpondeo verſ. Tandem*) *cuius ratio eſt;* quia per Baptiſmum recipitur baptizatus in collegium Eccleſiæ Militantis: receptio autem alicuius in collegium pertinet ad præſidentem, & habentem auctoritatem in collegio. Et ideò quanto aliquis habet maiorem auctoritatem in Eccleſia, tantò magis pertinet ad eum recipere, & introducere in Eccleſiam: & per conſequens baptizare. Vnde magis competeret Epiſcopo, quã ſimplici Sacerdoti, ſi ſufficere poſſent Epiſcopi. Sed propter paucitatem Epiſcoporum, & pluritatem baptizandorum regulariter cõcceditur omnibus Sacerdotibus. Hucuſque Scotus. Quibus nihil ad rem aptius: eſtq; Auctorum convenientia; & exprimitur ab Eugenio IIII. *in ſuo decreto* ſic locutus de Baptiſmo. *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio convenit baptizare.*

6 Vnde infertur, neque Diacono competere ex officio baptizare. Quod etiã expreſsit Clemens Romanus *lib. 8. Conſtitutionum Apoſtol. cap. 46.* dicens: *neque enim fas eſt Diacono Baptizare.* ¶ Vnde etiam à fortiori infertur, nulli Diacono inferiori competere ex officio baptizare.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò: quibus ex commiſsione competat baptizare? Reſpondetur, ſoli Diacono commiſſum fuiſſe. Quod conſtat ex Gelaſio Papa *epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam, &c. conſtitutos* de Diaconis ſic loquente: *abſque Epiſcopo, vel Præſbytero baptizare non audeat:* id eſt, abſque Epiſcopi, vel Præsbiteri commiſsione, vel licentia: vbi apertè ſupponit, ex tali licentia, vel cõmiſsione poſſe licitè baptizare. ¶ Dices, quod in Pontificali Romano in Ordinatione Diaconi dicitur; *Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare: baptizare, & prædicare:* ergo nulla eget commiſsione, aut licentia ad baptizandum; ſed id poteſt ex vi ſuæ ordinationis. Reſpondetur negando conſequentiam: ſolùm enim ſequitur, ex vi ſuæ ordinationis eſſe capacem, ſeu aptum, vt id ſibi committatur.

¶ Contra: ex commiſsione etiam Laicus poteſt Baptizare. Reſpondetur diſtinguẽdo: ex commiſsione Pontificis quaſi vtentis potentia abſoluta, (vt ſic loquar) aut ſua pleniſsima poteſtate,

teſtate, concedo: ex commiſsione Pontificis regulariter agentis, & ſe commodantis iuris diſpoſitioni, nego. Sic enim ſoli Diacono poteſt committi baptizare: quæ commiſsio, vel licentia debet emanare vel ab ipſo Pontifice, vel ab Epiſcopo, vel ſaltèm à Presbytero: vt conſtat ex Pontificibus Clemente Romano, & Gelaſio primo nuper adductis. Igitur cùm Diaconus ex vi ſui officij inſtituatur, vt Epiſcopo, & Presbytero aſsiſtat, eiſque inſerviat in Baptiſmo, & alijs Eccleſiaſticis miniſterijs, vi prædictæ ordinationis ſit quaſi proximè capax, & aptus, vt ei committatur quod dignè, & competenter baptizet. Quod nullus Diacono inferior habere poteſt.

Dvbivm IIII.

8 Petes quartò: an Presbyter licitè poſsit baptizare independenter à Parocho, ſeu abſque licentia illius? Reſpondetur affirmativè. Quia ex vi ſuæ ordinationis habet poteſtatem completam ad baptizandum quemlibet ita, vt non deficiat Sacerdoti aliquid, quod egeat à Parocho recipere. Sicuti neque ad cõſecrandum: ergo independenter ab illo poteſt dignè baptizare. Antecedens probatur, quia baptizare non eſt actus iuriſdictionis; ſed poteſtatis ordinis: & ideò ſicut independenter à Parocho poteſt conſecrare; poteſt, & baptizare. Confirmatur: quia Parochus (immò & Epiſcopus) nullũ ius habet in baptizandum: quia quoadvſque baptizatus ſit, non eſt Eccleſiæ ſubditus ergo à quocumque habente ex officio poteſtatem baptizandi, poteſt dignè baptizari. Ita Suarez *diſp. 23. ſect. 2. §. Reſpondetur*, & *G. Hurt. diſp. 2. diff. 2. & deduci poteſt ex Scoto n. 5. citato*, quatenus affirmat, quod *baptizare ſoli Sacerdoti congruit ex officio*. ☞ Sed oppoſitum defendit Vazquez *diſp. 147. cap 3. n 15.* Et obijcit, quod etſi Sacerdos vi ſuæ ordinationis habeat poteſtatem ordinis ad Baptizandum; tamen deficit ei applicatio materiæ: ergo quoadvſque per parochũ, (quẽ poſſe hoc committere ſimplici Sacerdoti, fatentur AA.) aut per alium Paſtorem ei aſsignentur aliqui baptizandi, nequit baptizare. Antecedens patet in Sacramẽto pœnitentiæ: Sacerdos enim in ſua ordinatione recipit poteſtatem remittendi peccata. Tamen iſtam exercere non poteſt, quoadvſque illi aſsignentur ab Epiſcopo, qui ſunt abſoluendi. Reſpondetur negando antecedens, aut ſuppoſitum illius: ſupponit enim, quòd baptizare eſt actus iuriſdictionis; ſicut eſt actus abſoluendi. Vnde patet ad probationem: baptizare enim eſt actus ita independens ab aliquo ſuperiori, vt poſsit dignè exerceri à Sacerdote, ipſo Parocho, immo & Epiſcopo renuente: non ſecus ac

conſecrare corpus Chriſti Domini, poteſt Sacerdos, quocumque ſuperiori renuente. Nec poteſt privari Sacerdos digna adminiſtratione Baptiſmi, niſi ob peccata, atque in illorum pœnā: ſicuti neque poteſt privari digna Miſſæ celebratione.

DVBIVM V.

9 PEtes quintò, an Diaconus poſsit in extrema neceſsitate, & abſentia Sacerdotis baptizare ſine illius commiſsione, aut licentia? Reſpondetur negativè. Quia ex D. Clemente Romano atque ex Gelaſ. 1. (*n. 6. & 7. citatis*) neceſſaria eſt hæc licentia: eo quod non convenit Diacono ex officio: ergo nuquam baptizabant dignè, & competenter ſine tali licentia. Ita Caiet. *quem citat, & ſequitur Ægid. q. 65. n. 27. Item G. Hurt. diſp. 2. diff. 2.* Quare Diaconus ſolenniter Baptizans ſine tali licentia peccaret mortaliter; immò & contraheret irregularitatem: quatenus vſurparet actum ordinis ſolemniter baptizans nō vt Sacerdoti inſerviens. ¶ Sed Suar. *diſp. 23 ſect. 2. §. Reſpondetur simplicem ſecutus Gloſſam* oppoſitum affirmat: & obijcit: Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum *Actorum* 8. incōſultis Apoſtolis: ergo poteſt Diaconus dignè, & competenter adminiſtrare baptiſmū independēter à Sacerdote. Reſpond. negando conſequentiam: baptizavit enim eunuchum ex commiſsionē Apoſtolorum; à quibus in miniſterium baptizandi fuerat deſtinatus. Niſi velis dicere, hoc fuiſſe ex ſpeciali commiſsione Dei: ſicut, inconſultis Apoſtolis, Paulū baptizavit Ananias. Quem fuiſſe laicum ſignificat Clemens *lib. 8. c. 52.* & vtrumque dicit ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione baptizaſſe.

10 Vnde conſtat, iuſta interveniente cauſa, poſſe committi Diacono munus ſolemniter baptizandi. Quia ex Eccleſiæ decretis datum eſt Diaconis inſervire ad altare, baptizare, & prædicare: ergo ſicut ſolemniter inſerviunt altari, & prædicant: ita & poſſunt ex ſpeciali licentia ſolemniter baptizare. Ita *præcitati Suarez. Vazq. & Ægidius.*

11. Ex quibus omnibus conſtat, Diaconum gaudere maiori auctoritate ad baptizandū, quam gaudent cæteri Diacono inferiores. Quia illi ſolùm in extrema neceſsitate poſſunt baptizare. Diaconus autem (etiam ſolemniter) baptizat ex commiſsione Sacerdotis in congrua neceſsitate: vt ſi ſit multitudo petentium Baptiſmum: vel cùm Epiſcopus, aut Sacerdos eſt graviter impeditus, nec poteſt per alium Sacerdotem baptizare. Cuius ratio eſt, quod Diaconus ex ſua ordinatione habet aliqualem poteſtatem in corpus verum Chriſti D. ratione cuius ab Eccleſia ipſi conceditur, quòd adminiſtret fidelibus

bus ſanguinem Chriſti; (nempè his, qui communicant ſub dupli-ci ſpecie Diaconus propinat calicem) immo & corpus in neceſſitate. Si ergo Diaconus dignè; & competenter miniſtrat verum corpus Chriſti D. ſeu habet poteſtatem aliqualem circa verum corpus Chriſti D. quid mirum, quod habeat aliqualem poteſtatem in eiuſdem Chriſti D. corpus myſticum, ſeu in fideles illis adminiſtrando Baptiſmum, (etiam ſolemniter) quamvis non ex officio, ſicut Sacerdos: ex commiſſione tamen illius.

Dubium VI.

12 PEtes quintò: an baptizans debeat perſonaliter diſtingui à baptizato? Reſp. affirmativè. Quia ſicut in generatione carnali alius eſt in perſona generans à generante: ita in ſpirituali, quæ fit per Baptiſmum. Secundo, quia id colligitur ex illis verbis *Matth. 28. baptizantes eos*: Ideoque in Baptiſmo figurativo Chriſtus D. non ſe baptizavit: ſed à Ioanne accepit Baptiſmum. Ita Scotus *diſt. 6. q. 4. & communiſſimè AA.* ¶ Dices: Sacerdos ſe ipſum communicat: ergo, & poteſt ſe ipſum baptizare miniſter. Reſp. negando conſequentiam; aut paritatem: quia in communione non conficitur Sacramentum; ſicut in Baptizatione. Vel, quod magis mihi arridet: quia ſunt diverſæ inſtitutiones ad beneplacitum Dei inſtituentis: non enim eſt dubiū, potuiſſe Chriſtū D. diſponere, quòd miniſter validè ſe ipſum baptizaret: ſicut idemet & ſe ipſum in matrimoniū tradit, & eſt miniſter Sacramēti.

13 Dices ſecundo: quod Innocētius III. de quodam Iudæo, qui in extrema neceſsitate ſe ipſum baptizavit, dixit quod, ſi cōtinuo moreretur, in cæleſtē patriā protinus evolaret: ergo quia recepit verum Baptiſmum. Reſpond. negando conſequentiam: quia Pontifex ſolùm vult, quòd tunc ſalvaretur per Baptiſmū flaminis, ſeu per actum charitatis, quo Baptiſmū appetijt. ¶ Contra: motio interior ſupernaturalis non inclinat ad actum invtilē: ergo neque ad baptizandum ſe ipſum: ergo in illo nullus fuit actus charitatis. Reſp. negando vltimam conſequentiam. ¶ Pro cuius intelligentia ſuppono, ad vltum ſolum poſſe vltimò diſponi ad iuſtificationem, aut per realem ſuſceptionem Baptiſmi, aut confeſsionis, adiuncta attritione; (Omitto diſquirere, an poſsit etiam vltimò diſponi ad iuſtificationem per realem receptionem alicuius Sacramenti vivorum. Si enim hoc admittamus, erit de per accidens. De quo egi *in tract. de Sacram. in gen. cap. 4. dub. 4. à n. 8.*) aut per elicientiam ſupernaturalis dilectionis Dei ſuper omnia; aut etiam per elicentiam ſupernaturalis contritionis. Itaque poſito vno ex his tribus (nempè

ꝗuuntur RR. præſertim Vazquez diſp. 148. c. 1. n. 1.

27 Notant tamen Scotus, & communiter, hanc concluſionē procedere in quocumque euentu, hoc eſt, ſiue vnus illorū priùs finiat verba formæ: ſiuè omnes ſimul abluant, & proferant verba, ita vt vnus non finiat priùs alio. Solùm eſt differentia, quòd, ſi vnus priùs alio finit prolationem verborum, ab illo tantùm fit Sacramentum. Si tamē ſimul omnes, & abluunt, & proferunt verba, ab vno illorum tantùm. (quamvis dicat præcitatus Vazquez, quod conveniunt AA. noſtræ ſententię, ab vtroque verum perfici Sacramentum: manifeſtè tamen fallitur: ſaltem enim Scotiſtæ diſconvenimus) A quo tamen illorum, non determinat Scotus; immo *ibi verſ. Reſpondeo, difficile* fatetur, ita difficile eſſe hoc aſsignare, vt concludat ſic. *Reſponſionem quære.* Additioniſtæ verò dicunt, Deum pro libito ſuæ voluntatis acceptaturū baptizationem huius, vel illius: & conſequenter nobis penitùs incertum eſſe, vi cuius miniſtri factus fuerit Baptiſmus. Ego autē cum quodam ex noſtris in manuſcriptis exiſtimo, quod ex cōgruentia Deus acceptaret Baptiſmum illius miniſtri, qui vel ſanctitate vel Eccleſiæ dignitate eſſet dignior.

28 Dices contra concluſionem, quòd a pluribus cauſis totalibus nequit idem effectus provenire: ergo quando plures ſimul concurrunt integre baptizantes, nequit confici vnus Baptiſmus. Reſpondetur, ex nuper dictis negando conſequentiam: quia ab vno illorum miniſtrorū tantùm fit hic Baptiſmus. ¶ Cōtra: cauſæ eiuſdem virtutis ſimul concurrentes mutuò ſe impediunt, ne agant circa idem paſſum: ergo à nullo illorum fit Baptiſmus. Reſpondetur, ex Scoto *ibi verſ. Ad primum* negando cōſequentiam: quia antecedens ſolum eſt verum de cauſis phyſicis; non autem de moralibus. Quare poteſt Rex v. g. è pluribus æqualiter petentibus huius potiùs quā illius preces acceptare ad conferendum aliquod beneficium.

29 Dico ſecundò in dicto caſu ſolùm fit vnum Sacramentum Baptiſmi. Quia vnitas aut pluralitas Baptiſmi ſumitur ex vnitate, aut pluralitate ſubiecti; non autem ex vnitate, aut pluralitate miniſtri. Et ideo quando multi baptizantur ab vno, & eodem miniſtro omnes ſimul abluente, omnes remanent baptizati, ſeu multa fiunt Baptiſmi Sacramenta. Ita Scotus *ibi verſ. Ex iſto, D. Th. q. 67. art. 6. in corpore, Sotus, Paludanus, Marſilius, & Durandus, quos citat, & ſequitur Vazq. diſp. 148 c. 2. num. 9. Item Ochogavia q* 13. ¶ Sed *Gab. Caiet. & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 2 diff* 5. affirmant, tūc eſſe plura numero Sacramenta Baptiſmi: & obijciunt: in noſtro

caſu

caſu reperiuntur plures ablutiones paſsivæ: (etſi ſint eiuſdem hominis) ergo ſunt plura Sacramenta. Patet conſequentia: quia quælibet illarum ablutionum eſt materia totalis; (vt ſuppono) & aliàs ei adiungitur forma. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dico, inde probari quidem quemlibet illorum ponere omnia neceſſaria (quantum eſt ex parte ſua) ad efficiendum Sacramentum Baptiſmi: tamen non quilibet conficit, ſed ille ſolus, cuius factum Deus voluerit acceptare. Et ratio eſt, quòd ex inſtitutione divina hoc Sacramentum eſt initerabile: atque adeò ſubiectum eſt incapax recipiendi (ſive ſucceſſivè, ſive ſimul) duo Sacramenta Baptiſmi: et conſequenter ſicut ille, qui Petro iam baptizato applicaret novam ablutionem cum forma, & intentione denuò baptizandi, non conficeret Sacramentum, non defectu materiæ, aut formæ, vel intentionis miniſtri; ſed defectu diſpoſitionis ſubiecti, aut propter incapacitatem illius, qui debet, non recepiſſe aliud Baptiſmi Sacramentum. Ita quando plures baptizantes ſimul concurrunt, vnum tantùm fit Sacramentum; non quidem quia vnuſquiſque illorum non ponit quidquid aliàs ſufficeret ad conficiendum Baptiſmi Sacramentum; ſed quia Deus propter indiſpoſitionem, aut incapacitatẽ ſubiecti, aut hominis, qui vnum tantùm poteſt recipere Sacramentum Baptiſmi, vnius miniſtri tantum factum acceptat.

30 Dico tertiò: illicitum eſt, plures ſimul eumdem baptizare. Quia moraliter numquam eſt neceſsitas ita baptizandi. Et ideò ſaltèm exercent actum otioſum: ſi aliàs intendat quilibet illorum baptizare ſolùm ſub conditione in caſu, quòd alter priùs perfecerit ſuam baptizationem. Si autẽ abſolutè, & ſine conditione intenderent baptizare, eſſet grave peccatum: quia ſe exponeret vnuſquiſque manifeſto periculo rebaptizandi. Recolantur dicta *num.* 11.

Dubium IX.

31 Petes nonò: an, ſi plures eumdem baptizarent dicendo; *nos te baptizamus*, verum conficerent Sacramentum? Reſpondetur ſub diſtinctione. Quare dico primò. Si intendant partialiter concurrere, non fit Sacramentum. Quia ex inſtitutione Baptiſmi ab vnico miniſtro debet confici. ¶ Dico ſecundò: ſi intendat vnuſquiſque totaliter conficere, & ſimul cum prolatione formæ ponat ablutionem ſufficientem, conficitur Sacramentum: conſtat enim ex dictis *à num.* 26. vnitatem Sacramenti Baptiſmi non pendere ab vnitate miniſtri totaliter agente. Ita Durandus *in* 4. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 15. *Richardus, Marſilius,*

Maior,

Maior, & Caietanus citati à Vazquez diſp. 148. cap. 5. n. 35. Item Suarez diſp. 25 ſect. 3. & G. Hurt. diſp. 2. diff. 5. ¶ Sed tunc non cōfici Sacramentum, defendunt *D. Thom. D. Bonav. Alenſis, Gab. Silveſter, & Ledeſma, quos citat, & ſequitur, predictus Vazq. ibi num. 38. Item Ægidius quæſt. 67. num. 43.* Et obijciunt: hæc forma: *Nos te baptizamus, &c.* ſignificat, miniſtros partialiter concurrere: ergo non fit Sacramentum ſub hac forma. Reſpōdetur negando antecedens: ly enim *nos* aliquando ſignificat, quemlibet ub illo contentum concurrere partialiter ad aliquam actionem: vt cùm dicimus: *Nos navim trahimus; aut pondus portamus.* Aliquando autem ſignificat, quemlibet illorum totaliter operari: vt cùm dicimus: *Nos deambulamus, aut pugnamus, &c* aut cùm auctoritativè loquēdo dicit Rex aut Iudex. *Nos mandamus.* Igitur cùm ly *nos* ſit indifferens ad ſignificandum totalem, aut partialem concurſum, quando determinatur per intentionem miniſtri ad concurſum totalem, nihil obſtabit, quin per hanc formam (*Nos te baptizamus*) fiat verum Sacramētum. Sicut verè obſtat, quando determinatur ad partialem concurſum.

Dubium X.

32 Petes decimò, an ſi idem miniſter plures ſimul baptizaret ſub hac forma (*Ego vos baptizo, &c.*) teneret Baptiſmus? Et plura Sacramenta conficeret? Reſpondetur affirmativè, ad vtrumque. Primū patet: quia ponit omnia neceſſaria circa ſubiectum capax. Item conſtat ſecundum, quia tunc multiplicantur ablutiones paſſivæ, circa diverſa ſubiecta: ergo multiplicantur Sacramenta Baptiſmi. Ita Scotus *diſtinct. 6 quæſt. 2 §. & verſ. De tertio, & communiter AA.* ¶ Dices: forma eſt vnica: ergo nequeunt fieri plura Sacramenta. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: (& negando conſequentiam) expreſſe, & formaliter, concedo: virtualiter, aut æquivalenter, nego: hæc enim forma (*Nos te baptizamus*) æquivalet his; *Ego ſimul cum alijs te baptizo; iſte ſimul cum alijs te baptizat, &c.* & conſequenter, cùm per multas materias diſtribuatur: virtualiter, aut per æquivalentiā eſt multiplex. ¶ Inſtabis, forma totam ſe communicat materiæ: ergo applicata vni materiæ nequit alteri ſe applicare. Reſpondetur diſtinguendo: forma phyſica, concedo: moralis; nego. Itaque formæ Sacramentorum licèt comparatæ ad materiam dicantur formæ, immò & formæ phyſicæ, prout diſtinguuntur à relatione ſigni: in rigore autem ſunt quædam cauſæ morales partiales; quæ movent Deum ad ponendum effectum Sacramenti. Quare potius debent reduci

ci ad genus cauſæ efficientis.

33 Notat Scotus ibi, & communiter AA. miniſtrum vtẽtem hac forma. *Ego vos baptizo, &c.* mortaliter peccare. *Quia non ſervat formam ſibi impoſitam ab Eccleſia, niſi eſſet tanta neceſsitas, quòd immineret mors omnium; etſi quando ſingulos baptizaret ſigillatim, aliquis eorum foret moriturus antequam alios baptizaſſet.* (inquit Scotus.) Idem dicendum eſt propter eamdem rationem de illis, qui ſub hac forma baptizarent *Nos te Baptizamus, &c.* Itaque ſolùm ex eo, quòd mutarent formam, peccarent graviter, (Recolantur dicta *n.* 31.) ſecundùm Scotum, & prædictos AA. quibus ego auctoritate potiùs, quàm ratione (haud libens) conſentio. Quare, ſi Scoti allatis verbis non premeret, dicerem cum Soto *in* 4. *diſt.* 4. *art.* 4. §. *Secundò arguitur*, ſolùm eſſe veniale, plures ſimul baptizare ſub hac forma. *Ego vos Baptizo, &c.* Quia hæc formæ variatio videtur levis. Immò adderem, neque eſſe veniale, quando pluſquam decem ſimul concurrerent ad Baptiſmum ſuſcipiẽdum: ſolùm enim propter nauſiam toties repetendi Baptiſmum videtur mihi ſine aliqua culpa poſſe omnes ſimul baptizari ſub illa forma *Ego vos baptizo, &c.* Sic quippè præſumendum eſt de piæ matris Eccleſiæ intentione, nempè non adeò ſtrictè præfixiſſe iſtam formam Baptiſmi (*Ego te baptizo, &c.*) vt nolit, aliquali exiſtente neceſsitate, permittere tam exiguam variationem, ac reperitur vtendo iſta: *Ego vos baptizo, &c.* Quod mihi perſuadet, tùm quia non omninò acquieſco, n... neceſſariam eſſe ſub mortali obligatoriam vti hac forma: *Ego te baptizo, &c.* Tùm quia, adhuc hoc admiſſo, poteſt aliquali neceſsitate oppoſitum permitti. Sicut etſi præceptum ſub mortali ſit ieiunium, multis de cauſis ceſſat præceptum: vt ſuppono.

34 Conſimiliter dicerem, non eſſe mortale vti hac forma *Nos te baptizamus, &c.* Quando plures eumdem ſimul baptizarent. (Loquor in caſu, quo quilibet intendat integrè baptizare: ſi enim hoc partialiter tantùm intendat, erit mortale vti prædicta forma: quia tunc non fit Sacramentum, iuxta dicta *n.* 31.) Et quidem hoc dicerem, (eſſetque magis conſequenter dictum ad illa, quæ dixi *n.* 11.) ſi aliàs auctoritas prædictorũ Auctorum, & fortè Scoti me non premeret. Quid ergo? Probabile mihi ſatis eſt, (abſtineo à Scoti, & aliorum auctoritate) ſolùm eſſe veniale, immò aliquando nullum peccatum, vti hac forma ad baptizandum plures: *Ego vos Baptizo, &c.* Recolantur dicta *num. præcedẽti.* Item probabile eſt mihi, ſolùm eſſe veniale vti hac forma, *Nos te baptizamus, &c.* Quãdo quilibet ex concurrentibus intendit integrè Baptizare. Recolãtur dicta *n.* 11.

CAP.

CAP. V.

De miniſtro Baptiſmi.

DVBIVM I.

1 PEtes primò: quibus conveniat validè baptizare? Reſpondetur, competere cuicũque perſonæ humanæ viatori. Quia ſic definiunt multa concilia, & clamant PP. (de quo paſſim RR.) Sufficiat nobis Eugenius IIII. *in ſuo decreto fidei* ſic loquutus. *In caſu autem neceſsitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus; ſed etiam Laicus, vel mulier; immò etiam paganus, & hæreticus baptizare poteſt.* Ratio autem à priori eſt divina voluntas, aut inſtitutio nobis per Eccleſiam revelata Ratio verò congruentiæ eſt, quòd ſicut pijſsimus Deus elegit pro materia Baptiſmi aquam, qua nihil eſt in liquoribus, immò & in natura communius: ita liberaliter largitus eſt prædictis omnibus poteſtatem baptizandi, ne, ſi aliqua eſſet ex parte miniſtri difficultas, aliquis fraudaretur ab hoc ſalubri, atque ad ſalutem neceſſario medicamine. ¶ PP. autem aliquot, atque concilia, quæ excludunt ab hoc miniſterio aliquas perſonas, (ſufficiat Iſidorus *lib. 2. cap. 25.* dicens: *conſtat, Baptiſmum ſolis Sacerdotibus tradi*) non loquuntur in caſu neceſsitatis: extra quam ob indecentiam excluduntur mulieres; & ob prudentem dubitationem de recta intentione excluduntur Iudæi, & hæretici. Immò ſecluſa quacunque dubitatione, vult Eccleſia, vt rectus ordo ſervetur in hoc miniſterio. Et ideò in præſentia Sacerdotis non adminiſtrat Laicus; nec fœmina in præſentia viri; nec bigamus in præſentia non bigami. ¶ Greg. autèm II. *in Epiſtola ad Bonifacium* ſic loquutus (*quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*) ideò mandat rebaptizare baptizatos à paganis, quia non fuerant baptizati in nomine Trinitatis; non autem quia à paganis nõ potuerint baptizari.

2 Vnde reijcitur Calvinus exiſtimans, ſolum miniſtrum ad hoc deputatum poſſe validè baptizare: & obijcit: verba illa (*Matthæi vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.*) ſolùm dicta ſunt Apoſtolis: & conſequenter Epiſcopis, qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores: ergo iſti ſolùm poſſunt baptizare. Reſpondetur negando ſuppoſitum antecedentis; (& conſequentiam) nempè, tũc datam fuiſſe poteſtatem baptizandi: vt enim conſtat *ex cap. 1. à num. 13.* ante mortem Chriſti D. fuit inſtitutum, & adminiſtratum Sacramentum Baptiſmi: & conſequen-

ſequenter fuit inſtitutus miniſter illius. Matthæi autem vltimo fuit impoſitum præceptum baptizãdi; fuitque tributum ius ordinarium exercẽdi tale miniſterium. ¶ Obijcit ſecundò: ſolis Sacerdotibus data eſt poteſtas remittendi peccata per pœnitentiæ Sacramentum: ergo illis ſolùm cõpetit remittere originale per Baptiſmum. Reſpondetur negando conſequentias propter diverſas inſtitutiones horum Sacramentorum Eccleſiæ praxi declaratas. Et congruentia diſparitatis eſt, quòd in pœnitentia remittuntur peccata per modum ſententiæ, & iudicij: ad quod requiritur ſcientia, & prudentia: quare congruum fuit, vt ſolis Sacerdotibus committeretur. In Baptiſmo autem peccatum non ſic remittitur, ſed per modum ablutionis: hæc verò à quovis poteſt fieri.

DVBIVM II.

3 PEtes ſecundò: an Angelus poſsit valide baptizare? Reſpondetur affirmativè de potentia abſoluta, ſeu per diſpenſationem Dei. Cùm enim poſsit aſſumere corpus, quo medio ſenſibiliter proferat formam, & abluat cum debita intentione, poteſt phyſicè quidquid poteſt homo pro Baptiſmo conficiendo: ſi ergo accedat diſpenſatio legis, qua Deus ſtatuit, ſolos homines eſſe miniſtros Baptiſmi; nihil prohibere poteſt, quòd validè baptizet. ¶ Sin autem loquamur de facto, ſeu de lege ordinaria, nequit: quia ſolus homo eſt miniſter Baptiſmi. Cuius non eſt alia ratio à priori, niſi inſtitutio divina ſic diſponens. Ita Scotus *in 4. diſtinct. 6. q. 1. §. Reſpondeo verſic. Cùm ergo, & communiter AA.* Tres autem congruentias aſsignat Scot. *ibi verſ. Generaliter*, quare Chriſtus Dominus fecerit miniſtrum Baptiſmi hominem, & non Angelum. Prima eſt, quòd Chriſtus D. inſtitutor huius Sacramenti, eſt homo. Secunda, quòd *in Sacramento eſt aliquid ſenſibile & aliquid ſpirituale:* (nempè gratia ab ipſo cauſata) *& per conſequens magis congruit miniſtro vtenti & ſenſu, & intellectu; quàm purè intellectuali. Tertia, quia per ſuſceptionem Baptiſmi aſcribitur aliquis, vt ſit membrum Eccleſiæ Militantis: ergo congruum eſt, hoc fieri per aliquem in illa Eccleſia* exiſtentem.

4 Notat Scotus *ibi verſ. Cùm ergo*, quòd ſi bonus Angelus baptizaret aliquem, ſupponendum eſſet, verum contuliſſe Baptiſmum: *quia non fieret niſi de præcepto Dei: nec eſſet ille Baptizatus ab Angelo iterum baptizandus. Sicut Michael prohibuit Epiſcopo dedicare Eccleſiam ſuam in monte Gargano aſſerens, eam à ſe dedicatã fuiſſe. Si etiam malus Angelus in corpore aſſumpto Baptizet, & conſtet, quòd eſſet de præcepto Dei, talis habendus eſſet pro baptizato: quia*

quia oportet, malum Angelum etiam invitum obedire Deo. Sed non eſſet ſine certa revelatione ſuper hoc habita credēdum, quod malus Angelus verè baptizaret. Huc uſque Scotus.

DVBIVM II.

5 PEtes ſecundò, quibus cōveniat ex officio Baptizare? Reſpondetur, quòd *ſoli Sacerdoti congruit ex officio:* (inquit Scotus *diſtinct. 6. q. 1. §. Reſponſio verſ. Tandem*) *cuius ratio eſt;* quia per Baptiſmum recipitur baptizatus in collegium Eccleſiæ Militantis: receptio autem alicuius in collegium pertinet ad præſidentem, & habentem auctoritatem in collegio. Et ideò quanto aliquis habet maiorem auctoritatem in Eccleſia, tantò magis pertinet ad eum recipere, & introducere in Eccleſiam: & per conſequens baptizare. Vnde magis competeret Epiſcopo, quā ſimplici Sacerdoti. ſi ſufficere poſſent Epiſcopi. Sed propter paucitatem Epiſcoporum, & pluritatem baptizandorum regulariter cōceditur omnibus Sacerdotibus. Huc uſque Scotus. Quibus nihil ad rem aptius: eſtq; Auctorum convenientia: & exprimitur ab Eugenio IIII. *in ſuo decreto* ſic locutus de Baptiſmo. *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio convenit baptizare.*

6 Vnde infertur, neque Diacono competere ex officio baptizare. Quod etiā expreſsit Clemens Romanus *lib. 8. Conſtitutionum Apoſtol. cap. 46.* dicens: *neque enim fas eſt Diacono Baptizare.* ¶ Vnde etiam à fortiori infertur, nulli Diacono inferiori competere ex officio baptizare.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò: quibus ex commiſsione competat baptizare? Reſpondetur, ſoli Diacono commiſſum fuiſſe. Quod conſtat ex Gelaſio Papa *epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam, &c. conſtitutos* de Diaconis ſic loquente: *abſque Epiſcopo, vel Præſbytero baptizare non audeant:* id eſt, abſque Epiſcopi, vel Præsbiteri commiſsione, vel licentia: vbi apertè ſupponit, ex tali licentia, vel cōmiſsione poſſe licitè baptizare. ¶ Dices, quod in Pontificali Romano in Ordinatione Diaconi dicitur; *Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare: baptizare, & prædicare:* ergo nulla eget commiſsione, aut licentia ad baptizandum; ſed id poteſt ex vi ſuæ ordinationis. Reſpondetur negando conſequentiam: ſolùm enim ſequitur, ex vi ſuæ ordinationis eſſe capacem, ſeu aptum, vt id ſibi committatur.

¶ Contra: ex commiſsione etiam Laicus poteſt Baptizāre. Reſpondetur diſtinguēdo: ex commiſsione Pontificis quaſi vtentis potentia abſoluta, (vt ſic loquar) aut ſua pleniſsima poteſtate,

teſtate, concedo: ex commiſsione Pontificis regulariter agentis, & ſe commodantis iuris diſpoſitioni, nego. Sic enim ſoli Diacono poteſt committi baptizare: quæ commiſsio, vel licentia debet emanare vel ab ipſo Pontifice, vel ab Epiſcopo, vel ſaltèm à Presbytero: vt conſtat ex Pontificibus Clemente Romano, & Gelaſio primo nuper adductis. Igitur cum Diaconus ex vi ſui officij inſtituatur, vt Epiſcopo, & Presbytero aſsiſtat, eiſque inſerviat in Baptiſmo, & alijs Eccleſiaſticis miniſterijs, vi prædictæ ordinationis ſit quaſi proximè capax, & aptus, vt ei committatur quod dignè, & competenter baptizet. Quod nullus Diacono inferior habere poteſt.

Dvbivm IIII.

8 PEtes quartò: an Presbyter licitè poſsit baptizare independenter à Parocho, ſeu abſque licentia illius? Reſpondetur affirmativè. Quia ex vi ſuæ ordinationis habet poteſtatem completam ad baptizandum quemlibet ita, vt non deficiat Sacerdoti aliquid, quod egeat à Parocho recipere. Sicuti neque ad cõſecrandum: ergo independenter ab illo poteſt dignè baptizare. Antecedens probatur, quia baptizare non eſt actus iuriſdictionis; ſed poteſtatis ordinis: & ideò ſicut independenter à Parocho poteſt conſecrare; poteſt, & baptizare. Confirmatur: quia Parochus (immo & Epiſcopus) nullũ ius habet in baptizandum: quia quoadvſque baptizatus ſit, non eſt Eccleſiæ ſubditus ergo à quocumque habente ex officio poteſtatem baptizandi, poteſt dignè baptizari. Ita Suarez *diſp. 23. ſect. 2. §. Reſpondetur, & G. Hurt. diſp. 2. diff. 2. & deduci poteſt ex Scoto n. 5. citato*, quatenus affirmat, quod *baptizare ſoli Sacerdoti congruit ex officio.* ¶ Sed oppoſitum defendit Vazquez *diſp. 147. cap. 3. n. 15.* Et obijcit, quòd etſi Sacerdos vi ſuæ ordinationis habeat poteſtatem ordinis ad Baptizandum; tamen deficit ei applicatio materiæ: ergo quoadvſque per parochũ, (quẽ poſſe hoc committere ſimplici Sacerdoti, fatentur AA.) aut per alium Paſtorem ei aſsignentur aliqui baptizandi, nequit baptizare. Antecedens patet in Sacramẽto pœnitentiæ: Sacerdos enim in ſua ordinatione recipit poteſtatem remittendi peccata. Tamen iſtam exercere non poteſt, quoadvſque illi aſsignentur ab Epiſcopo, qui ſunt abſoluendi. Reſpondetur negando antecedens, aut ſuppoſitum illius: ſupponit enim, quòd baptizare eſt actus iuriſdictionis; ſicut eſt actus abſolvendi. Vnde patet ad probationem: baptizare enim eſt actus ita independens ab aliquo ſuperiori, vt poſsit dignè exerceri à Sacerdote, ipſo Parocho, immo & Epiſcopo renuente: non ſecus ac

conſecrare corpus Chriſti Domini, poteſt Sacerdos, quocumque ſuperiori renuente. Nec poteſt privari Sacerdos digna adminiſtratione Baptiſmi, niſi ob peccata, atque in illorum pœnã: ſicuti neque poteſt privari digna Miſſæ celebratione.

DVBIVM V.

9 PEtes quintò, an Diaconus poſsit in extrema neceſsitate, & abſentia Sacerdotis baptizare ſine illius commiſsione, aut licentia? Reſpondetur negativè. Quia ex D. Clemente Romano atque ex Gelaſ. 1. (*n.6. & 7. citatis*) neceſſaria eſt hæc licentia: eò quod non convenit Diacono ex officio: ergo nũquam baptizabant dignè, & competenter ſine tali licentia. Ita Caiet. *quem citat, & ſequitur Ægid. q. 65. n. 27. Item G. Hart diſp. 2. diſſ. 2.* Quare Diaconus ſolemniter Baptizans ſine tali licentia peccaret mortaliter; immò & contraheret irregularitatem: quatenus vſurparet actum ordinis ſolemniter baptizans nõ vt Sacerdoti inſerviens. ¶ Sed Suar. *diſp. 23 ſect. 2. §. Reſpondetur duplicem ſecutus Gloſſam* oppoſitum affirmat: & obijcit: Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum *Actorum* 8. incõſultis Apoſtolis: ergo poteſt Diaconus dignè, & competenter adminiſtrare baptiſmũ independẽter à Sacerdote. Reſpond. negando conſequentiam: baptizavit enim eunuchum ex commiſsione Apoſtolorum; à quibus in miniſterium baptizandi fuerat deſtinatus. Niſi velis dicere, hoc fuiſſe ex ſpeciali commiſsione Dei: ſicut, inconſultis Apoſtolis, Paulũ baptizavit Ananias. Quem fuiſſe laicum ſignificat Clemens *lib. 8. c. 52.* & vtrumque dicit ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione baptizaſſe.

10 Vnde conſtat, iuſta interveniente cauſa, poſſe committi Diacono munus ſolemniter baptizandi. Quia ex Eccleſiæ decretis datum eſt Diaconis inſervire ad altare, baptizare, & prædicare: ergo ſicut ſolemniter inſerviunt altari, & prædicant: ita & poſſunt ex ſpeciali licentia ſolemniter baptizare. Ita *præcitati Suarez. Vazq. & Ægidius.*

11. Ex quibus omnibus conſtat, Diaconum gaudere maiori auctoritate ad baptizandũ, quam gaudent cœteri Diacono inferiores. Quia iſti ſolùm in extrema neceſsitate poſſunt baptizare. Diaconus autem (etiam ſolemniter) baptizat ex commiſsione Sacerdotis in congrua neceſsitate: vt ſi ſit multitudo petentium Baptiſmum: vel cùm Epiſcopus, aut Sacerdos eſt graviter impeditus, nec poteſt per alium Sacerdotem baptizare. Cuius ratio eſt, quòd Diaconus ex ſua ordinatione habet aliqualem poteſtatem in corpus verum Chriſti D. ratione cuius ab Eccleſia ipſi conceditur, quòd adminiſtret fidelibus

bus ſanguinem Chriſti; (nempè his, qui communicant ſub dupli-ci ſpecie Diaconus propinat calicem) immo & corpus in neceſſitate. Si ergo Diaconus dignè, & competenter miniſtrat verum corpus Chriſti D. ſeu habet poteſtatem aliqualem circa verum corpus Chriſti D. quid mirum, quod habeat aliqualem poteſtatem in eiuſdem Chriſti D. corpus miſticum, ſeu in fideles illis administrando Baptiſmum, (etiam ſolemniter) quamvis non ex officio; ſicut Sacerdos: ex commiſſione tamen illius.

Dubium VI.

12 Petes quintò an baptizans debeat perſonaliter diſtingui à baptizato? Reſp. affirmativè. Quia ſicut in generatione carnali alius eſt in perſona generans à generante: ita in ſpirituali, quæ fit per Baptiſmum. Secundo, quia id colligitur ex illis verbis *Matth. 28. baptizantes eos:* Ideòque in Baptiſmo figurativo Chriſtus D. non ſe baptizavit: ſed à Ioanne accepit Baptiſmum. Ita Scotus *diſt. 6. q. 4. & communiſſimè AA.* ¶ Dices: Sacerdos ſe ipſum communicat: ergo, & poteſt ſe ipſum baptizare miniſter. Reſp. negando conſequentiam; aut paritatem: quia in communione non conficitur Sacramentum; ſicut in Baptizatione. Vel, quod magis mihi arridet: quia ſunt diverſæ inſtitutiones ad beneplacitum Dei inſtituentis: non enim eſt dubiũ, potuiſſe Chriſtũ D. diſponere, quòd miniſter validè ſe ipſum baptizaret: ſicut idẽmet & ſe ipſum in matrimoniũ tradit, & eſt miniſter Sacramẽti.

13 Dices ſecundo: quod Innocẽtius III. de quodam Iudæo, qui in extrema neceſsitate ſe ipſum baptizavit, dixit quod, ſi cõtinuo moreretur, in cœleſtẽ patriã protinus evolaret: ergo quia recepit verum Baptiſmum. Reſpond. negando conſequentiam: quia Pontifex ſolùm vult, quòd tunc ſalvaretur per Baptiſmũ flaminis, ſeu per actum charitatis, quo Baptiſmũ appetijt. ¶ Contra: motio interior ſupernaturalis non inclinat ad actum inutilẽ: ergo neque ad baptizandum ſe ipſum: ergo in illo nullus fuit actus charitatis. Reſp. negando vltimam conſequentiam. ¶ Pro cuius intelligentia ſuppono, adultum ſolùm poſſe vltimo diſponi ad iuſtificationem, aut per realem ſuſceptionem Baptiſmi, aut confeſsionis, adiuncta attritione; (Omitto diſquirere, an poſsit etiam vltimò diſponi ad iuſtificationem per realem receptionem alicuius Sacramenti vivorum? Si enim hoc admittamus, erit de per accidens. De quo egi *in tract. de Sacram. in gen. cap. 4. dub. 4. à n. 8.*) aut per elicientiam ſupernaturalis dilectionis Dei ſuper omnia; aut etiam per elicentiam ſupernaturalis contritionis. Itaque poſito vno ex his tribus (nempè

reali receptione Sacramenti cum attritione, & ſupernaturali dilectione prædicta; aut perfecta contritione) ſtatim infundit Deus habitum gratiæ, & charitatis: (qui non ſunt duo habitus, ſed vnus & idem realiter) per quam formaliter iuſtificatur homo; & per quã etiam inclinatur ad opera ſupernaturalia charitatis. Infunduntur etiam cum habitu gratiæ, aut charitatis habitus fidei, & ſpei ſaltē. Igitur in noſtro caſu gratia interior inclinavit Iudæum prædictum ad amorem fidei Chriſtianæ, & æternam ſalutem: ex ignorantia autem elegit medium inutile; tamen quod ipſe iudicavit ad ſalutem neceſſarium.

Dubium VII.

14 PEtes ſeptimò, an? & qualis intentio requiratur ex parte miniſtri? Reſp. neceſſario in miniſtro debere eſſe intentionem Baptizandi: aut faciendi, quod facit Eccleſia; aut quod Chriſtus D. inſtituit. Qualitatem huius intentionis diverſimodè explicant. Eſt tamen certum, nõ requiri actualem; ſed ſufficere virtualem. Multa vero hac ſpectantia latè explicuimus *in hoc tomo tract. de Sacram. in genere cap. 3. à dub. 20. n. 57.* Quæ omnia in præſenti ſunt accommodanda.

CAP. VI.

De neceſſitate Baptiſmi.

Dubium I.

1 PEtes primò: an Baptiſmus ſit neceſſarius ad conſequendum vitam æternam? Reſpõd. eſſe dogma fidei, Baptiſmũ eſſe neceſſariũ tàm parvulis, quã adultis ad conſequendum vitam æternam. Sic ſæpe definitur in Eccleſia. Sufficiat Tridentinum *ſeſ. 7. can. 5.* dicens: *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Idque expreſſerat Chriſtus Dominus verbis illis *Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Dubium II.

2 PEtes ſecundò: an Baptiſmus re ipſa (extra caſum martyrij) ſuſceptus ſit infantibus neceſſarius? Reſpondetur affirmativè. Itaque de lege ordinaria nullus parvulus poteſt ſalvari poſt ſufficientem promulgationem Evangelij ſine Baptiſmo in re ſuſcepto. Ita DD. & PP. intelligunt verba illa *Ioan. 3. Niſi quis renatꝰ fuerit ex aqua, & Spiritu S. nõ poteſt introire in regnũ Dei.*

Immo

Immò ſic videtur fuiſſe definitum in diverſis concilijs. Nam Trident. *ſeſ.7. can.5.de Baptiſmo* ſic loquitur. *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Item Florentinum *in litteris vnionis* dicit: *Niſi ex aqua & Spiritu renaſcimur nō poſſumus (inquit veritas) in regnum cœlorum introire.* Quare PP. paſsim docent hanc veritatem, præcipuè D. Iſidorus *lib. 2. de Divinis officijs cap. 24.* *quod eſt de Baptiſmo,* vbi agendo de parvulis, qui ante vſum rationis moriuntur, ſic loquitur: *ſi priuſquam ex aqua, & Spiritu Sancto regenerarentur, tranſierint, proculdubio à Salvatore noſtro Chriſto alienati ſunt, teſtante Domino, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt videre regnum Dei.* Vrgentiùs adhuc loquitur D. Auguſtinus *lib. 3. de Anima, & eius origine cap.6.* Sic enim ad rem noſtram profert: *Noli credere; noli dicere infantes, antequā baptizentur morte preventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorū, ſi vis eſſe Catholicus.* Hanc noſtrā ſententiam communiter defendunt AA. *præſertim Sotus, Vazq. Suarez, Ægidius, & Ochogavia, quos citat, & ſequitur G. Hurtado diſp.1. diff. 18.*

3 Pelagiani autem, cùm negarent originale peccatum, negarunt etiam, parvulos indigere Baptiſmo ad remiſsionem peccatorum. Et quamvis Catholici contra prædictos hæreticos conveniant, parvulos indigere Baptiſmo, eſſeque ſimpliciter loquēdo neceſſarium ad ſalutem: quia prædicta Chriſti D. verba *Ioan. 3.* & Sanctorum authoritates id cōvincunt; nihilominus aliqui opinantur, interdum parvulos poſſe ſalvari ſine Baptiſmo, nempè quando contingit, non poſſe illis applicari. Ita *noſtri D. Bonavent. in 4. diſt. 3. 1. p. diſtinctionis art. 2. q. 2. ad 1. Ricard. & Alenſis; ex alijs autem Caiet. 3. p. q. 68. art. 2. Silveſter, Gerſon, Gab. Ekius, Altiſiodorenſis, Durand. Palud. Sotus verò, & Hugo de Sancto Victore dubij manent. Quos AA. citant RR. præſertim Suar. diſp. 27. ſect. 3. Vazq. diſput. 151. c. 1. & G. Hurt. diſp. 1. diff. 18* Inter prædictos autem AA. Longum reperitur diſcrimen: quia ferè omnes dicunt, hoc non eſſe regulare, aut ſecundùm legē ordinariā a Chriſto Domino ſtatutam; ſed quòd ex miſericordia Dei, & ſpeciali diſpenſatione privilegium hoc aliquibus conceditur. Caietanus verò exiſtimat, non ſolùm ex privilegio, & interdum, ſed ſemper, & certa lege ita fieri, vt parvulus, qui in aliquo caſu fortuito baptizari non poſsit; per aliud remedium ſalvari poſsit, videlicet per fidem parentum ei applicatam quolibet ſigno externo; v. g. ſigno crucis cum invocatione Trinitatis, vel alio ſimili. Vnde videtur Caietanus legē Chriſti Domini de receptione Baptiſmi

(contentâ verbis illis *Ioan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei*) ſic interpretari, vt addenda ſit illi conditio iſta, *ſi poſsit illis applicari*: & conſequenter aſſerit Caiet. Baptiſmum eſſe parvulis neceſſarium, ſi poſsit illis applicari: aut meliùs diceret, eſſe parvulis neceſſarium in re, vel in voto.

4 Hanc Caiet. ſententiam malè audiunt communiter AA. exiſtimantes, eſſe expreſsè contra verba illa Christi Domini *Ioan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et ideo illam graviter notant non pauci. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *art.* 2. §. *Gravius autem*, & *aliqui alij* eam appellant manifeſtam hæreſim. Noſter autem Caſtro, verbo *Baptiſmus hæreſi* 9. dicit, eſſe erroneam, & temerariam, poſtquam illam nota hæreſis inuſſerat. Noſter item Andreas de la Vega *lib.* 5. *ſuper Trid. cap. vltim.* Vazq. *diſp.* 151. *cap.* 2. *n.* 10. cum aliis eam erroneam vocant. Et ideo à Pio V. deleti ſunt Comẽtarij *art.* 2. & 11. Caietani à partibus S. Thomæ.

5 Sed his cenſuris omiſsis, cõtra noſtram ſententiam objicies: decet divinam miſericordiam aliquod remedium reliquiſſe his, quibus ſuſceptio Baptiſmi eſt impoſsibilis; quales ſunt pueri decedentes, antequam naſcantur, vel vniverſaliùs loquẽdo ante vſum rationis: ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria parvulis realis ſuſceptio Baptiſmi. Reſpondetur negando conſequentiam: quia etſi ratio illa congruentiæ oſtendendi divinam miſericordiam id exigere videatur: alia vrgentiori congruentia ductus Deus (nempe vtendi iure ſuæ libertatis, & ſupremi dominij) hunc admittit ad Baptiſmum, & illum non; hoc quidem iuſtiſsimè propter incomprehenſibiles fines nos latentes; & quos altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei tranſcendit. Igitur ſicut non vrget Theologos *in tractatu de Prædeſtinatione* ſimile argumentum: (nempè decere divinam miſericordiam, ſeu eſſe oſtenſionem vberioris miſericordiæ, omnes prædeſtinare ad gloriam, quàm circa multos ante prævisionem demeritorum ſe habuiſſe negativè) confugiuntque cum D. Paulo *ad Rom.* 11. ad incomprehenſibilia iudicia Dei. Ita in præſenti non vrgemur prædicto argumento de oſtenſione vberioris miſericordiæ caſu, quo Deus inſtituiſſet alia remedia pro parvulis decẽdẽtibꝰ quibꝰ realis ſuſceptio Baptiſmi eſſet impoſsibilis.

¶ Addo, quod ſimili argumento probaretur, omnes tàm Angelos, quàm homines debuiſſe Deũ prædeſtinaſſe ad ſummam gloriam: quia in hoc magis oſtenderetur miſericordia Dei. Item debuiſſet Deus, plures Angelos, & homines creaſſe, immò omnes poſsibiles; vt ſic magis oſtenderetur eis bonitas.

6 Ob-

6 Objicit ſecundò: Deus non eſt alligatus Sacramentis ita, vt ſine illis nō poſsit iuſtificare quot quot voluerit: ergo ſine Baptiſmo poteſt iuſtificare parvulos. Reſpondetur, ita eſſe, ſi loquamur quaſi de potentia abſoluta: de lege tamen communi non iuſtificat parvulos niſi medio Baptiſmo. ¶ Objicit ſecundò: nullibi eſt definitum, non ſufficere Baptiſmum in voto, quando eius receptio in re eſt impoſsibilis: ſed parvuli poſſunt habere votum Baptiſmi nō voluntate propria, ſed parentum, qui pro ipſis profiterentur fidem; vel in voluntate Eccleſiæ: ergo poſſunt ſalvari, quin Baptiſmum in re ſuſcipiant. Reſpondetur negando minorem: Eccleſia enim nullum actum habet pro parvulis, in quo poſſet dici contineri Baptiſmus, aut qui poſsit dici eſſe votū Baptiſmi: quia numquam Eccleſia credit, tales ſalvari. Parentes vero ſine fundamento crederent hoc: cùm praxis Eccleſiæ ſtet in contrarium. Si enim hoc eſſet poſsibile de lege communi, & ordinaria, doceret Eccleſia, vt parentes elicerent prædictum actum fidei, ſaltèm conditionatum pro parvulis. Cùm autem id non doceat; efficax ſumitur argumentum ex praxi Eccleſiæ, ipſam firmiter credere, quòd de lege communi parvuli non poſſunt ſalvari ſine Baptiſmo in re ſuſcepto.

7 Objicit ſecundò: in lege naturæ fides parentum, vel Eccleſiæ applicata pro parvulis, illis ſufficiebat ad ſalutem: immò ita efficax fuit prædicta fides contra originale, vt etiam in lege ſcripta etiam valeret, adhuc vrgēte præcepto circumciſsionis: ergo etiā valebit in lege gratiæ. Patet conſequentia: etenim Chriſtus Dominus non venit ſolvere legem, ſed adimplere. Reſpondetur negando conſequentiam: quia in lege antiqua inſtituit à ſuit fides contra originale; in nova autem Baptiſmus: & ſicut in lege antiqua non valeret Baptiſmus: ita in nova non valet fides Parentum contra originale parvulorum. Ad probationem reſpondetur, dici Chriſtum Dominum veniſſe adimplere legem: quia omnia, quæ de ipſo erant ſcripta, adimplevit. Et ideò Evangeliſtæ non ſemel dicunt, in factis Chriſti D. adimpletum fuiſſe, quod de ipſo erat ſcriptum. Vt patet *Ioannis* 19. *n.* 28. *Vt adimpleretur Scriptura dixit: Sitio: & Ioan.* 17. *n.* 12. *Et nemo ex eis perijt; niſi filius perditionis, vt Scriptura impleretur.* Si autem argumentum aliquid valeret, probaret vtique adhuc valere circumciſionem: quia Chriſtus Dominus, non venit ſolvere legem,

Dubium III.

8 Petes tertiò, an adulti poſſint ſalvari abſque Baptiſmo in re ſuſcepto, & abſque

martyrio? Reſpondetur affirmativè. Quia tam per actum charitatis, quàm contritionis (pœnitentiam vocant) poteſt quis iuſtificari: vt conſtat ex Scriptura, præſertim *Ezech. 18. agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et 1. Petri cap. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum*: & alibi ſæpè. Ita communiſsimè DD. Et efficaciter deducitur ex Trident. *ſeſ. 13. cap. 4.* dum contritioni perfectæ ante ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ tribuitur vis iuſtificandi à peccatis: eadem enim vis erit in contritione perfecta ad iuſtificandum à peccatis ante realem ſuſceptionem Baptiſmi.

9 Hinc refelluntur nonnulli, qui tempore Hugonis, & D. Bernardi exiſtimarunt, nullum adultum poſſe ſalvari abſque Baptiſmo re ipſa ſuſcepto, aut abſque martyrio vice illius. Sed obijciunt: *Ioan. 3.* dicitur; *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire regnum Dei*; ergo neceſſariò requiritur Baptiſmus. Reſpond. concedo de Baptiſmo in re, vel in voto implicito (hoc eſt in actu dilectionis, aut charitatis) reperto: & negãdo de Baptiſmo tantùm in re ſuſcepto. ¶ Refellitur etiam Michael Baius Doctor Lovanienſis; qui affirmavit, adultum catechumenum non poſſe conſequi remiſsionem peccatorum abſque Baptiſmo in re ſuſcepto, etiam ſi poſsit actu contritionis, aut charitatis iuſtificari. Tamen hoc eſt damnatum à Pio V. & Gregor. XIII. in Bulla contra illum peculiariter edita. Inſupèr facilè reijcitur ex eo, quod vera iuſtificatio expellit quodcumque peccatum mortale.

Dubium IIII.

10 Peres quartò, an parvuli ſalvari poſsint morte pro Christo Domino perpeſſa abſque Baptiſmo in re ſuſcepto? Reſpõdetur affirmativè. Quia Eccleſia indiſcriminatim veneratur omnes illos infantes, quos Herodes occidit animo occidendi Chriſtum Dominum, & tamen credibile eſt, non omnes eſſe iuſtificatos ab originali; illos videlicet, qui aut nondum attigerant diem octavum à ſua nativitate; (ante quem diem non miniſtrabatur circumciſio) aut qui ex Gentilibus fuerant nati, erantque tunc cum Iudæis permixti, fuerunt que interfecti. Ita Scotus *in 4. d. 4. q. 3. §. Dicitur. à verſ. Item, ſi nõ*; vbi affirmat, & probat, poſſe prolem in vtero exiſtentem baptizari flamine, & ſanguine; *D. Thõ. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. Caiet. Sotus, Gab. Ledeſma, Palud. Maior, & Ricard. quos citat, & ſequitur Vazquez diſp. 153. c. 7. n. 70. Itẽ Suar. & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 1. diff. 20. dicens, ita cõmuniter DD. docere. Immo Vazquez ibi à n. 73. pro hac ſententia adducit Aug. Leonem 1. & alios.*

11 Pro

11 Pro oppoſita tamen ſententia citantur a Vazq. *ibi à num. 69. noſtri D. Bonav. diſt. 4. part. 2. diſt. art. 1. quæſt. 2.* (quatenùs affirmat, Baptiſmo aquæ plures à peccato liberari, quam Baptiſmo ſanguinis) *& Alexander 4. part. quæſt. 8. memb. 9. artic. 5. §. 1. Ex alijs autem Armacanus lib. 8. de quæſtionibus Armenorum cap. 27. in fine, & Adrianus in 4. quæſt. vlt. de Baptiſmo, quæ incipit 5. & vltimò §. Ad rationes in ſolutione tertiæ.* Itaque ſecundū hanc ſententiam parvuli ſalvari non poſſunt morte pro Chriſto Domino perpeſſa abſque Baptiſmo in re ſuſcepto. Vnde addit Armacan⁹, ex infantibus propter Chriſtum ab Herode occiſis eos tantùm fuiſſe ſalvatos, qui aliàs circumciſione, aut remedio legis naturæ fuerant iuſtificati. (In quod etiam inclinat pręcitatus Adrianus) Addit præterea, ſecundùm legem communem Dei tàm antiquam, quàm novam parvulos circumciſos nullum incrementum gratiæ ex morte pro Chriſto accepiſſe; & ita neque maiorem gloriam virtute illius fuiſſe conſequutos, quàm virtute ſolius circumciſionis conſequerentur. Vtrùm autem Deus peculiari aliquo privilegio cum circumciſis vſus fuerit dando illis maiorem gratiam, & gloriā, ratione mortis, quàm ratione ſolius circumciſionis haberent, definire nō audet Armacanus. ¶ Tamen quod attinet ad infantes, qui ab Herode pro Chriſto occiſi ſunt, ſententia Armacani nihil probabilitatis habet; immò verò temeritatis, & erroris notā meretur: (inquit Vazq. ibi *num. 72.*) cùm abſolutè neget, aliquid gratiæ virtute mortis eos fuiſſe conſequutos: ac proinde aliquos eorum fuiſſe damnatos, nempè filios Gentilium, qui circumciſi non erant.

12 His tamen omniſsis præfata ſententia obijcit contra noſtram: nulla eſt promiſsio Dei, qua morti pro Chriſto perpeſſæ iuſtificatio promittatur: ergo virtute illius abſque Baptiſmo in re ſuſcepto parvulus nequit ſalvari. Reſpondetur negando antecedens: à prædicatione enim Chriſti Domini extat promiſsio expreſſa illis verbis *Matth. 10. & 16. Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* ¶ Dices: ergo pro infantibus ab Herode occiſis propter Chriſtum nō erat promiſsio de cōferenda gratia ob perpeſsionem mortis: ergo non fuerunt ſalvati illi ſaltèm, qui erant filij gentilium, aut qui nōdum attigerant octavū diem: & conſequenter non erant circumciſi. Reſpondetur negando ſecundam conſequentiam: quia etſi ante prædicationem Chriſti Domini non extiterit expreſſa promiſsio; extitit tamen voluntas Dei: quæ ſufficit abſque promiſsione. De qua voluntate nobis conſtat Patrum traditione, & praxi Eccleſiæ, quibus infantes ab Hero-

Herode occiſi pro martyribus habentur, ſicut & Baptiſta, quamvis decapitatus fuerit ante mortem Redemptoris.

13 Obijcies ſecūdò, ſequi ex noſtra ſententia, mortē pro Chriſto Domino perpeſſam eſſe Sacramentum: cum ex promiſsione Chriſti, & ex opere operato conferat gratiam parvulis. Reſpond. negando ſequelam: quia, vt ex Vazq. notat G. Hurtado *diſp.* 1. *diff.* 20. mors prædicta non ſignificat, & confert gratiam, vt illata à tyranno, ſed vt tolerata à parvulis: de ratione autem Sacramēti eſt, vt ſignificet, & conferat gratiam etiam vt procedens ab aliquo, & vt actio illius eſt; & nō tantùm vt tolerata, aut recepta, aut quaſi recepta: vt videre eſt in quocumque Sacramēto tàm novæ, quàm antiquæ legis: Baptiſmalis enim ablutio v. g. etſi neceſſariò debeat recipi in homine, vt conferat gratiam baptiſmalem: vim tamen conferendi hanc gratiam non habet, eo quòd recipitur; ſed eo quòd eſt actio Chriſti Domini, ſeu ab eo inſtituta ad conferendum talem gratiā. Idem patet in circumciſione, &c.

14 Obijcies tertiò, ſequi ex noſtra ſententia, mortem pro Chriſto Domino toleratam eſſe verum martyrium, ſeu facere verū martyrem: ac per coſequēs ad martyrium non requiri, quòd mors toleretur ex affectu charitatis, dummodo toleretur pro Chriſto D. Reſpondetur, ita eſſe. ❡ Sed cotra: hoc enim videtur eſſe contra D. Paulum 1. *ad Chor.* 13. dicentem: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatē tamen nō habuero, nihil mihi prodeſt.* Reſp. negando: ex quocumque enim affectu virtuoſo mors perpeſſa pro Chriſto D. aut in odium illius habet vim conferendi gratiam iuſtificantem, ſeu charitatē.

15 Obijc. quartò, hanc noſtrā ſententiam eſſe contra Trident. *ſeſ.* 6. *cap.* 4. vbi dicitur, remiſsionē originalis poſt Evangeliū promulgatum non poſſe fieri abſque Baptiſmo in re ſuſcepto, aut ſaltē in voto: cum autem parvulus nō poſsit recipere Baptiſmum in voto, ſeu affectu, neceſſariò ad deletionem originalis debet illum recipere in re. Reſpond. negando aſſumptum. Concilium autem loquitur de eo, quod ordinariè contingit, ſeu de parvulis, qui nō occiduntur pro Chriſto Domino: quia qui ſic occiduntur, (vt Auguſtinus ait *lib.* 13. *de Civitate cap.* 7.) excepit Chriſtus Dominus ab illa lege generali *Ioan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire regnum Dei.* Exceptio autem continetur verbis illis *Matth.* 10. *num.* 16. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.*

Dubium V.

16 Petes quintò, à quo tempore Baptiſmus cœperit eſſe neceſſarius? (Supponit hoc dubium dicta cap. 1. à num. 13. de tempore inſtitutionis Baptiſmi.) Respond. quod non cœpit obligare, ſeu eſſe neceſſarium Sacramentum Baptiſmi vſque ad authenticam, & vniverſalem promulgationem legis Evangelicæ, quæ facta eſt in Ieruſalem in die Penthecoſtes. Quia nulla lex obligat vſque ad ſolemnem promulgationem: ſed lex Evangelica non fuit ſolemniter promulgata ante Pēthecoſten; tūc enim fuit ſolēniter promulgata in adventu Spiritus Sancti, ingentique populorū concurſu, quibus Apoſtoli legem Chriſti D. prædicarunt: ergo ex tunc, & non anteà cœpit obligare: & conſequenter Baptiſmus (qui eſt vna pars illius legis) cępit eſſe neceſſarius, ſeu obligare. Et colligitur ex Trident. ſeſ. 6. cap. 4. dicente poſt Evangelium promulgatum neminem iuſtificari ſine Baptiſmo: ſentit ergo duo concilium, nempè & quod ante promulgationem non obligabat; & quòd poſt promulgationem ſtatim obligat ita, vt ſine eius virtute nemini cōtingat iuſtificatio. Ita Scotus *in 4. diſt. 3. quæſtione 4. §. Quantum ergo à verſ. Secundum autem Suar. diſp. 27. ſect. 4. Filliucius tit. 2. cap 6. Ægidius q. 69. art. 2. dub. 2. & alij.*

17 Vnde reijcitur quorundam opinio, qui tempore D. Bernardi (qui floruit tempore Pontificis Innocentij II. anno milleſimo centeſimo trigeſimo; obijtque *anno* 1153. ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio) aſſeruerunt, ab eo tempore, quo Chriſtus Dominus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. Ioann.* 3. cœpiſſe Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, ita vt nullus poſteà ſine Baptiſmo ſalutem fuerit conſequutus. Cui ſententiæ videntur favere aliqui PP. *præſertim Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. Cyprianus, Chryſoſtomus, & Auguſtinus citati à Suar. diſp. 27. cap. 1.* Reſpondetur tamen cum Suarez *ſect. 4. in fine*, hos PP. (quatenùs dicunt, bonum latronem fuiſſe baptizatum, aut non fuiſſe mortuum ſine baptiſmo) locutos fuiſſe ex quadam pia cōſideratione. Itaq; cùm conſequutus fuerit ſalvationem, ſeu ſalutem, quę eſt effectus Baptiſmi, indicant ipſum Baptiſmum recepiſſe. ¶ Sed pro hac ſententia obijcies: ſatis promulgatus fuit Baptiſmus, quando Chriſtus Dominus dixit Nicodemo: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ergo ex tunc cœpit obligare. Reſpondetur negando: quia tunc nō erat inſtitutus Baptiſmus. Quare verba illa ſunt intelligenda non de præſenti; ſed de futuro. Sicut & illa, *niſi manducaveritis carnem filij hominis Ioan.*

Ioan.6. num. 53. quæ etiam dicta ſunt ante inſtitutionem Euchariſtiæ. ¶ Obijcies ſecundo, Chriſtus Dominus in cruce dixit, *conſumatum eſt*: ergo conſumata fuit tunc antiqua lex, & nova cœpit obligare, & conſequenter ante Penthecoſten. Reſpondetur negando conſequentiam: quia verbum illud *conſumatum eſt* referēdum eſt ad ea, quæ in Scriptura de Chriſto Domino erant ſcripta: ac ſi diceret, omnia vaticinia ad ipſum relata ſua morte fuiſſe completa: iuxta illud *Lucæ* 18. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſumabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de filio hominis.* Reſpondetur ſecundò, verbum illud *conſumatum eſt* referri cauſaliter ad antiquæ legis ceſſationem: nā mors Chriſti Domini fuit cauſa, confirmationis legis Evangelicę: & conſequenter etiam fuit cauſa vt, nova lege veniente, antiqua evacuaretur, & ſepeliretur: non tamen ab ipſo mortis tempore, ſed poſt ſolemnem promulgationem legis Evangelicę. Vtramque ſolutionem tradit Scotus *diſtinct.* 3. *quæſtione* 4. §. *Ad argumenta pro opinione à verſ. Ad illud Ioan.* 19.

8 Reijcitur etiam ex noſtra concluſione ſententia, quæ affirmat, Baptiſmum cœpiſſe eſſe neceſſarium neceſsitate medij, & præcepti à tempore mortis Chriſti Domini. Ita Vazquez *diſput.* 145. *cap.* 3. *Ochâga via quæſt.* 14 *G. Hurt. diſp.* 1. *diff.* 15. *& alij.* Pro qua ſententia præter obiecta *n* 7. quorum vltimum præſertim militat pro iſta ſentētia, obijcies Auguſtinum, Hieronymum, & Hugonem de Sancto Victore, qui clarè ſupponunt, cæremonias legis morte Chriſti Domini fuiſſe mortuas; & conſequenter abſque vtilitate ad iuſtificandum manſiſſe. (Idemque non minori ratione dixiſſent, dicendumque eſt in iſtorum ſententia de quocumque remedio in lege naturæ ad iuſtificandum præſtito.) Reſpondetur, PP. iſtos ſolum intendere quod *num.* 7. cum Scoto dicebamus, nempe mortem Chriſti D. fuiſſe cauſam confirmationis legis Evangelicæ; & conſequenter ceſſationis legis antiquæ, illiuſq; Sacramentorum; quæ mortua, & abſque vtilitate ad iuſtificandū manſerunt; in cauſa, ſeu initiativè ab inſtante mortis Chriſti Domini; abſolutè autem, & quaſi completivè a die Penthecoſtes, quando lex Evāgelica ſolemniter promulgata eſt.

Dvbivm VI.

9 Petes ſextò, an à die Penthecoſtes Baptiſmus cęperit eſſe vbique terrarum neceſſarius? Reſpondetur negativè. Quia nulla lex obligat vſque ad ſufficientem promulgationem: ſed in die Penthecoſtes non fuit ſufficienter promulgata lex Evāgelica vbique, ſed ſolùm in Ieruſalem: ergo ex tunc non cœpit vbi

vbique obligare, ſeu eſſe neceſſarius Baptiſmus. Ita Scotus *diſt. 3. quæſt. 4. §. Quantum ergo verſ. Secundum autem, Suar. & Filliucius num. 6. citati.* ¶ Ægidius autem ibi citatus exiſtimat, à die Penthecoſtes Baptiſmum vbique cœpiſſe eſſe neceſſarium: & obijcit, quòd Tridentinum *ſeſ. 6. cap. 4.* dicit, poſt Euāgelium promulgatum neminem iuſtificari abſq; baptiſmo: ergo à die Penthecoſtes fuit Baptiſmus neceſſarius. Patet conſequentia: quia tunc fuit ſolemniter promulgata lex Evangelica, & conſequenter Baptiſmus. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationē dico, ſolùm in Ieruſalem fuiſſe tunc promulgatam legem Evangelicam; & conſequenter Baptiſmum.

10 Obijcies ſecundò, in die Pēthecoſtes abrogata fuit lex antiqua in toto orbe: ergo & lex Evangelica, & cōſequenter Baptiſmus fuit obligatoriè introductus. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: in cauſa concedo: in effectu nego: aut aliter in actu primo, concedo: in actu ſecundo, nego. Aut aliter: quantùm eſt ex parte derogantis, concedo: ſimpliciter, aut abſolutè, nego. Itaq; ſicut ad hoc, vt lex obliget ſubditos non ſufficit, quod à legiſlatore condatur, ſed neceſſario requiritur, quod inferioribus intimetur, ſeu notificetur: ita vt lex aliqua, quę eſt iam in viridi obſervantia, deobligat, non ſufficit, quòd à ſuperiori obrogetur, ſed etiam requiritur, quòd talis abrogatio inferioribus notificetur, ſeu ſufficienter intimetur. Igitur in die Penthecoſtes antiqua lex abſolutè abrogata fuit pro Ieruſalem, vbi ſolemniter fuit denuntiata eius deobligatio, ſeu abrogatio: pro alijs autem partibus vniverſi quaſi in actu primo; in cauſa, aut quantum eſt ex parte derogantis fuit abrogata; non tamen ſimpliciter, ſeu abſolutè: quia ad hoc fuit neceſſariū, quòd pro ſingulis provincijs ſufficienter notificaretur prædicta deobligatio. Sicut & in troductio novæ legis. Huc ſpectat Scotus ibi ſic alta reſolutione locutus. *Tempus nō incœpit ſimul apud quoſcumque, ſed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Ieruſalem iuxta prophetiam Iſaiæ. Et quibuſdam incœpit tempus ſecundum* (hoc eſt quando intimata eſt lex Evāgelica ſub obligatione) *ad menſem poſt Penthecoſtem; & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos: & ſic deinceps: ſicut eis prædicabatur.*

11 Dices: ergo lex antiqua alicubi terrarum non eſt abſolutè derogata: neque Evangelica introducta. Patet, quia fortè in aliquibus regnis, præcipuè Indorum Occidentalium, non eſt ſufficiēter prędicata lex Evangelica: quare ſi ibi fuerint aliqui Iudæi, reſpectu illorum non erit derogata lex antiqua ſimpliciter, & abſolutè; quamvis alias à die Penthecoſtes quaſi in cauſa; in actu primo,

primo, & quantum eſt ex parte Chriſti Domini condentis legem Evangelicam, & derogantis antiquam, fuerit iam nova introducta, & vetus derogata. Reſpondetur, ita eſſe philoſophandum ſecundùm AA. noſtræ ſententiæ, & præcipue ſecundùm prælegata Scoti verba. ¶ Neque in hoc mihi minimum contra fidem, aut mores apparet incommodum. Si enim non peccat ille, qui ex invincibili ignorantia legis contra ipſam operatur: certum etiam erit, aliquos excuſari à lege Baptiſmi ex tali ignorantia non ſolum in regnis, in quibus lex Evangelica non fuit ſufficienter promulgata; (ſi aliqua ſint talia regna) ſed etiam in illis, in quibus ſufficienter olim fuit prædicata, & ſucceſſu temporis fuit memoria illius abolita. Igitur ſi alicubi detur deobligatio legis Evangelicæ, & conſequenter Baptiſmi: ac per conſequens non ceſſatio legis antiquæ: quid (quæſo) ad fidem, aut ad mores conducit affirmare, hanc deobligationem oriri ex eo, quod lex non obligat, quoadvſque in ſingulis provincijs ſufficienter intimetur? aut ex eo, quod de tali lege alicubi, & non vbique intimata datur reſpectu aliquorum ignorantia invincibilis? Certè vnum, aut alterum affirmare longiſsimè abeſt ab aliqua minima cum fide, aut moribus oppoſitione: eſt enim quæſtio methaphyſica: in qua facultate mihi perſuadeo, ſuperfluè poni abſolutam obligationem ante ſufficientem legis promulgationem. ¶ Quod autem poſsit dari ignorantia invincibilis legis Evangelicæ latè dixi *in tractatu de peccatis (typis non mandato) diſput. 5. quæſtione 4. cum D. Thom. 2. 2. quæſtione 10. art. 1. Durand. Medin. Vazq. Lorca, Montes. Thomas Sanch. & Gaſp. Hurtad.*

Dubium VII.

12 Petes ſeptimò, quando adultus teneatur implere præceptum Baptiſmi? (Suppono dari tale præceptum; eſſeque divinum contentum verbis illis, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare regnum Dei. Ioann. 3.* Ita communiſsimè AA.) Reſpondetur teneri recepere Baptiſmum, cùm primùm poſsit. Quia ſicut ex præcepto fidei tenetur quis credere ſtatim, ac myſteria fidei fuerint ei ſufficienter propoſita: ita Chriſtus Dominus voluit obligare ad receptionem Baptiſmi: quia Baptiſmus eſt ſolemnis profeſsio fidei; & per quam baptizatus recipitur in numerum fidelium, fitque capax recipiendi alia Sacramenta. Ita Caiet. *Suar. Vazquez, Ægidius, & communiter AA. quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurtado diſputat. 1. diffic. 16.*

¶ Nota tamen hanc obligationem

nem poſſe differri ex rationabili cauſa: vt quando dilatio convenit, vt baptizatus melius inſtruatur de rebus fidei; aut vt Baptiſmus ſolemniùs conferatur; aut vt evitetur damnum aliquod cōſiderabile ſalutis, vel divitiarum: vel quando expedit profectui ſpirituali proprio, vel alieno.

13. Sed Leſſius 1. *part. quarta qu.* 72. 9. *artic.* 3. *dub.* 1. docet, præceptum divinū Baptiſmi pro nullo tempore determinato ante finem vitæ obligare; ſed pro tempore indeterminato: & obijcit: præcepta Sacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ non obligant quam primùm poteſt quis ea recipere: ergo neque præceptum Baptiſmi. Reſpondetur, diſparitatem eſſe, quòd per Baptiſmum efficitur quis membrum Eccleſiæ, & capax recipiendi alia Sacramenta: & ideò voluit Chriſtus Dominus ad receptionē illius ſtatim obligare. ¶ Obijcit ſecundo, quod D. Martinus, Ambroſius, & alij magni viri longo tempore diſtulerunt receptionē Baptiſmi: ergo nō ſtatim ac moraliter quis poteſt, obligat illius receptio. Reſpondetur negando conſequentiam: quia credendum eſt, iuſtam cauſam huius dilationis habuiſſe: aut ex ignorantia invincibili, & bona fide hanc dilationem habuiſſe. Qua ignorantia videtur laborasse Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap.* 18 aſſirmans, conſilium eſſe differre Baptiſmi receptionem. Hoc tamen eſt contra DD. & PP. communiter reprehendentes eos, qui Baptiſmum differunt vſque ad finem vitæ. Præcipuè legantur *D. Clemens Romanus lib. 6. Conſtitutionum Apoſtol. cap.* 13. *Baſilius hom.* 13. *Nazianzenus orat. in Sanctum Baptiſmum, quæ eſt* 40. *& Chryſoſtomus hom.* 1. *in acta Apoſtolorum.* ¶ Dices: per baptiſmum remittuntur omnia peccata etiam quoad pœnam: ergo melius eſt, recipere Baptiſmum in fine vitæ, vt quis purior ex hac vita decedat. Reſpondetur negādo conſequentiam: vrget enim præceptum Chriſti Domini de recipiendo ſtatim Baptiſmum. Ratio autem congruentiæ ad ſic diſponendum fortè fuit, quod præponderat ad bona relata periculum decedendi ſine baptiſmo: qualiter decederent omnes, qui ſubitò moriantur. Quare exiſtimo, eſſe grave peccatum temeritatis notabilem dilationē Baptiſmi. Non ſecus ac gravi infirmitate laborans graviter peccaret nolendo opportuna adhibere remedia. Præterea præponderant bona orta ex receptione Baptiſmi, ſcilicèt ingreſſus in Eccleſiam, & communicatio Sacramentorum, quorum receptione anima redditur dignior vberioris gloriæ.

(.·.)

Dubium VIII.

14 PEtes octavò, an Eccleſia poſſit determinare tempus præcepti divini ſuſcipiendi Baptiſmum ante finem vitæ? Reſpondetur negativè. Quia præcepto divino determinatum eſt hoc tempus, nempè cùm primũ commodè poſſint adulti: ergo Eccleſia nequit aliud determinare, non ſolùm definiendo, ſed neque interpretando. Verum tamen eſt, quod, quando occurrit dubium, an cauſa aliqua ſit ſufficiens ad dilationem Baptiſmi? poteſt interpretari, aut opinari eſſe, vel non eſſe ſufficientem nõ minùs quàm quilibet vir doctus.

¶ Cõfirmatur: quia ſicut Eccleſia nequit mutare, aut determinare materias, aut formas Sacramentorum, quas Chriſtus Dominus determinatas reliquit: ita neque tempus huius præcepti: quia ipſe Dominus reliquit determinatũ, recipi ab adulto, quàm primùm poſſit. Ita *Vazquez diſput. 150. cap. 2. Suarez diſput. 31. ſect. 2. Oviagania quæſt. 15. & G. Hurt. diſp. 1 diff. 18.*

15 Sed oppoſitum defendunt *Cajet. q. 68. art. 3. Sotus, & Ledeſma citati ab eodem Hurtado.* Et obijciunt: Chriſtus Dominus commiſit ſuæ Eccleſiæ Sacramentorum diſpenſationem: ergo poteſt determinare tempus adimpletionis præcepti Baptiſmi. Reſpondetur negando conſequentiam, vel potiùs ſuppoſitum conſequentis; ſupponit, (inquam) nõ eſſe à Chriſto Domino præſcriptum tempus Baptiſmi, nempè quòd quàm primùm poſſit recipiatur. Et ideò fatemur, poſſe Eccleſiam illud determinare, (ſi alias non eſſet à Chriſto Domino determinatum) ſicut determinavit præceptum confeſſionis; recipiendi Euchariſtiam, &c.

¶ Dices: ergo Eccleſia nequit obligare adultum ad recipiendũ Baptiſmum hoc, vel illo tempore. Reſpondetur, ita eſſe; cùm enim adultus ante Baptiſmum ſit extra Eccleſiam, nequit eius mandatis obligari. Immò cùm materia illa ſit iam à Chriſto Domino determinata, nequit ab Eccleſia præcipi. Tamen valet Eccleſia præcipere parentibus fidelibus, vt quàm primum poſſint baptizent ſuos parvulos. Tum quia fideles poteſt ſuis mandatis obligare. Tum quia illud præceptum eſt executio præcepti divini de receptione Baptiſmi: quod præceptum etſi non obligat parvulos propter defectum vſus rationis, obligat parentes ad eius executionem: & conſequenter poteſt Eccleſia circa illius executionem laborare.

(.·.)

CAP.

CAP. VII.

De ſuſcipientibus Baptiſmum.

DVBIVM I.

1 PEtes primò an omnes homines viatores, & ſoli ſint capaces ſuſcipiendi Baptiſmum? Reſp. affirmatiuè. Quia Matth. vltim. dicitur: *docere omnes gentes baptizantes eos, &c.* Cu ergo ſub hac voce *omnes gentes* cōprehendatur omnes viatores, ſeu qui in mundo degunt: fit, nullum hominem huius mūdi excludi a receptione Baptiſmi. Præterea cu Angeli, aut homines mortui ſub hac voce *omnes gentes* non cōprehendantur in vulgari, & propria ſignificatione; Angeli, & mortui non ſunt proximè capaces Baptiſmi. Vnde conſequenter relinquitur, ſolos, & omnes homines viatores poſſe Baptiſmum recipere. ¶ Vnde infertur, omnes adultos; etiā ſi iam ſint iuſtificati per contritionem, aut alio remedio, eſſe capaces huius Sacramenti. Quia ſub illa voce *omnes gentes* comprehenduntur. ¶ Propter eamdē rationem infantes nati ante vſum rationis ſunt capaces Baptiſmi. Quod etiam definitum eſt in diverſis concilijs, præſertim in Tridentin. *ſeſ. 7. can. 12. 13* & 14. De quo inter Catholicos nulla extat controverſia, quamvis tempore D. Bernardi extiterint quidam Henricus, & Petrus de Bruis exiſtimātes, parvulos ante vſum rationis nō eſſe capaces Baptiſmi. Et obijciebant, quod non ſunt capaces eliciendi actum fidei; ſed *Marc. vlt* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Reſpondetur, ibi tantum eſſe ſermone de adultis: quia illis tantum, & non parvulis erat prædicandum Evangelium; vt dicitur verbis proximè antecedentibus. ¶ Iteratum errorem etiam tenuerunt noſtro ferè tempore Anabaptiſtæ. De quo videndi ſunt RR. præter m *Bellarm. lib. 1. de Baptiſmo c. 9. & Vazq. diſp. 144.* ¶ De qualitate autem intentionis neceſſariæ ad recipiendum Baptiſmum nihil nobis eſt addendum his, quæ diximus *in hoc tom. tract. de Sacramentis in genere cap. 6. a n. 1.*

DVBIVM II.

2 PEtes ſecundò, an infans exiſtens in vtero materno ſit capax Baptiſmi? Reſpondetur affirmatiuè. Quia comprehenditur ſub illis verbis *omnes gentes.* Recolantur dicta *caput 2. num. 26.*

(.·.)

Dubium III.

3 PEtes tertiò, an infantes nō baptizatorum validè baptizentur, invitis parentibus? Reſpond. affirmativè. Quia ad valorem Baptiſmi infantium Chriſtus Dominus non petivit conſenſum illorum: cùm in illis ſit impoſsibilis. Neque petivit conſenſum parentum, aut cuiuſcumque alterius. Hoc enim ſine fundamento diceretur: cùm voluntas infantis ſit omninò diſtincta a voluntate tàm parentum, quàm cuiuſcumque alterius: & alias parvuli nihil commiſerunt parentibus, aut alijs pro ſe faciendum, aut petendum.

¶ Dices: in iure civili voluntas parentum, aut aliorum aliquando valet parvulis ad aliquos effectus: ergo & ad Baptiſmum. Reſpond. negando conſequentiam: ius enim piè ita diſpoſuit in bonum infantiū, quaſi interpretādo voluntatem, quam rationabiliter habere debebant. In damnum autem illorum nihil tale diſpoſuit; immò neq; piè ſic diſponere potuiſſet. Vnde ſolùm colligitur, poſſe interpretari voluntatem infantium, quando cedit in eorum commodum, aut bonū; vt quādo offeruntur Baptiſmo: non autem, quando tantum bonū, ac in Baptiſmo recipiunt, amitterent defectu voluntatis parentum. Hanc concluſionem defendunt *Scotus diſt. 4. quæſt. 2. §. Ad quæſtionem a verſ. Ad ſecundum, & communiter RR. præſertim Vazquez diſput. 155. Suar. diſput. 25. ſect. 1. Ægidius quæſt. 68. art. 10. ex antiquis autem D. Anton. & Caiet. quos citat & ſequitur Gaſp. Hurt. diſput. 3. diff. 3.*

4 Sed oppoſitum defendunt Durand. *in 4. d. 6. quæſt. 7. Palud. Marſ. Capreolus, Silveſter, & Catherinus citati à prædicto Hurt.* & obijciunt. Ad valorem Baptiſmi requiritur conſenſus: ſed hic nequit reperiri in infantibus: ergo ſaltèm requiritur in eorum parētibus, aut in illis, ſub quorum cura ſunt. Reſp. diſtinguendo maiorem: eſt enim vera de adulto: & falſa de parvulo. Et ideo ſic concludit Scotus ibi: *eſto, quod in Eccleſia Militante* (hoc eſt in toto mundo) *nullus eſſet fidelis; tamen intenderet* (miniſter) *facere, quod Chriſtus D. fecit; parvulus adhuc verè baptizaretur, & reciperet gratiā.*

Dubium IIII.

5 PEtes quartò, an infantes infidelium licitè poſsint baptizari, invitis parentibus? Reſp. affirmativè. Quia baptizare eſt actio honeſta: immo & iubetur verbis illis: *docete omnes gētes, baptizantes eos, &c. Matth. vlt.* Secundo quia parentes in hoc caſu ſunt irrationabiliter inviti; vtì qui filios privant tanto bono, nempè vita ſpirituali. Quare ſicut ſi parentes impedirent, ne filijs applicarentur remedia corporalia ad ſanandum de gravi, & mortali in-

fir-

firmitate, licitè (immò aliquando obligatoriè) applicarentur remedia infirmis cōtra parentum voluntatem; diceremuſque, illos eſſe irrationabiliter invitos: ſic in præſenti: etenim prædicti infantes graviſsima infirmitate ſpirituali laborant: & ideo parentes impedientes, Baptiſmum ipſis applicari, ſunt irrationabiliter inviti: & corrigenda, aut regulanda eſt illorum voluntas per voluntatem Chriſti Domini volentis, quod omnes ſalventur medio Baptiſmi. In hanc concluſionem exiſtimo conſpirare AA. Quamvis enim multum diſtrahantur, & inter ſe diſſideant: hoc tamen eſt loquendo in caſu, quo baptizato immineat periculum mortis corporalis, aut negatio fidei. Hoc autem eſt de per accidens; noſtra vero concluſio loquitur per ſe. Quare pro ipſa citandi ſunt non ſolùm Scotus *lib. 4. quæſt. 9. Gab. Angles, & Vega, & communiter Scotiſtæ, quos citat, & ſequitur noſter Vidal. tom. 1. tract. 5. diff. 15. num 7.* qui dicunt, licitè baptizari prædictos infantes, ſi alias ſint filij parentum ſubditorum Principibus, aut Dominis Chriſtianis: ſed etiam citandi ſunt *D. Th. q. 68 art. 10. Angil. Laza. & Suar. quos citat, & ſequitur Gr. Hurt. diſp. 3. diff. 4.* dicens *ſic communiter docere DD.* nēpe de per accidēs nō poſſe licitè baptizari prædictos infantes filios parentum ſubditorū Principibus, aut Dominis Chriſtianis. Igitur conſpirant AA. in hanc noſtrā concluſionem, nempè quod per ſe loquendo licitum (immo, & multoties obligatorium) eſt, baptizare filios infidelium, invitis eorum parentibus.

6 Dices, quod Concilium Toletanum IIII. *can. 58. & refertur in cap. Iudæorum 28. quæſt. 1.* ſic dicit: *Iudæorum filios, vel filias baptizatos, ne parentum involvantur erroribus, ab eorum conſortio, ſeparari decernimus*: & meritò: ſi enim cum illis perſeverent, prudēter timeretur, quod relinquēt fidem ſuſceptā in Baptiſmo, aut quod ab ipſis parētibus in odium fidei interficiantur: ergo neceſſarium eſt, parvulos infidelium cōtra ſuorum parentum voluntatē baptizatos ab ipſis ſeparari. Tunc ſic: ſed hæc ſeparatio eſt illicita: ergo nequeunt, ipſis parentibus invitis, baptizari. Probatur minor: quia parentes iure naturali parentum habent poteſtatem habendi curam filiorum non vtentium ratione, & eos ſecum habēdi, & educandi: ergo nequeunt hac poteſtate ab aliquo privari. Reſpond. admiſſo fere toto, nihil concludi contra nos: ſolùm enim infertur, baptizare prædictos infantes eſſe illicitum per accidens, ſeu ratione damni imminentis: ſicut illicitum eſſet infirmario audire ſacrum, adhuc in die feſto, aut recitare officium divinum, ſi ex illius mora, aut abſentia infirmus periclitaretur: & tamē certū eſt, quod abſolutè loquendo audire ſacrū, aut recitare offi-

officium divinum eſt honeſtum per ſe, quamvis aliquando deturpetur ex aliqua circumſtantia. Sic ergo in præſenti, baptizare filios infideliũ eſt per ſe licitum: quãvis alias aliquando ſit propter prædictum periculum mortis à parentibus inferendæ, aut ſubverſionis à fide malum, & illicitum. Vnde apertè cõſtat, quòd, ceſſante prædicto periculo, remanet licitum, & honeſtum baptizare filios infidelium, ſive ſint ſubditi Chriſtianorum, ſivè non. ſivè is, qui baptizat, ſit Dominus, ſivè non. Ad particularia verò deſcendendo ex dictis.

7 Infertur primò, licitè baptizari infantẽ, de cuius vita eſt iam deſperatum, etiam ſi renuant parentes, & non ſint ſubditi Chriſtianorum: quia tunc ceſſat periculum prædictum: vt fatentur etiam illi, qui exiſtimant, illicitũ eſſe baptizare infantes invitis parentibus, etiam ſi ſint ſubditi Chriſtianorum; præſertim id fatentur *Vazq. Ægidius, & Gaſpar Hart. num. 5. citat.* Addo ego, tunc baptizare infantulum eſſe obligatorium ſub mortali. ¶ Infero ſecundo licere baptizare in caſu, quo infans ſit ſeparatus à cura parentum, (etiam ſi alias iniuſte fuerit ſeparatus) & non ſit ſpes, quod illis reſtituatur. Quia tunc ceſſat periculum. Quod & fatetur Hart. ibi. ¶ Infertur tertio, licere baptizare infantem in caſu, quo vnus ex parentibus cõſentiat, alio repugnante: vt etiam fatetur Hurtado. Quod intelligo in caſu, quo ille, qui conſentit, ſit vir: tunc enim præſumitur ceſſare periculũ; quia, cùm ſit caput familiæ, poterit matrẽ temperare. ¶ Infertur quarto, licitè baptizari infantem infideliũ, qui orbatus vtroque parente degit ſub curatore: vt fatetur Hurt. ibi. Quia ceſſat ratio periculi. ¶ Infertur quinto, puerũ, qui iam habet vſum rationis, & eſt ſub cura parentũ licitè baptizari: quia ceſſat ratio periculi. In quo convenire DD. teſtatur Hurt. ibi. ¶ Immò Sotus *in 4. d. 5. art. 10.* (cõtra Vazq & Ægidium) exiſtimat, licitè baptizari eum, de quo dubitatur, an attigerit vſum rationis: hoc enim cedit in obſequium fidei, & religionis Chriſtianæ.

8 Ferè omnia dicta *à n.* 6. dixerim omittendo omnia ferè argumenti ibi facti: poteſt tamen aliter reſpõderi prædicto argumẽto. Igitur reſpondetur negando minorem ſuſumptã, nempe eſſe illicitam ſeparationem filiorũ infidelium a ſuis parentibus, quando iſti ſunt ſubditi, ſeu mancipia Chriſtianorum. Ad probationem dico, iure gentium ſic eſſe introductam dominationem reſpectu ſui ſervi, vt poſsit vendere illum proprius Dominus: & conſequẽter poſsit ab illius filijs ſeparare.

9 Obijcies ſecundo contra noſtram concluſionem Eccleſiæ conſuetudinem: hæc enim numquam vſa eſt baptizare infantes infidelium, adhuc Principibus Chri-

Chriſtianis ſubditorum, invitis eorum parentibus; ergo quia Eccleſia id iudicat illicitum. Reſp. omiſso antecedenti, negando conſequentiã: Eccleſia enim re[illegible] Principibus, aut Dominis Chriſtianis examinare, an hic, & nunc [illegible] parvuli [illegible] tur in periculo [illegible] a parentibus [illegible] fidei inferenda; aut ſubv[illegible] à fide. [illegible] autem, aut Dom[illegible], frequenter [illegible] tale periculũ: & ideo prædictos parvulos non baptizant. Si autem aliquando iudicant, periculum ceſſare, ipſos baptizant [illegible] caſibus [illegible] 7. relatis. Vnde etiam [illegible] Dominos, ſed etiam [illegible] aliquando [illegible] baptizare parvulos [illegible] Adde [illegible] *num.* 6 [illegible] re[illegible] baptizare, [illegible] ſeu [illegible] ſed [illegible], quã[illegible] patria poteſt[illegible] ra[illegible] furtum faciunt [illegible] quod [illegible] irrationabile [illegible] rationabile, [illegible] vitam, [illegible] & [illegible] non [illegible].

(Vt ſuppono)

Dvbivm V.

10 PEtes (obiter) quintò, an Iudæi ſint ſervi, & mancipia Principum, in quorum regnis habitant? Reſpond. negative. Quia experientia conſtat, eos nõ tractari, vt mancipia: cù[illegible] habeat dominium ſuorum bonorum, & proprio nomine negotientur, peragantque contractus. Quæ omnia ſervis repugnant. Quod & ſignificat Innocentius III. *in cap. Etſi Iudæos*. Ita [illegible] *d. 5. art.* 10. [illegible] *q. diſp.* 155. *cap.* 5. & *Gr. Hurtad. diſp.* 3. *diſ.* 5. ¶ Sed oppoſitum defendunt Durandus *diſt.* 4. *quæſt.* 6 & *Caiet. q.* 68 *art.* 10. Et obijciunt: Iudæi ob mortẽ Chriſto [illegible] meruerunt libertate [illegible] ergo fuet mancipia Reip [illegible] conſequentiam: quã [illegible] ſervituté; & [illegible] qui aut mortem [illegible] aut illi [illegible] deſcendentes [illegible] facto tamen nõ ſunt [illegible] redacti. ¶ Dices, quos [illegible] itum, & Veſpaſianum [illegible] fuerunt in ſervitute redacti. Reſp. [illegible] dici. Quamvis enim ex [illegible] conſtet, ab [illegible] Imperatoribus illorũ regionẽ [illegible] captã, n[illegible] in ſervitute Romanorum [illegible], quia [illegible] Præterea [illegible] ex eo [illegible] Veſpaſianum fuerint ſervi, erunt etiam reliquorum Principum?

Dvbivm VI.

11 PEtes 6. an amentes ſint baptizãdi? Reſp. ſub diſtinctione. Si enim ſint perpetuò amentes, baptizandi ſunt, ſicut parvuli. Sin autẽ aliquando habuerint vsũ rationis; & conſtet, aliquando petijſſe baptiſmum, & talẽ petitionem non retractaſſe, etiam ſunt baptizandi. Secus autẽ, ſi conſtet, recuſaſſe Baptiſmi receptionem; aut circa Baptiſmi receptionem nunquam aliquem affectum, aut conſenſum habuiſſe. Quia ad validam Baptiſmi receptionem aliquis conſenſus requiritur in adulto: vt diximus *in tract. de Sacram. in gen. cap. 6. n. 2.* ¶ De dormiẽtibus autem philoſophandum eſt, ſicut de illis amentibus, qui non ſunt perpetuo amentes.

Dvbivm VII.

12 PEtes 7. vtrùm Chriſtus D. & B. Virgo fuerint incapaces recipiẽdi Baptiſmũ, eo quod immunes fuerint ab originali? Reſp. negativè. Itaque peccati originalis immunitas non obſtat receptioni Baptiſmi. Quare quantùvis ratione vnionis hypoſtaticæ Chriſtus D. & eius ſanctiſsima mater titulo maternitatis immunes fuerint ab originali; ex hac parte non pugnat, quòd ſuſceperint Baptiſmum. Ratio autem concluſionis eſt paritas circumciſsionis: quæ ex ſe ordinabatur ad delendum originale: & tamen ipſam recepit Chriſtus Dominus. Item ſacratiſſima Virgo recepit Sacramẽtum, quod in lege ſcripta inſtitutũ erat contra originale mulierũ: (quodnam fuerit iſtud dixi *in tractatu de Sacram. in genere cap. 2. num. 10.*) ergo, quamvis Baptiſmus ordinatus, aut inſtitutus fuerit ad delendum originale, poterit recipi ab illo, qui originali caret. Et vtriuſque ratio eſt, quod tàm Baptiſmus, quam circumciſsio, remedium quę contra originale mulierum primo (totaliter, aut partialiter) fuerunt inſtituta ad imprimendum characterem, quo Chriſtiani recipiuntur in familia Chriſti Domini, & a quacumque alia diſtinguuntur: & cultores legis Moſaycæ in ea adſcribebantur, & ab alia diſtinguebantur: ergo, etiã ſi aliquis careat originali, poterit recipere Baptiſmum, vt ei tribuatur alius effectus, nempe character. Confirmatur inſtantia adulti, qui recipit Baptiſmum, poſtquam eſt iam iuſtificatus per actum contritionis, aut dilectionis Dei: iſte enim caret originali; & tamen recipit Baptiſmum: ergo, eo quod aliquis careat originali, nõ redditur incapax Baptiſmi.

13 Hanc concluſionẽ defendunt quotquot in hac ætate defendunt, B. Virginem fuiſſe baptizatam: ſum enim fere omnis populus Chriſtianus firmiſsimè ſtatuat, ipſam Reginam mundi ſine originali fuiſſe conceptam, defendendo, fuiſſe baptizatam; ſiplanè

fatea-

fatentur, carentiam originalis nõ reddere aliquem incapacem Baptiſmi. Immo etiam illi, qui huic pijſsimæ opinioni non ſubſcribunt, idem defendere tenentur; cunctuſque fidelium cœtus: cùm omnes fateantur fuiſſe ſaltèm ſanctificatam in vtero matris: ſi ergo ex alia parte ſtatuant, receptiſſe Baptiſmum; apertè fatentur, carentiam originalis non reddere aliquem incapacem recipiẽdi Baptiſmum. Quod autem B. Virgo fuerit baptizata a Chriſto Domino docuit *Euthymius Ioan. 3. cui ſubſcribunt Suarez diſp. 19. ſectione 1. §. Dico primo. Vazquez diſputat. 140. cap. 5. n. 31. Ioſe. Hurt. diſput. 1. diff. 15. §. Ita tamen.* Et a fortiori hanc concluſionem defendunt, qui cum Damaſc. *lib. 4. de fide orthodoxa cap.* 10. ſtatuunt, Chriſtum D. receptiſſe Baptiſmum à ſe inſtitutum.

14 Sed obijcies: Baptiſmus ordinatur ad delendum originale: ergo, qui caret originali, incapax eſt recipiendi Baptiſmum. Reſp. diſtinguendo antecedens: ſolũ, nego: ſimul & ad imprimẽdum characterem, concedo. Et ideo meritò negatur conſequentia: quia nulla actio ceſſat neceſſariò, eo quod ceſſet eius finis minus principalis, aut partialis: ſicuti neque lex.

15 Obijcies ſecundò Tridentinum ſeſ. 5 dicens, (contra aliquos hæreticos affirmantes, filios fidelium non contrahere peccatum originale per Baptiſmum expiandum) formam Baptiſmi falſam fore, ſi tali peccato parvuli carerent: ergo eodem modo falſa foret in Chriſto Domino, & eius ſanctiſsima matre. Reſpondetur negando conſequentiam: quia concilium loquitur de Baptiſmo ſecundùm ſuam inſtitutionem; non autem de eo, quod in aliquo ſpeciali caſu contingit. Itaque ſi parvuli non contraherent originale, (vt putabant hæretici illi) non poſſet verificari forma Baptiſmi, (quæ facit hunc ſenſum: confero tibi gratiam remiſsivam peccati originalis) ſeu quod Baptiſmus fuit inſtitutus contra originale. Cum quo benè ſtat, quod aliquando illud non remittat: vt contingit, quoties adultus accedit ad Baptiſmum iuſtificatus per actum contritionis, aut dilectionis: aut quando quis recipit Baptiſmũ, poſtquam iuſtificatus eſt in vtero matris. Hæc ſolutio roborabitur ex dicendis à n. 18. ¶ Obijcies tertiò: deficiente peccato ſaltèm veniali, non poteſt ſtare Sacramentũ pœnitentiæ: ergo deficiente ſaltẽ originali, non datur Baptiſmus. Reſp. negando cõſequentiã: quia Sacramentũ pœnitentiæ eſt per modum iudicij: quare neceſſariò requirit, quod ſuſcipiens ſit vel fuerit reus: Baptiſmus autem nõ reſpicit ſuſcipientem tamquã iudicandum: ſed primò, & per ſe reſpicit illum characterizandum, & afficiendum gratia remiſsiva originalis; *quantum eſt ex parte*

Sacramenti ſcilicèt *ſi quid ineſſet, à quo anima eſſet abluenda*: vt loquitur Scotus *ibi verſ. Si autē.* Recolantur dicta *in tract. de Sacram. in gen. cap. 2. à num. 42.*

Dubium VIII.

16 PEtes octavò, an de facto Chriſtus D. & eius Sāctiſſima mater receperint Sacramētum Baptiſmi? Dico primò: Beatiſſima Virgo Sacramentū Baptiſmi ſuſcepit. Ita Euthymius *in cap. 3. Ioannis*: vbi docet, Patres aliquos Apoſtolorū temporibus proximos tradidiſſe, Beatiſſimā Virginē, & Petrū fuiſſe à Chriſto D. baptizatos; reliquos vero Apoſtolos à Petro. Et ratio eſt, quòd ſicut implevit præceptū purificationis, ne videretur tranſgredi legem; ita ne videretur tranſgredi legē Baptiſmi, ipſum recepit. Inſuper, vt eſſet exemplar credentibus, credendū eſt, Baptiſmum recepiſſe: immo & prior omnibus alijs. Quam cōcluſionem defendunt etiam AA. *n.* 13. citati.

17 Dico 2 probabile eſt, Chriſtū D ſuſcepiſſe Sacramentū Baptiſmi. Quia, ſi in ſimilitudinem carnis peccati fuit circumciſus, quid mirū, quòd quaſi peccator receperit Baptiſmum? Ita Dam. *lib. 4. de fide orto lox.* c. 10. Quare ſi D. Auguſt. *tract. in Ioannē & D. Hieron. ſuper cap. 4. Matth. ad illa verba: ſine modò*, oppoſitū videātur affirmare; dicendum eſt, PP. in hoc eſſe diviſos. ¶ Dices, Chriſtum D. tamquā verū Redemptorem inſtituiſſe Baptiſmū: ergo nō decuit, vt illum reciperet. Patet conſequentia: quia in eius receptione ſignificaretur peccator. Reſp. ita eſſe abſolutè loquendo: non autem comparativè. Itaque ſi aliàs non eſſet vrgentior alia cōgruentia ſuadens, Chriſtum D. recepiſſe Baptiſmū; diceremus ſanè, non recepiſſe illum, ne peccator figuraretur. Tamen cū vrgentior extet cōgruentia; (nempe cōformitatis Capitis cū mēbris: propter quod etiā recepit circūciſionē) illa ducti dicimus, Baptiſmū recepiſſe. Hanc concluſionē ſatis mihi innuit Scotus *in 4. d. 4. q. 6. §. Ad primum, verſ. Nec videtur* quātenus abſolutè docet, Apoſtolos fore minùs efficaces ad docēdū Baptiſmi legē, ſi nō recepiſſet Baptiſmū: & reddit pro ratione, *quia minus valet magiſter moralis, qui non vult opere implere, quod docet ſecundū Gregoriū.* Vnde apertè infertur, quòd minùs efficaciter docuiſſet Chriſtus D. legem, aut præceptū Baptiſmi, ſi non fuiſſet baptizatus. Et ideo ſtatim ſubiūxit Scotus: *Chriſtus etiā in ſe ipſo voluit Baptiſmum ſuſcipere, ſaltem Ioannis, antequā legē Baptiſmi aliis imponeret: quia Actor. 1. dicitur: cœpit Ieſus facere, & docere.* Expendo ly *ſaltem Ioannis*: per illud enim, & præſertim per ſuam rationē ſatis declaratur, Baptiſmū etiam ſuum recepiſſe: hunc enim docuit: & ideo in ſe ipſo debuit adimplere.

DV

Dubium IX.

18 Petes nonò: an ſit contra veritatem formæ Baptiſmi affirmare, aliquos in lege gratiæ fuiſſe iuſtificatos in vtero matrum? Reſpondetur negative. Quia forma, *Ego te Baptizo, &c.* reddit hunc ſenſum: ego impendo tibi characterem, quo in familiam Chriſti adſcriberis: inſuper impendo tibi, quantum eſt ex parte mea, gratiam expulſivam cuiuſcũque peccati mortalis, & præcipue originalis; nec non & cuiuſcumque pœnæ pro peccatis perſonalibus debitæ. Confirmatur ex facto: multi enim in lege gratiæ fuerunt ſanctificati in vtero materno: (vt conſtabit à *num.* 20.) & aliàs fuerunt baptizati: ergo cum veritate formæ Baptiſmi non pugnat, affirmare aliquem fuiſſe ſanctificatum in vtero materno.

19 Obijc. D. Auguſt. qui *epiſt.* 57. *ad Dardanum* expreſſe docet, nullam eſſe poſſe renaſcentiam, & gratiam, niſi per Baptiſmum: poſtquam enim docuerat, renaſcentiam ſupponere naſcentiam, concludit. *Si igitur homo regenerari poteſt in vtero per gratiam Spiritus, quoniam reſtat adhuc naſci; renaſcitur ergo antequam naſcitur: quod fieri nullo modo poteſt.* Reſpondetur, non eſſe ad rem: clarè enim conſtat, falſum affirmare, non poſſe accipi gratiam collatam virtute Baptiſmi, antequam quis naſcatur. Nullo autẽ modo negat, aut negare poſſet, poſſe quẽquam recipere (nõ ex lege communi, ſed ex ſpeciali priuilegio) gratiam ſanctificativam; per quã dicuntur quidam ſanctificati, nõ tamen renaſci: quia renaſcentia ſupponit nativitatem temporalem. Niſi dicatur, renaſcentiam per Baptiſmum neceſſario, & ſolum ſupponere naſcentiam per generationem. ¶ Obijcit ſecundo: ſi quis iuſtificaretur in vtero, poſteà per Baptiſmum reciperet gratiam ſecundam: ſed hoc eſt contra inſtitutionem Baptiſmi, virtute cuius infunditur prima gratia: ergo nequit dari ſanctificatio in vtero materno. Reſpondetur negando minorem: quamvis enim frequenter gratia ſanctificans collata virtute Baptiſmi non ſupponat aliam in illo ſubiecto, & ideo dicatur prima: multoties tamen illam ſupponit: (nẽpe quoties adultus iuſtificatus per contritionem, aut dilectionem recipit Baptiſmum) & tunc gratia data in Baptiſmo denominatur ſecunda: eſtque non actu abluens, ſed ablutiva originalis culpæ; quæ iam ſupponitur expulſa per primam gratiam, ſeu per gratiam, quam receperat homo, antequam accederet ad Baptiſmum. ¶ Obijcit tertio: ſi quis ſanctificaretur in vtero, ſequeretur, ſanctificari non ſolum ſine reali ſuſceptione Sacramenti Baptiſmi, ſed etiam ſine voto illius: quia cùm non poſſet habere aliquem

quem actum, nequiret habere votum Baptiſmi. Reſpondetur negando: quia habet votum implicitum Baptiſmi, non intentũ à ſe, ſed a Summo Præceptore, aut Sacramentorum inſtitutore: qua ratione inanimata dicuntur agere propter finem intentum, non a ſe, ſed ab auctore naturæ. Reſpondetur ſecundo, omittendo totum: quia tale votum ſolum eſt de lege ordinata.

Dubium X.

20 PEtes deinde, an de [illegible] in vtero materno [illegible]. Reſpondetur [illegible] de [illegible] de Baptiſta [illegible]. Quia tamen [illegible] tum Baptiſmi Sacramentum [illegible] alios, qui fuerint [illegible] in vtero [illegible]: & [illegible] ratione poteſt negari Baptiſmum recepiſſe.

21 [illegible] (*ſerm. de* [illegible] *habito ad* [illegible]) de Sancto Ioſeph feliciſſimo Virginis ſponſo affirmat [illegible] ſanctificatum in vtero ſicut fuit Baptiſta. ¶ Egilipus vir [illegible], & eruditiſſimus ([illegible] temporibus Apoſtolorum floruit) *lib. 5. commenta*-*riorum* idem affirmat de Sancto Iacobo Minori [illegible] dicitur. ¶ Simon Metaphraſtes (qui & Eccleſiæ Græcæ Pater eſt, & ſanctitate conſpicuus; necnon & de quo Concilium Florentinum ſub Eugenio IIII. *ſeſ.7. habita Ferrariæ die* 25. *Octobris anno* 1438 ſic loquitur: *Nonnullos veſtros Doctores in medium producemus. In primis igitur Simeon Metaphraſtes veſtris in Eccleſijs celeberrimus*) *apud Surium tom 2. ad 12 Marci* idem de Sancto Theophane affirmat.

¶ Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, *apud Surium* [illegible] *ad 13. Ianuarij* idem teſtatur de ſuo ſancto prædeceſſore Remigio.

¶ [illegible] de Sancto [illegible] expreſſe [illegible] Surius *tom. 3* [illegible] Et de Sancto [illegible] Epiſcopo, atque de Sancto P. [illegible] Dominico idem adducit D. Antoninus [illegible] *ſummæ* [illegible]. Et de Sancto Patre [illegible] in ſua [illegible] Alma [illegible]. ¶ D. Hieronymus [illegible] *ad Marcellam* [illegible] in hac [illegible] conceptum fuiſſe [illegible]. ¶ [illegible] de Sancto Victore [illegible] prædicat D. Bernardus *ſerm.* 2. *de* [illegible].

22 Quamvis autem in præſenti [illegible] metaphyſice [illegible] quantum veritatis, aut [illegible] in [illegible]; hoc etiam neceſſario requirit omnium, & ſingularum circumſtantiarum

cla-

examen) tãtorũ tamẽ Patrũ teſtimonia minimè ſunt contemnenda, ſed prorſus credenda humana fide. Tamen cùm fides rei credendæ imprimis poſsibilitatem exoptet: ideo nonnulla, quæ hanc poſsibilitatem impugnare videntur, ſolvere oportet.

¶ Igitur ad probandum, nullos fuiſſe ſanctificatos in vtero, obijcitur primò, quod ad ſanctificationem extra Sacramentum requiritur vſus rationis. Reſpondetur, verum eſſe de lege ordinaria; non tamen ex ſpeciali privilegio. Et ideo poteſt abſolute negari, quod prædicta ſanctificatio requirat vſum rationis, vt docet D. Thomas 3. p. quæſt. 27. art. 6. in corpore. ¶ Obijcitur ſecundò, nullos fuiſſe in vtero ſanctificatos, niſi [illegible] ſpeciale [illegible] prædicationis, vel [illegible] nocum, [illegible] beneficium, vt docet D. Th. ibi: quod de Aſella [illegible] na videtur [illegible]. Reſpondetur, [illegible] tantum privilegium ſemper in aliorum vtilitatem, & exemplar alicuius virtutis fuiſſe conceſſum: quod bene Aſellæ, & alijs fœminis [illegible] perfuiſſe concedi, non eſt derogatorium. quia, [illegible] hoc privilegio gaudeant, non [illegible] nus prædicationis [illegible]; ſed [illegible] virtute ſint illuſtres, vt [illegible] D. Hieronymus lib. 1. adverſus Iovinia-num verſus medium dicens. *Heremias, qui in vtero ſanctificatus eſt, & cognitus in vulva matris; ideo hoc privilegio fruitur: quia erat virginitatis beatitudini deſtinandus.* ¶ Obijcitur tertio, quod ex doctrina D. Th. ibi hoc privilegium de nulla creatura affirmari poteſt, niſi in Scriptura tradatur. Reſpondetur, loqui de fide divina, non autem de humana [illegible] probabili, vt notat Suarez. *ſup. q. 28. tertiæ partis art. 6. ad 3.* [illegible] quitur. [illegible], *quod* [illegible] *ſolum* [illegible] *quod* [illegible] *ſanctificati* [illegible], *&* *quod nobis alias:* [illegible] *primi* [illegible] *videre* [illegible]: [illegible] *conſtantia* [illegible] *&* [illegible], *ac* [illegible] *conſ*[illegible] *ſacerit?*

CAP. VIII.

De effectibus Baptiſmi.

DUBIUM I.

1 PEtes primò quos, & quales effectus tribuat baptiſmus? Reſpondetur, certum eſſe apud Catholicos, tribui aliquot effectus per baptiſmum. Primus eſt character, per quem baptizatus [illegible] in familiam [illegible]. In quantum [illegible] character, & omnia alia, quæ

quæ de ipſo poſſent diſputari, late diximus *in tract. de Sacram. in genere cap. 4. à n. 54.* Illud autem præcipue eſt notandum, quod [illegible] *ibi n. 76.* nempe de fide eſſe [illegible] in Trident. *ſeſ. 7. c[illegible] 9. de Sacramentis in genere* characterem imprimi in Baptiſmo.

2 Secundus effectus Baptiſmi eſt collatio gratiæ [illegible] ex opere operato: [illegible] ex [illegible] Sacramentis Eccleſiæ: quæ omnia, & ſingula [illegible] gratiam ex opere operato [illegible] in Trident. [illegible] cap. 6. 7. & 8. Recolantur [illegible] de Sacramentis in genere cap. 1. n. [illegible] 14. Quid autem [illegible] gratia [illegible] & multa [illegible], quæ hic poſſent [illegible] late [illegible] cuimus *ibi cap. [illegible] n. [illegible].*

3 Tertius effectus Baptiſmi eſt remiſſio omnium, [illegible] mortalium [illegible] ſonalium, ſeu [illegible], qui recipit Baptiſmum, ſed etiã originalis. [illegible] Trident. *ſeſ. [illegible] cap. 5* [illegible] Baptiſmo conſerri gratiam [illegible] mortale [illegible] lege ordinata; vt [illegible] *in tract. de Sacram.* [illegible] *n. 19.*) [illegible] ſup-ponit [illegible] perpetua Eccleſiæ traditio. [illegible] Notant [illegible], [illegible] Baptiſmum [illegible] Baptiſmi [illegible] directè, & per ſe. [illegible] contra il-lud eſt directè inſtitutum Sacramentum Baptiſmi) perſonalia verò mortalia [illegible] delentur per accidẽs: hoc eſt, quod quamvis Baptiſmus non ſit inſtitutus directè contra hoc peccatorum genus: tamen cum ad dignam receptionem Baptiſmi conferatur gratia ſanctificans: & cum hac gratia nullum mortale ſit compoſsibile; (de lege ordinaria [illegible], [illegible] indirectè, & per accidens Baptiſmus [illegible], & ſingula peccata [illegible] mortifera expellit.

4 [illegible] Baptiſmi eſt remiſſio [illegible] [illegible] ante receptionem Baptiſmi [illegible] & [illegible] pro [illegible] [illegible] tamen [illegible] per Baptiſmum [illegible] & c. neque [illegible]. Colligitur [illegible] ex Trident. [illegible] cap. [illegible] Baptiſmum [illegible] [illegible] D. [illegible]. Itẽ ex [illegible] cap. 14. [illegible] cap. 8. [illegible] poſt receptionem [illegible] Pœnitentiæ [illegible] aliquibus [illegible] ſatisfactionis pro pœna temporali, [illegible] remanet [illegible] poſt receptionem [illegible] poſt receptionem Baptiſmi. Vnde [illegible] quod poſt Baptiſmi receptionẽ [illegible] ad in-

greſſu

greſſu cœlorum; vtique ſi ſtatim moreretur, aut vſque ad mortis tempus nullum peccatum committeret: vt eſt perpetua Eccleſiæ traditio. (Sermo eſt de recipiente Baptiſmum poſt mortē, & aſcenſionem Chriſti D. Qui enim poſt eius inſtitutionem, ſed ante aſcenſionem moreretur, detineretur in limbo PP.)

5 Quintus effectus Baptiſmi eſt collatio gratiæ Sacramentalis. In quo autem conſiſtat gratia Sacramentalis? & multa alia, quę huc poſſent ſpectare, late tradidimus in *tract. de Sacram. in com. c. 4. à num. 43.* Illud tamen eſt in præſenti advertendum, quod cū ibi dixerimus gratiam Sacramētalem ſitam eſſe in iure, quod Deus ſimul cum gratia ſanctificante tribuit ei, qui digne recipit aliquod Sacramentum, vt ipſi tempore oportuno conferantur auxilia neceſſaria ad peculiarem finem illius Sacramenti: ius tributum per Baptiſmum reſpicit collationem auxiliorum conducentium ad digne ſuſcipiendum reliqua Sacramenta, & ad ſervādum præcepta Chriſti Domini, & ad Chriſtianè vivendum: quia Baptiſmus reſpicit hunc, vel hos fines.

Dubium II.

6 PEtes ſecundò, an Baptiſmus habeat reliquos alios effectus, illos præſertim, quos Baptiſmo tribuūt hæretici? Reſpondetur negativè. Quod ex dicendis conſtabit. ¶ Pro plena tamen huius concluſionis intelligentia ſciendum eſt, aliquos effectus ab hæreticis falsò tribui Baptiſmo, quos præſertim explodimus in præſenti. Primus effectus erronee Baptiſmo tributus eſt, vt eo homo peccati expers, & incapax reddatur, vel certe licet peccet, damnari non poſſit, ſi ab Eccleſia non diſcedat. Quem errorem quoad priorem partem de impeccantia ſecutus eſt Iovinianus vt ex Auguſt. & Hieronymo refert Vazq. *diſ. 156. cap. 6. num.* 60. Quoad poſteriorem autem partem hunc errorem ſecuti ſunt, qui tempore Apoſtolorum docuerunt, ſola fide homines ſalvari, etiam ſi legem non obſervent. Notat autem præcitatus Vazquez vtramque partem huius erroris excitari ab hæreticis noſtri temporis. Tamen prior pars refellitur vniuſcuiuſque experientia, quia experitur multa peccata committere: poſterior autem multiplici probatiſsima hiſtoria, qu[i]bus cōſtat, multos fidelium fuiſſe damnatos.

7 Secūdus effectus falsò Baptiſmo attributus eſt, quòd baptizatis non imputetur ad culpam, neque noceat, quod legem Dei tranſgrediantur. ¶ Tertius, quod baptizati nequeant aliqua lege Eccleſiaſtica obligari. ¶ Quartus, quod vota a baptizatis emiſſa ſint irrita. ¶ Quintus,

tus, quòd baptizati ſola memoria baptiſmi iuſtificentur. ¶ Tamen hi omnes, & ſinguli errores à diverſis conciliis præſertim à Tridentr. exploduntur. De quibus legantur præcipuè Bellarminus c 2. *lib.* 1. *de Sacram. Baptiſmi, & Vazq. diſp.* 156. *cap* 6.

CAP. IX.

De diſpoſitione ad Baptiſmum, necnon & ad eius effectus neceſſaria.

NOn eſt ſermo de parvulis: hi enim non poſſunt diſponi; cum non habeant uſum rationis. Igitur loquimur de adulto recipiente Baptiſmum.

Dubium I.

1 PEtes primò, quæ diſpoſitio requiratur ad validè recipiendum Baptiſmum? Reſpondetur, requiri voluntatem recipiendi illum. Quia ſicut nulli adulto Deus confert gratiam ſanctificantem ſine proprio conſenſu, ſeu ſine aliquo actu propriæ voluntatis, congruum videtur, quod ſine propria voluntate non conferatur ei Sacramentum, per quod dignè ſuſceptum confertur gratia ſanctificans. Quod latiùs proſequuti ſumus *in tract. de Sacram. in gen. c.* 6. *à num.* 2. *vbi vſque ad numerum* 6. egimus de qualitate huius conſenſus: diximuſque *num.* 3. ſufficere ad validam receptionem Sacramenti (& conſequenter Baptiſmi) ſimplicem conſenſum, ſeu ſimpliciter conſentire, quamvis diſſentiat quis ſecundum quid: vt ſi v. g. conſentiret quis baptizari, vt fugeret tormenta, vel incendia; & alias eſſet paratus non cõſentire, ſi non eſſet talis occaſio. ¶ Item ſtatuimus *num.* 5. non requiri actualem conſenſum, aut voluntatem, ſed ſufficere virtualem, imo & habitualem, ſuppoſito quod ſit ſaltem non retractata. Et denique *num.* 6 defendi, ſufficere conſenſum interpretativum, quo quis aliquando habuit affectum circa receptionem Baptiſmi v. g. Recolantur ibi ſic dicta, quæ facile ſunt huic diſcenti accommodanda.

Dubium II.

2 PEtes ſecundo, quæ diſpoſitio requiratur ad recipiendum effectum Baptiſmi, qui dicitur character? Reſpondetur, eam requiri, & ſufficere, quæ requiritur, & ſufficit ad validè recipiendum Baptiſmum; de qua fuit ſermo numero præcedenti. Itaque quoties validè recipitur Baptiſmus, recipitur character Baptiſmalis, per quem quis manet adſcriptus in familia Christi. Ratio a priori eſt volun-

tas

tas Dei ſic inſtituentis, quæ nobis declarata eſt praxi Eccleſiæ, quæ non permittit, aliquem rebaptizare, etiam ſi aliàs indignè receperit baptiſmum: ſentit ergo ad hanc Baptiſmi effectum ſufficere velle recipere Baptiſmum.

Dvbivm III.

3 Petes tertiò, quæ diſpoſitio requiratur in adulto ad recipiendum effectum Baptiſmi, qui dicitur gratia Baptiſmalis? (& conſequenter ad cõſequendum remiſsionem peccatorum) Reſpondetur ſub diſtinctione. Si enim loquimur de adulto, qui ſolùm habet originale, aut ſimul actualia venialia; iſte recipit gratiam Baptiſmalem ſolùm per hoc, quòd voluntariè recipit Baptiſmum. Quia cùm peccatum originale contractum fuerit ſine voluntate illius, qui baptizatur, non requiritur, quòd iſte eliciat diſplicentiam illius. Inſuper cùm venialia non impediant receptionem gratiæ ſanctificantis; nulla deteſtatio peccati requiritur tunc. Ita communiter AA. cum D. Ambroſio (*de conſecr. d. 4. & ſumitur de gloſſa ſuper illo verbo: ſine pœnitentia ſunt dona Dei, Rom.* 11.) dicente: *Gratia Dei, in Baptiſmo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus: ſed omnia gratis condonat.* ¶ Nota, in hoc caſu nos ſolùm loqui de contritione, aut diſplicentia peccatorum. Non enim negamus, requiri in intellectu iſtius adulti fidem, qua credat, & Deum eſſe, & eſſe remunatorem. Quia *ad Hebræos* 10. *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Inſuper requiritur aſſenſus, quo ſibi perſuadeat virtute Baptiſmi remitti peccatum, necnon & ex parte voluntatis ſpes, ſeu deſiderium conſequendi, medio Baptiſmo, remiſsionem originalis: aliàs fruſtra illum applicaret.

4 Si autem loquimur de adulto, qui ſimul cum originali habet aliquod mortale perſonale, indiget pœnitentia, ſeu dolore prævio, vt iuſtificetur per Baptiſmum. Quia *Actor.* 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*: & definitur à Trident. *ſeſ.* 6. *cap* 6. *& ſeſ.* 14. *cap.* 1. Et ratio eſt, quòd ſicut per propriam voluntatem receſsit à Deo peccando, per propriam debet accedere pœnitendo. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 5. §. *Reſpondeo. verſ. Alio modo, & communiter AA.* vt teſtatur G. Hurt. *diſp.* 4. *diff.* 4. ¶ Hinc repellendus eſt Caiet. *q.* 86. *art.* 2. *ad* 1. docens, tunc non requiri formalem aliquam, & expreſſam contritionẽ peccatorum perſonalium mortalium; ſed ſufficere voluntatem recipiẽdi Baptiſmum: quod probabile iudicant Ledeſma 1. *p. quarti q.* 10 *art.* 9. *dub.* 1. *& Ægidius q.* 62. *art.* 1. *n.* 36. Iſte tamen loquitur de voluntate ſeſe pœnitendi Baptiſmum orta ex [illegible]. Falluntur tamen: quia ſine pœni-

tentia

tentia non remittitur peccatum perſonale mortale. ¶ Sed obijciunt, quod voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum eſt virtualis quædam contritio, & pœnitentia peccatorum: ergo ſufficit prædicta voluntas. Antecedens colligitur ex eo, quod Baptiſmus datur in remiſſionem, & deſtructionem peccatorum. Reſpondetur negando antecedens: ad probationem dico, etiam ſacramentum pœnitentiæ fuiſſe inſtitutum ad deſtructionem peccatorum; & tamen debere, vt habeat effectum, ſupponere diſpoſitionem requiſitam; ſcilicet deteſtationē peccatorum mortalium; cuius deteſtationis defectu, aut Sacramētum non ſubſiſtit, aut datur informe. Præterea ex illa probatione ſequeretur accipere gratiam, & remiſſionem peccatorum illum, qui complacens de peccato mortali reciperet Baptiſmum.

Dubium IV.

5 Petes quartò: an deteſtatio peccati mortalis perſonalis, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem collatā virtute Baptiſmi, debeat eſſe contritio perfecta? Reſpondetur negative. Itaque ſufficit, quod ſit cōtritio imperfecta, ſeu attritio. Quia iſta ſufficit in Sacramento pœnitentiæ ad recipiendum gratiam, & remiſſionem peccatorum: ergo & in Sacramento Baptiſmi. Patet conſequentia: vtrūque enim Sacramētum eſt mortuorum, inſtitutumque eſt ad conferendum gratiam, per quam homo, qui ad Sacramentum accedit mortuus, recipiat vitam ſpiritualem. Antecedens autem docere videtur Trident. *ſeſ. 14. cap. 4. & can. 5.* Quod adeo certum exiſtimant aliqui, vt dicatur, præſertim Suarez (*apud noſtrum Villal. t. 1. tract. 9. diff. 23. n. 1.*) hac tempeſtate ſine errore non poſſe negari. Hanc concluſionem defendunt *Vazq. Suar. & Ægid. quos citat, & ſequitur G. Hurt. t. diſp. 4. diff. 5. item D. Thom. & Scotus, quos citat, & ſequitur Villalob. t. 1. tract. 4. diff. 19.*

6 Sed *Gabriel in 4. d. 4. quæſt. 2. art. 2. & Petrus Sotus de Inſtit. Sacerdotum lect. 4. de Baptiſmo §. Vltimo tandem apud præcitatum Hurt. oppoſitum defendunt.* Pro qua ſententia obijcitur ex Trident. *ſeſ. 6. cap. 6.* pro diſpoſitione ad Baptiſmū requiritur illa pœnitentia, ſeu deteſtatio peccatorum, quæ oritur ex dilectione Dei: ergo ad illam præcedit contritio: & conſequenter ſupponitur homo iam per contritionem iuſtificatus. Reſpondetur negando conſequentiam: vt enim notant præcipuè G. Hurt. *vbi*, concilium loquitur de pœnitentia orta ex dilectione concupiſcentiæ: qua peccator incipit ſibi concupiſcere Deum, vt principium, & fontem iuſtitiæ, & ſanctitatis, & remiſſionis peccatorum: ex qua regulariter tantùm poteſt

oriri

oriri contritio imperfecta, ſeu attritio. Immo hæc quamvis regulariter oriatur ex dicta dilectione; non tamen exigit, ex illa oriri: cùm poſſit excitari ex cognitione turpitudinis peccati; ex metu gehennæ, &c. ¶ Obi. ſecundò, homo per peccatū mortale avertitur à Deo vltimo fine; & convertitur ad peccatum, ſeu ad obiectum peccati: ergo, vt iuſtificetur, & mundetur ab illo, adhuc per Baptiſmum, requiritur contritio, qua avertatur à peccato, & convertatur ad Deū. Reſpondetur negando conſequē tiam: quia Baptiſmus ex inſtitutione divina ſupplet defectū cōtritionis: eo quod inſtitutus eſt in remiſſionem peccatorū. ¶ Hic tamen notandum eſt, ita ſufficere contritionem imperfectā, ſeu attritionem ad iuſtificationē per Baptiſmum, vt ſit neceſſarium, quòd virtute Baptiſmi excitetur contritio perfecta; per quam fiat iuſtificatio: quia ſemper per Baptiſmum, præſuppoſita fide, ſpe, & attritione, fit iuſtificatio: & tamen non ſemper excitatur contritio perfecta: vt experiētia cōſtat. Et confirmatur: etenim ex oppoſito ſequeretur, moribundū, quamvis petierit Baptiſmū, & fuerit attritus, credens, & ſperans, ſi in amentiam incidat, ſuperfluè, & abſque fructu gratiæ (ac proinde illicitè) baptizari: quia in eo excitari nequit contritio perfecta.

Dubium V.

7 PEtes quintò, an ad ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi ſufficiat attritio cognita, vt talis? Reſpondetur affirmativè. Quia illa ſufficit ad Sacramentum pœnitentiæ: ergo & ad Baptiſmum. Patet conſequentia ex dictis *num.* 5. vbi hanc rationē expendebamus. Ita *Suar. Vazq. & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſp. 4. diff. 6. item Nugnus, & Villalob. quos citat, & ſequitur Diana 3. p. tract. 4. reſolut. 13.*

8 Sed *noſtri Alenſis 4. p. q. 18. mem. b 2. art. 1. Corduba, & Vega, atque ex alijs Adrianus, Medina, Ledeſma, & Victoria citati à Diana ibi* requirunt pro diſpoſitione ad receptionem Baptiſmi neceſſaria, quod attritio ſit exiſtimata contritio. Falluntur tamen: quia illa falſa exiſtimatio non eſt diſpoſitio, adhuc partialis, ad gratiā percipiendam, eſt enim quidam error; ac proinde innocens, vt à Chriſto D. inſtitueretur in diſpoſitionem ad gratiam; neque quidquam aliquid boni poſitivi afferre, quo attritio perficiatur. ¶ Dices, talem exiſtimationem eſſe neceſſariam, vt excuſet baptizandum à peccato, quod committeret non accedendo ad Baptiſmum cum contritione perfecta: ergo aliquo modo eſt neceſſaria. Antecedens probatur: præcepto enim naturali divino tenemur non accedere

cedere indiſpoſiti, ſeu dignè accedere ad Sacramentum Baptiſmi: (ſicut & ad reliqua) ſed indignè accedit, ſeu indiſpoſitus, qui accedit in ſtatu peccati cogniti: ergo neceſſaria eſt contritio perfecta præcedens Baptiſmi receptionem. Reſpondetur negando antecedens: ad probationem nego minorem: cùm enim Baptiſmus ſit Sacramentũ mortuorum, non accedit indignè, qui cum peccato mortali cognito accedit, dummodò accedat animo illud emendandi, atque de illo attritus.

Dvbivm VI.

9 PEtes ſextò, Quæ? Quanta? & qualis debeat eſſe attritio requiſita pro diſpoſitione Baptiſmi? Cùm tria hic requirantur, claritatis gratia, tres elicio concluſiones. Quare dico primò, pro diſpoſitione Baptiſmi in adulto, qui peccavit mortaliter, neceſſario requiri attritionem conceptam, aut excitatam ex motivo aliquomodo reſpiciente æternitatem. (hoc eſt, reſpiciente alteram vitam) Quia hoc ſaltem requiritur, vt aliquo modo ſit ſupernaturalis, habeatque proportionem cum gratia collata virtute Baptiſmi. Vnde infertur, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad receptionem Baptiſmi attritionem, ſeu diſplicentiam ortam ex conſideratione turpitudinis, aut malitiæ peccatorum, aut ex conſideratione pœnarum, quas cauſat peccatũ, non ſolùm in alia vita, (nempè punitionis in inferno, aut purgatorio) ſed etiam in iſta; vt eſt privatio gratiæ. Idem dico de infamia, aut nocumento ſalutis, quatenus infligitur à Deo: quia infamia aut aliquod aliud malũ temporale ſub hoc reſpectu aliquomodo pertinet ad æternitatem.

10 Dico ſecundò: (reſpondendò ad quæſitum de quantitate) attritio requiſita pro diſpoſitione Baptiſmi debet ſe extendere ad omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrant, ſaltem negativè; (hoc eſt, de nullo memoriæ ocurrente debet eſſe complacentia) aut ſaltem omnia debet comprehendere ſub generali ratione mali, quod aliquomodo impedit conſequutionem boni, quod aliqualiter reſpicit æternitatem. Et ratio eſt, quòd, ſi de aliquo mortali complaceret, aut de illo non diſpliceret, (ſaltẽ ſub generali illa ratione mali) non eſſet verum, quod baptizãdus (qui per propriam voluntatem peccando fuit averſus à Deo, & converſus ad creaturam) avertebatur à creatura, & convertebatur ad Deum: quod fieri ſaltem per contritionem imperfectam, aut attritionem, in adulto, qui peccavit mortaliter, eſt neceſſarium: ſicut eſt neceſſarium, quãdo iuſtificatur extra Sacramentum, quòd per cõtritionem perfectam avertatur à creatura, & con-

convertatur ad Deum. Itaque Baptiſmus non fuit inſtitutus, vt in adulto ſuppleret diſplicentiam peccati, ſed vt ſuppleret qualitatem talis diſplicentiæ; nempè, quod attritio ſimul cum Baptiſmo haberet effectum perfectæ contritionis; ſeu ex attrito faceret contritum; (æquivalenter, ſeu quantum ad eſſe vltimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem) vt loquendo de Sacramento pœnitentiæ dictitant.

11 Dico tertiò: (reſpondendo ad tertium quæſitum) attritio, quæ requiritur pro diſpoſitione Baptiſmi, debet eſſe ſupernaturalis. Quia gratia collata virtute Baptiſmi eſt ſupernaturalis: ergo & diſpoſitio ad illam. Patet conſequentia: diſpoſitio enim, & forma, ad quam diſponit, debent proportionari. ¶ Dices, quod accidens diſponit ad introductionem ſubſtantiæ: ſed ſunt diverſi ordinis: ergo ruit prædicta doctrina. Conſequentia eſt legitima: maior conſtat inductione: ſubſtantia enim ignis habet pro diſpoſitione calorem, ſiccitatem, &c. quod & in multis alijs poteſt exemplificari. Minor etiam conſtat: ſubſtantia enim eſt alterius ordinis, aut prædicamenti; ac accidens. Reſpondetur concedendo maiorem, & minorem, & diſtinguendo conſequens: eſt enim vera conſequentia de diſpoſitione naturali, ſeu phyſica; (de qua eſt ſermo in maiori, & minori) falſa autem de diſpoſitione morali. (de qua agimus in præſenti) Itaque ad infuſionem gratiæ ſanctificantis in adultis requiritur pro diſpoſitione aliquis actus, qui mereatur talem infuſionem. Qui actus, & dicitur diſpoſitio moralis; eoquòd in genere meriti requiritur: & alias, cùm debeat proportionari cum gratia ſupernaturali, (eſt enim communiſsimum, cuicumque merito habere proportionem cum præmio) debet habere aliquam ſupernaturalitatem.

Dvbivm VII.

12 PEtes ſeptimò, an Baptiſmus fictè ſuſceptus poſteà, recedente fictione, conferat gratiam ſanctificantem? Reſpondetur negative. Quia videtur minùs rationabile, Deum conferre gratiam virtute Baptiſmi illi, qui ſcienter, & plena voluntate intulit Sacramento iniuriam illud indignè ſuſcipiendo. Recolantur dicta *in tractatu de Sacramentis in genere capit. 4. à numero 32.* vbi latè rem hanc ſum proſecutus.

CAP. X.

De cæremonijs in Baptiſmo adhiberi ſolitis.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an cœremoniæ, quibus Baptiſmus ſolemnis celebratur, ſint convenientes, & laudabiles? Reſpondetur affirmative. Quia ſerviũt ad maiorem ſolemnitatem, & ſplendorem Baptiſmi ne vilis à rudioribus habeatur, & contemnatur. Præterea excitant devotionem, & reverentiam erga Authorem Sacramentorũ. ¶ Sed hæretici noſtri temporis irrident cœremonias prædictas, & eas tamquam vanas damnant. Et obijciunt, quod non continentur in ſcripturis. Reſpondetur, ita eſſe: tamen inſtitutæ ſunt ab Eccleſia, cui ad hoc eſt ſufficiens poteſtas. Recolantur dicta *in tract. de Sacrament. in gen. cap. 8. à num. 1.*

DVBIVM II.

2 PEtes ſecundò, quotuplex cœremoniarum genus in Baptiſmo ſit adhibendum? Reſpondetur eſſe triplex. Sunt enim aliquæ cœremoniæ, quæ Baptiſmum antecedunt: aliæ, quæ ipſum comitantur: & demum aliæ, quæ ipſum conſequuntur. Quod ex dicendis conſtabit.

¶ Ex cœremonijs antecedentibus Baptiſmum prior eſt merè doctrinalis: qua adulti, antequam baptizentur, inſtruuntur in doctrina fidei, & morum: vt ſciant, quam fidem, & obligationẽ ſuſcipiant. Quare hæc cœremonia requiritur. Tum iure naturæ: eo quod ſancta ſanctè ſunt tractanda: ad quod neceſſario debet præcedere inſtructio de ſanctitate Baptiſmi. Tũ iure divino poſitivo: & ideo *Matth. vlt.* Apoſtoli iubentur, capaces doctrinæ prius inſtruere, quam baptizare. ¶ Secunda autem cœremonia, ex his quæ Baptiſmum antecedunt, eſt ceremonialis: qua tã factis, quàm dictis animi cathecumenorũ explorantur, & præparantur. Quæ etiam, quantũ fieri poteſt in parvulis adhibetur: pro quibus patrini reſpondent. Primò, vt hi intelligant, quid parvulum poſteà docere: & qua ratione eũ inſtruere debeãt. Secũdò, vt præſentes intelligant, quid etiam in parvulis Baptiſmus operetur: & quam obligationem iam ſuſcipiat, nempè fidem catholicam doctrina, & moribus profitendi.

3 Ex cœremonijs autem cõmitãtibus Baptiſmum prima eſt, quod extra caſum neceſsitatis debeat celebrari in loco ad hoc conſecrato qui olim ab ipſo tẽplo diſtinctus erat, & Baptiſteriũ vocabatur: iam autem eſt in ſingulis templis parochialibus certus locus ad hoc miniſterium deſignatus. Extatque adhuc prohibitio ne quis extra caſum neceſsitatis alibi, quam in Ec-

cleſijs,

cleſijs, in quibus ad hoc ſunt fontes ſpec aliter deputati, aliquis baptizetur, niſi fortè Principum, ac Regum filij: quæ permiſsio ſupremis Principibus tantùm conceditur; vt ex Gloſſa notant, præſertim Vazq. *diſput.* 166. *n.* 7. & *Ægid. q.* 71. *n.* 15.

¶ Secunda eſt, quod Baptiſmus debeat fieri aqua ad hoc pridiè Paſchæ, aut Pentecoſtes per infuſionem chriſmatis, aliasque cęremonias ſpecialiter conſecrata. ¶ Tertia, quod pattini ſint adhibendi. Quarta, quod in Baptiſmo imponatur baptizato nomen: ſicut olim in circumciſione imponebatur. ¶ Quinta, quod Baptiſmus olim trina immerſione fiebat. Hoc tamen iam non eſt vbique in vſu. ¶ Sexta, quod olim adulti tantum baptizabantur in feſto Paſchatis, vel Pentecoſtes. Quod etiam iam non eſt in vſu.

4 Ex cœremonijs autē, quæ Baptiſmum ſecuntur, prima fuit olim oſculum pacis; quo fideles recèns baptizatum oſculabantur, tamquam fratrem oſculo pacis. ¶ Secunda eſt vnctio chriſmatis facta in vertice baptizati: fierique debet (extra caſum neceſsitatis) oleo eodem anno conſecrato. ¶ Tertia olim erat veſtis candida; qua in ſignum innocentiæ ſolebat indui recèns baptizatus; eamque ferre vſque ad Dominicam in Albis. ¶ Quarta, quod in ſignum accepti luminis fidei, & gratiæ detur baptizato cereus accenſus. ¶ Quinta, quod olim baptizato dabatur guſtandum lac, & mel; ad ſignificandum vtiquè in vita ſpirituali infantiam: vt ex D. Hieronymo notant, præſertim Ægidius *ibi n.* 18. & *Vazq. ibi n.* 86 Notantque ex eodem Hieronymo vſque ad ipſius tempora fuiſſe in Occidentalibus Eccleſijs conſuetudinem, vt renatis in Chriſto vinum, & lac tribueretur: ad ſignificandum videlicet eorum innocentiam, interioremque lætitiam. ¶ Sexta demum (quæ iam exolevit) fuit lotio pedum baptizati: fortè ad ſignificandum munditiam affectuum illius. ¶ De quibus omnibus fuſius agunt RR.

Dubium III.

5 Petes tertiò: an exorciſmus, & aliæ cœremoniæ, quæ in Baptiſmo adhibentur, habeant aliquos effectus? Reſpondetur affirmativè. Alioqui fruſtra ab Eccleſia adhiberentur. Effectus autem primus, & communis tàm parvulis, quam adultis eſt impetrare à Deo, vt dæmonis vis circa baptizatum cohibeatur, ne illum incorpore lædat. Secundus eſt proprius adultorum, nempè quod hebetudo noſtra ad res divinas capiendas per cœremonias iſtas minuitur; diſponiturque intellectus ad res divinas aptius penetrandas, & voluntas ad eas proſequendum. Et demum habent dictæ cœre-

moniæ aliquos alios effectus *à num.* 2. explicatos.

DVBIVM IIII.

6 PEtes quartò, an exorciſmus, & aliæ cœremoniæ aliquos effectus cauſent ex opere operato? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic philoſophando excitatur devotio fidelium circa Sacramentalia Baptiſmi. Inſuper ſic philoſophari cedit in auctoritatem Eccleſiæ: cui piè credendum eſt, Chriſtum Dominũ reliquiſſe auctoritatem inſtituendi cœremonias, quibus per applicationem ſuorum meritorum aliqui effectus ex opere operato cauſarentur. Recolantur dicta *in tract. de Sacrament. in genere c.* 8. *à num.* 5. vbi loquendo de aqua benedicta probavimus, ex opere operato delere venialia. Vnde multa ſunt ad præſens mutuanda.

DVBIVM V.

7 PEtes quintò: (ex eo quòd *num.* 3. diximus, vnam ex cœremonijs Baptiſmum comitantibus eſſe in eo adhibendos eſſe patrinos) an in privato Baptiſmo tempore neceſsitatis ſit adhibendus patrinus? Reſpondetur negativè. Quia tunc parentes ferè non poſſunt idoneos eligere ad munus patrini: & ideò incredibile eſt, Eccleſiam talem obligationem tunc illis imponere voluiſſe. Vnde infertur, quòd, ſi aliquis tunc materialiter teneat infantem, non ideò patrinus eius efficitur. Ita *Sotus, Henriq. Suarez, Sanchez, Rodriguez, & G. Hurt. quos citat, & ſequitur Diana* 3. *p. tract.* 4. *Reſ.* 18. ¶ Sed oppoſitũ defendit *Melchior Zambranus de caſ. occur. tempore mortis cap.* 1. *de Sacram. Baptiſmi dub.* 18. *n.* 17. *citatus à prædicto Diana.* Et obijcit patrinus non requiritur ad ſolemnitatem, ſed ad inſtruendum Baptizatum; & ad adiuvandum ad eius ſpiritualem regenerationem: ergo etiam in privato Baptiſmo requiritur: & conſequenter præceptum Eccleſiæ de patrino adhibendo etiam tunc obligat parentes baptizati. ¶ Confirmatur: quia vix dari poteſt Baptiſmus privatus (ſaltem in infantibus) quin ſit, qui baptizatum teneat, dum quis in Baptiſmo abluitur: ergo nihil incommodi fit parentibus, dum ab ipſis petitur aſsignatio patrini. Reſpondetur, omiſſo antecedẽte, negando conſequentiã: quãvis enim illo fine Eccleſia tulerit præceptum de patrino adhibendo: eius tamen præceptum noluit (vt rationabiliter præſumitur) extendi ad privatum Baptiſmum; ne parentes ſubita neceſſitate compellerentur ad eligendum patrinum ſibi diſconvenientem: & cum quo ſpiritualem cognationem tam ipſi, quã baptizatus contrahit. Nec eſt novum, aut ſpeciale, quod, perſeverante

verante fine legis, lex non obligat: finis enim legis non cadit ſub legem: vt dictitant: & , Deo dāte, videbimus *in Alfonſina in tract. de legibus.* ¶ Ad confirmationem, omiſſo etiam antecedēte, nego conſequentiam: ingens enim incommodum eſſet parentibus, cognationem ſpiritualem contrahere cum patrino minùs conveniente; quem propter ſubitam neceſſitatem eligerent aliquando.

DVBIVM VI.

8 PEtes ſextò, an, ſi quis intruſerit ſe in privato Baptiſmo ex induſtria, vt patrinus ſit, contrahat cognationem ſpiritualem? Reſpondetur negative. Quia, cùm Eccleſia noluerit tunc obligare (vt conſtat ex dictis *num. 7.*) etiamſi velit ipſe, immo etiam ſi velint parētes baptizati, nihil obligationis, aut cognationis ſpiritualis contrahitur. Ita *Sanchez de Matrimon. tom. 2. lib. 7. diſp. 62. num. 15. inter Emanuel Rodriguez, & G. Hurt. quos citat, & probabiliter ſequitur præcitatus Diana.*

¶ Sed oppoſitum defendunt *Zambranus, Navarrus, Coninch, Armilla, Sa, Vivaldus, Suarez, & alij citati à Prædicto Diana.* Fateor, quod Coninch *diſp. 32. dub. 2. num. 30.* vbi citatur à Diana, loquitur de Baptiſmo ſolemni, tamen in caſu, quod aliquis in patrinum ſe ingerat non deſignatus à parentibus, ſed à Parocho admiſſus. Sed quidquid ſit de hoc, nihil pro his Authoribus contra noſtram concluſionem objiciendum occurrit.

DVBIVM VII.

9 PEtes ſeptimò, an ex officio Sacerdoti competat catechizare, & exorcizare? Reſpondetur affirmative. Itaque Sacerdos inſtar agentis principalis catechizat, & exorcizat baptizandum, cui Diaconi, & inferiores miniſtri ſubſervire debent. Quia Sacerdoti competit ex officio baptizare: ergo & præparare, ſeu diſponere baptizandum, quod fit per catechiſmum, & exorciſmum. Ita D. Thom. *quæſt. 71. art. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 5. diſtinc. 23. num. 4. & communiſſime. ¶* Recolantur dicta *in tract. de Sacrament. in gen. cap. 5. à num. 8.*

CAP. XI.

De Baptiſmo Sanguinis.

1 EXtat adhuc celebris illa, & antiqua diviſio Baptiſmi in Baptiſmum aquæ, ſeu fluminis; flaminis, & ſanguinis. In quo conſiſtat Baptiſmus aquæ, conſtat ex dictis in toto hoc tractatu. Baptiſmum flaminis

vocant actum charitatis, aut dilectionis ſupernaturalis; quem elicit quis, antequam recipiat Baptiſmum aquæ. Baptiſmus demum ſanguinis eſt martyrium illius, qui nondum recepit Baptiſmum aquæ. Ex his autem tribus ſolus Baptiſmus aquæ eſt verum Sacramentum; cætera verò ſolùm metaphoricè; nempè quatenus, vrgente neceſsitate, ſupplent defectum Baptiſmi, conferendo eius effectum. Quare poſt ſuſceptionem Baptiſmi fluminis martyrium, & contritio non dicuntur Baptiſmus: quia tunc non poſſunt ſupplere effectum Sacramenti Baptiſmi: ſed ſupplent effectum Sacramenti pœnitentiæ conferendo effectum illius: vt notant multi, præſertim Coninck *quæſt.* 66. *n.* 107. Igitur egimus hucuſque de Baptiſmo aquæ, ſeu fluminis: de Baptiſmo autem flaminis, id eſt, de perfecta contritione, & dilectione Dei, nihil diſputamus in præſenti: & meritò: quia hoc ſpectat ad alios tractatus, nempè ad tractatum de Pœnitentia virtute, & ad tractatū de Charitate, necnò & ad tractatum de Gratia. Quare ſolum de Baptiſmo ſanguinis (qui eſt martyrium) reſtat agendum in præſenti.

Dvbivm I.

2 PEtes primò: an Baptiſmus ſanguinis ſufficiat infantibus abſque Baptiſmo aquæ? Reſpondetur affirmative. Quia Eccleſia indifferēter veneratur omnes illos infantes, quos Herodes occidit animo occidendi Chriſtum D. & tamen credibile eſt, non omnes eſſe iuſtificatos ab originali per receptionē circumciſionis; illos ſcilicet, qui non attigerant diem octavū à ſua natiuitate; (ante quem diem non adminiſtrabatur Sacramētum circumciſionis) aut qui ex Gentilibus, qui cum Iudæis erant permixti, fuerant nati: ergo Baptiſmus ſanguinis, aut martyrium ſufficit infantibus abſque Baptiſmo aquæ ad conſequendum gratiam, & gloriam. Recolantur dicta c. 6. *num.* 10.

Dvbivm II.

3 PEtes ſecundò, an Baptiſmus ſanguinis ſeu martyrium proſit adultis non baptizatis? Reſp. affirmatiuè. Quia martyrium habet vim iuſtificandi: ergo ſiue parvulis, ſiue adultis prodeſt ad conſequendam gratiam, & gloriam. Antecedens conſtat ex illo *Marc.* 8. *qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eā.* Coſtat item ex dictis *num. præcedenti.* Conſtat tertio, ex eo, quòd Eccleſia, quando aliquos declarat martyres, non proteſtatur, eos actu veræ dilectionis, & charitatis ſubijſſe mortē, ſed eā ſuſtinuiſſe propter Chriſtū D. aut eius fidem. Quare indiſcriminatim martyres proclamat omnes illos, qui pro Chriſto Domino, aut

aut eius fide mortem ſubierunt. Conſtat 4. ex multis patribus adductis a Recentioribus, *præſertim ab Ægidio quæſt. 66. à num. 121. & à Gaſp. Hurtado diſpur. 1. diff. 21.* Sufficiat nobis Clemens Romanus *lib. 5. Conſtitut. Apoſtol. cap. 5.* dum de catechumeno, qui martyrium ſubit ſic loquitur: *lætus diſcedat*; (id eſt, moriatur) *paſsio enim, quam pro Chriſto ſuſtinet, cedet ei in veriorem Baptiſmũ: quoniam ipſe re ipſa commoritur Chriſto; alij figura.* Expendatur, non dixiſſe, paſsionem ei cedere in veriorem Baptiſmum, quia eam ex maiori charitate ſubit; ſed quia re ipſa Chriſto commeritur. Hanc concluſionem defendunt *Caietanus, Sotus, Suarez, Valencia, Racon[illegible] & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſput. 1. diff. 21.*

4 Sed oppoſitum defendunt *D. Bonavent. in 4. diſtinct. 4. in 2. part. diſtinct. art. 1. quæſt. 2. Durand. Canus, Vazquez, & Ochagavia citati à prædicto Hurt.* Itaque affirmant, mortem pro Chriſto Domino perpeſſam non ſufficere adultis ad iuſtificationem à peccatis, niſi toleretur ex affectu charitatis erga Deum: ac per conſequens non ſufficere abſq; Baptiſmo in voto perfecto, id eſt, in actu charitatis, incluſo. Et obijciunt illud *1. ad Chorint. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: ergo mors ipſa ſine charitate non ſufficit adultis. Reſpondetur negando conſequẽtiam: quia ſenſus illorum verborum eſt, dictam paſsionem, ſi nõ procedat à charitate; vel ad charitatem, & gratiam non perducat, (vt contingeret in hæretico; aut in alio, qui cum complacentia alicuius peccati mortalis pateretur mortem) nihil prodeſſe patienti: vt non pauci exponunt. Vel ſenſus eſt, prædictam paſsionem non procedentem ex fine, ſeu affectu virtuoſo, ſeu virtutis cuiuſcumque, (qui affectus ſecũdùm phraſim Auguſtini dicitur charitas) ſed ex malo fine, nihil prodeſſe patienti: vt *Anſelmus, Beda, & D. Th* exponunt.

5 Obijcies ſecundò, D. Bernardum *epiſt. 77.* docẽtem, martyrium non ſupplere vicem Baptiſmi, niſi ex merito fidei: ſed adultus non baptizatus non habet fidem, aut meritum fidei: ergo illi non prodeſt martyrium. Reſpondetur negando conſequentiam: quia Bernardus non vult, martyrium obtinere vicem baptiſmi propter meritum fidei patientis: alias parvulis non proficeret: ſed tantùm vult, martyrium habere, non ex ſe ſe, ſed ex Chriſti D. diſpoſitione vim ſupplendi Baptiſmum ob fidem; hoc eſt, ſic diſpoſuit Chriſtus D. ob fidẽ, ſeu vt honorificetur fides: cui martyr paſsione, ſeu morte ſua honorificentiſsimum præbet teſtimonium. 6 Obijcies tertio, ſi mortis perpeſsio pro Chriſto Domino abſque dilectione Dei habere

beret vim iuſtificandi à peccatis eam haberet, non ex ſua natura; ſed ex voluntate, & lege Dei. Sed de iſta voluntate, aut diſpoſitione non conſtat Scriptura, traditione, diffinitione Eccleſiæ, aut etiam ratione: ergo talem vim non habet. Reſpondetur negando minorem: martyrium enim habet vim iuſtificandi (inſtar Sacramenti) ex privilegio, & voluntate Dei: quæ ſatis inſinuatur verbis illis: *qui perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam, Marci 8. & alibi*: vt intelligunt PP. & multi Theologi: & conſtat ex dictis præſertim *num.* 3. videantur RR. præſertim Gaſp. Hurt. *diſp.* 1. *diff. vltima.*

Dvbivm III.

6 PEtes tertiò, an exiſtenti ſub mortali perſonali requiratur pro diſpoſitione ad martyrium dolor de peccatis? Et qualis debeat eſſe iſte dolor? Reſpondetur, diviſos eſſe AA. Quare claritatis gratia præmittendum eſt, quid de vtroque ſenſerint. Igitur RR. præſertim Suarez *diſput.* 29. *ſect.* 3. tres ſententias adducunt. Prima affirmat, non ſolùm eſſe neceſſarium dolorem peccatorum, ſed etiam addit, hunc dolorem debere eſſe perfectam contritionem, aut charitatem. In hanc ſententiam vocandi ſunt *AA. num 4 citati.* ¶ Secunda ſententia affirmat, martyrium nullam diſpoſitionem requirere, vt ſuum effectum conferat, præter illam voluntatem moriendi pro Chriſto Domino, à qua martyrium imperatur. Ita noſter Vega *lib.* 6. *in Trident. cap.* 36. *Sotus, & alij*, etſi diverſis fundamentis; diverſiſque modis hanc ſententiam explicent: de quo præcipuè legendus eſt præcitatus *Suarez ſupra, & Ægid. quæſtione 65. à num.* 130. ¶ Tertia præter voluntatem patiēdi pro Chriſto Domino requirit dolorem de peccatis: addit tamen, non eſſe neceſſarium, vt hæc ſit contritio, aut hic dolor ſit contritio, vel amor Dei ſuper omnia; ſed ſufficit attritio. Ita *Suarez ubi ſupra ſectione* 2. *Ægid. ibi num.* 144 *& multi alij.*

7 Dico primo: in adulto, qui mortaliter peccavit, pro diſpoſitione ad martyrium requiritur dolor de peccatis à ſe commiſſis. Quia iſte requiritur in Baptiſmo: ergo & in martyrio. Antecedens conſtat ex *dictis cap.* 9 *à num.* 4. Conſequentia autem videtur aperta; quia nullo firmo fundamento poteſt affirmari, martyrium habere maiorem efficaciam ad iuſtificandum, quam Baptiſmus, aut requirere minorem diſpoſitionem. Cùm Baptiſmus ex inſtitutione divina conferat remiſſionem omnium peccatorum ad culpam, & ad pœnam. Si ergo in Baptiſmo, in quo Deus tam pleniſſimam præſtat remiſſionem, requiritur pro diſpoſitione dolor peccatorum

tour.

mortalium perſonalium: cur non requiretur in martyrio, quod ſolùm analogicè, & ſimilitudinariè dicitur Baptiſmus? vt *num.* 1. notabamus.

8 Dico ſecundò, in prædicto adulto pro diſpoſitione ad martyrium ſufficit attritio (hoc eſt, deteſtatio peccatorum mortaliũ perſonalium orta ex metu pœnarum inferni; aut ex aliquo alio motivo aliqualiter reſpiciente æternitatem; iuxta dicta *cap.* 9. *à num.* 9.) Quia iſta ſufficit pro diſpoſitione in Baptiſmo: *ex cap.* 9. *à num.* 5. ergo & in martyrio. Patet cõſequẽtia, quia, cùm in vtroque Baptiſmo (nempè aquæ, & ſanguinis) præſtet Deus æqualem effectum; (videlicèt pleniſsimam remiſsionem omnium peccatorum ad culpam, & ad pœnam) videtur, vtrobique exigi, & ſufficere eamdem, ſeu æqualem diſpoſitionem.

9 Sed contra primam cõcluſionem obijcit ſecunda ſententia: quod in Scriptura generatim dicit Chriſtus Dominus, eum, qui perdiderit animam ſuam propter ipſum, eam ſalvam facere vt cõſtat illo *Marc.* 8. *& alibi*, & expẽdebamus *num.* 3. ergo nulla alia diſpoſitio requiritur, quàm velle mori pro Chriſto Domino. Reſpondetur negando conſequentiam: quia etiam generatim dicit Chriſtus Dominus: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: *Marci* 16. *num.* 16. & tamen neceſſaria eſt ſaltem attritio peccatorum perſonaliũ mortalium in adulto, qui baptizatur. Et rationem aſsignant multi, præſertim Ægidius *q.* 66. *n.* 157. nempè quod in generalibus promiſsionibus non excluduntur coditiones iure naturæ, aut divino poſitivo requiſitæ. Quare, cùm ſecundùm communes regulas divinæ ſapiẽtiæ decretum ſit, (inquit Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. §. *Ex his verſ. Sed nec*) vt qui propria voluntate ſe avertit a fine, & cõvertit ad creaturam; propria etiam voluntate ſe convertat ad Deũ, & avertat à creatura: neceſſarium eſt, vt iuſtificetur, quod peccata perſonalia mortalia deteſtetur: ſive iuſtificatio ipſi contingat in Baptiſmo, ſive in pœnitentia, ſive in martyrio, ſive per actum contritionis, aut charitatis.

10 Dices cum Soto *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *ar.* 2. *concluſ.* 3. voluntatem martyrij continere verum actum charitatis; & conſequẽter vltimã diſpoſitionẽ ad gratiam: ergo ſuperflue requiritur alia deteſtatio peccatorum. Antecedens probatur primò ex illis verbis Chriſti Domini *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, *Ioann.* 15. *num.* 13. Secundò quia, ſi quis exiſtens in mortali perſonali ſubiret martyrium, & tamen non deteſtaretur peccatum, eo quod ſibi non occurrit tale peccatum propter ignorantiam, aut oblivionem inculpabilem, verè ſalvaretur, eſſetque verus mar-

martyr: ergo quia martyrium ipſum continet verum actum charitatis: & conſequenter vltimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem. Reſpondetur negãdo antecedens *cum Suar. diſput. 29 ſect. 3. Coninch quæſt. 66. num. 132. & multis alijs*: quia ipſummet martyrium non eſt formalis charitas: vt de ſe patet: cùm habeât diverſum motivum ab illa: necnon & quia cum charitate nõ compatitur mortale: benè tamẽ cum hoc, quod eſt effundere vitam pro Chriſto Domino: non enim implicant hæ duæ volitiones ſimul in aliquo: volo mori pro Chriſto Domino, aut eius fide; & volo ſimul, non parcere inimico, aut quid ſimile. Prætereà martyrium non poteſt dici continere actum charitatis, eo quòd ab illo oriatur: quamvis enim ab illo poſsit oriri, aut imperari; hoc tamen non eſt neceſſarium: cùm poſsit quis velle ſubire martyriũ, vt obtineat regnum cœlorum; vt evadat infernum, &c. ita vt hæc voluntas tantùm proficiſcatur ex virtute ſpei. Meritò ergo negamus antecedens. ¶ Ad primã probationem dico cum prædicto Coninch *ibi num.* 133. prædictis verbis Chriſtum Dominum ſolùm docere, tradere animam (hoc eſt vitam effundere) eſſe maximum ſignũ amicitiæ, quando fit pro amico præcisè, & in eius gratiam: ſicut Chriſtus Dominus animam ſuam pro nobis poſuit: non autem, quando fit ex alio motivo: vt fieri poſſe, conſtat ex nuper dictis. ¶ Ad ſecundam probationem nego conſequentiam: quia idem contingit in Baptiſmo, & pœnitentia: & tamen nec ſunt charitas formalis; nec illam continent, ſeu ab illa neceſſariò imperantur. Igitur tũc martyrium habet effectum: quia ſicut pijſsimus Deus diſpoſuit, quòd peccatum inculpabiliter ignoratum, aut oblitum non impediret effectum Baptiſmi, pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum: ita diſpoſuit, quòd non impediret collationem gratiæ in martyrio.

11 Sed adhuc obijcit ſecunda ſententia contra primam cõcluſionem, quod PP. tribuunt martyrio maiorem vim ſanctificandi, quàm Baptiſmo: ergo videntur requirere minorem diſpoſitionem ad martyrium, quam ad Baptiſmum. Antecedens conſtat ex dictis *num.* 3. Reſpondetur, PP. ſic loqui, non quia martyrium requirat minorem diſpoſitionem, quàm Baptiſmus: ſed quia vberiorem prętat effectum: etſi enim vtrobique conferatur pleniſsima peccatorum remiſsio quoàd culpam, & pœnam: martyrium tamen plures gradus gratiæ confert: cùm enim ſit opus difficilius, maius præmium promeretur: & conſequẽter vberior gratia vi illius confertur. Inſuper & promeretur laureolam glorię. ¶ Obijcies 3. quod Eccleſia ſine aliqua dubitatione colit omnes

pro

pro Chriſto Domino occiſos: ergo exiſtimat, eſſe ſufficientem diſpoſitionem martyrij velle ſubire mortē pro Chriſto Domino; eſſeque ſufficiens ſignum ſanctitatis. Patet conſequentia: ſi enim requireretur deteſtatio, aut dolor peccatorum, ſæpè ſuppeteret dubium de veritate martyrij, & de exiſtentia ſanctitatis, defectu dictæ diſpoſitionis. Reſpond. negando cōſequentiam. Ad probationem dico cum Ægid. *q.* 66 *n.* 155. vix poſſe contingere, vt Catholicus aliquis propter Chriſtum Dominū, immo, & propter aliquam veram virtutē liberè mortem patiatur ſine fructu martyrij: eo quod mors præſens, & æternitas ſecutura facilè eum excitant ad peccatorum abſolutam deteſtationem. Nec credibile eſt, Deum tali caſu ſuis athletis deeſſe, ita vt ad neceſſarium dolorem non excitet. Quare meritò Eccleſia ſupponit, eos piè fuiſſe mortuos, eo ipſo ac pro Chriſto Domino, aut aliqua vera virtute, liberè fuiſſe mortuos cognoſcit. Spectat enim ad providentiam Dei, illos ad dolorem, aut deteſtationem peccatorum neceſſariam excitaſſe: & conſequenter cùm Eccleſia ſupponat, Deum in providentia non defeciſſe, ipſos tamquam veros martyres colit.

12 Ea autem, quæ prima ſententia obijcit contra ſecundam concluſionem intendens nō ſufficere attritionem pro diſpoſitione ad martyrium, ſed neceſſariam eſſe contritionem, ſoluta manet ex dictis *n.* 4. & 5.

Dubium IIII.

13 Peres quartò, quæ conditiones ſint neceſſariæ ad conſiſtentiam veri martyrij? (In calce huius capitis libuit, hoc dubium reſolvere pro pleniori intelligentia dictorum de martyrij, aut Baptiſmi ſanguinis effectibus.) Reſpondetur, primò requiri, quod mors inferatur in odium fidei veræ, aut Chriſti Domini, aut alicuius veræ virtutis. Quia eſt commune proloquium, quòd *cauſa, non autem pœna facit martyrem.* Nec poteſt dici propter Chriſtum, aut iuſtitiam occiſus, qui nec propter Chriſtum, aut eius fidem, aut alicuius veræ virtutis defenſionem occiditur.

14 Secundò requiritur, quòd mors inferatur non reſiſtenti. Et ideò fatentur omnes, quod, etſi glorioſum, & valdè meritorium ſit pro fide bona intentione pugnando mori, milites occiſos in bello non ſunt martyres, etiam ſi tunc infideles intēderēt deſtruere veram fidē: quia reſiſtunt pugnæ; & magis interficiuntur cauſa victoriæ, quàm in odium fidei. Vnde infertur, quod, ſi miles Chriſtianus, abiectis iam armis, occideretur in odium fidei, eſſet verè martyr: quia tunc mors infertur non reſiſtenti.

15 Ter-

15 Tertiò requiritur voluntas patiendi mortem potiùs quàm relinquendi fidem, aut aliquam veram virtutem. Notant, quod ad martyrium ſufficit voluntas virtualis, aut præterita non retractata. Quare ſi quis ſuaſus recuſare fidem, poſteà dormiens occideretur, eſſet verè martyr.

¶ Immò Ægidius *quæſt. 66. n. 139. cum Caiet. & aliquibus alijs* addit, non requiri ad martyrium poſitivum aliquem actum, quo acceptetur martyrium; ſed ſufficere interpretativam voluntatē, aut habitualem: qualis eſt in eo, qui fugiens tyrannum, à quo impellitur ad fidem negandam, aut ad aliquam virtutem relinquendam, in ipſa fuga ſubito configitur. Necnon & in illo, qui dormiens in odium fidei occiditur, quamvis anteà nihil de fidei confeſſione cogitaſſet. Quia hi verè perdunt animam propter Chriſtum Dominum, habentque interpretativam voluntatem potius moriendi, quàm relinquendi fidem. Quod ſufficere videtur ad martyrium: cùm hoc non conſiſtat in actione, ſed in paſſione. Inſuper & quia mors hoc modo illata ſufficit infantibus ad martyrium: ergo & adultis. ¶ Nec refert, quod, ſi iſti mors vigilanti proponeretur, forte præ timore negaret Deum: quia hæc conditionalis nihil ponit in re; & conſequenter nec obſtat: vt bene viuit Ægidius *quæſt. 66. num. 139.*

¶ Dices; qui haberet hanc voluntatem peccaret; ſi mihi offerretur occaſio peccandi peccarē: ergo & in dicto caſu. Reſpondetur negando conſequentiam: quia vnus habet voluntatem determinatam peccandi, quamvis conditionatè, ſeu ſub hac conditione, *ſi mihi offerretur occaſio peccandi*: in priori autem caſu non habet talem voluntatem: ſed ly *forte* potiùs denotat timorem ortū ex cognitione propriæ fragilitatis, quàm voluntatem conditionatam, aut dubiam negandi fidem. Et hæc de Baptiſmo dixiſſe ſufficiat.

TRA-

TRACTATVS
DE SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS IVXTA MENTEM SCOTI.

PROOEMIVM.

AGVNT de Confirmatione Scholaſtici: Diſtinctioniſtæ *in 4. diſt. 7. vbi cum Scoto eius aſſeclæ; præ quibus videatur Fabro ſuper 4. diſp. 27. Thomiſtæ autem cum Doctore Angelico 3. part. q. 72. Præſertim legantur Ægidius Coninch ibi, & Gaſp. Hurtado in tract. de Confirmatione.* Illa autem omnia, quæ ab Auctoribus hac noſtra tempeſtate de Confirmatione diſputantur, vnico capite (ſicut Diſtinctioniſtæ vnica diſtinctione: & Angelicus Doctor vnica quæſtione) comprehendemus. Merito verò agunt Scholaſtici, illico poſt Baptiſmum, de Confirmatione: quia inter alia Sacramenta ſolebat olim primùm poſt Baptiſmum conferri.

CAP. VNIC.

De omnibus, quæ ad Sacramentum Confirmationis qualitercumque poſſunt ſpectare.

DVBIVM I.

1 PEtes primò quid ſit Confirmatio? Reſpondetur, quod *confirmatio, ſeu Sacramentũ Confirmationis eſt* (verba ſunt Scoti *diſt. 7. quæſt. 1. in initio*) *vnctio hominis viatoris aliqualiter conſentientis, vel libero arbitrio numquam vſi, facta in fronte in figura crucis cũ chriſmate ſanctificato; & hoc à miniſtro idoneo ſimul cum intentione debita vngente, & verba certa proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione divina vnctionẽ ani-*

animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum conſtantia fidem Chriſti Domini. Quæ verba ſunt adeo perſpicua, vt nulla ferè indigeant explicatione; & ſi aliqua indigeant, ſatis ex dicendis in hoc tractu conſtabit.

2 Quod autem prędictis verbis explicetur *quid nominis*, ſeu ſignificatum huius nominis *Confirmatio*, ſeu *Sacramentum Confirmationis*, non eſt probandum; ſed ſupponendum ex omnibus, qui hoc Sacramentum agnoſcunt. Etenim in quacumque ſciẽtia, aut facultate *quid nominis* in primo limine illius, etſi quadam confuſione, ſupponitur manifeſtatum, peritis ſaltem in illa facultate.

3 Inſuper præfactis verbis *quid* etiam *rei*, ſeu quid ſit *Confirmatio* optimè declaratur. Quare in prædictis verbis optima Confirmationis definitio continetur. Immò cum Confirmatio poſsit phyſicè, & metaphyſicè definiri; vtroque modo exactè illam definivit Scotus præallegatis verbis. Phyſicè, (inquam) ſeu quantum ad res ſenſibiles, in quibus relatio ſigni fundatur, verbis illis *eſt vnctio hominis viatoris, &c.* vſque ad illa *efficaciter ſignificans* excluſivè. Metaphyſicè autem verbis illis, *ſignificans efficaciter ex inſtitutione divina vnctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum conſtantia fidem Chriſti.* ¶ Vnde conſtat, quòd in definitione phyſica ly *vnctio* ponitur loco generis; in quo Confirmatio convenit cum alijs vnctionibus, tàm ſacris, (quales ſunt, quæ fiunt in Baptiſmo, ordine, extrema vnctione, &c.) quàm non ſacris: reliqua verò pro differentia.

¶ In definitione autem Confirmationis metaphyſicè ſumptæ etiam *vnctio* ponitur loco generis: quæ vnctio idem ſignificat, ac ſignum ſenſibile: alia autem ponuntur loco differentiæ. Sed pro plena horum intelligentia recolantur quæ diximus *in tract. de Sacrament. in genere cap. 1. à num. 6. & in tractatu de Baptiſmo cap. 1. à num. 3.*

DVBIVM II.

4 PEtes ſecundò, quæ de Confirmatione ſint certa inter Catholicos? Reſpondetur, primò eſſe certum, Confirmationem eſſe vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis novæ legis: & conſequenter à Chriſto Domino inſtitutum; eſſeque verè, & propriè Sacramentum. Sic quoad omnes huius ſuppoſiti partes definitur à Tridentino *ſeſ. 7. can. 1.* & fuerat præcefinitum ab Eugenio IIII. in Concilio Florentino in decreto ad Armenios.

¶ Eſt etiam certum Confirmationem conferre gratiam eam dignè ſuſcipientibus, ſeu non ponentibus obicem. Ita in eodẽ

Flo-

Florentino, atque in Tridentino *ibi can.* 6. dùm decernitur, Sacramenta novæ legis & continere gratiam, quam ſignificant, & ipſam non ponentibus obicem cōferre. Immo, & hanc gratiam conferri ex opere operato definitur *can.* 8. ¶ Inſuper eſt certum, in Confirmatione imprimi characterem in anima; hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile. Ita Florentinum, & Tridentinum *ibi can.* 9. ſic loquutum: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; vnde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Ex quibus vltimis verbis etiam conſtat, eſtque certum, Confirmationem eſſe initerabilem.

¶ Hæc omnia, & illorum ſingula, ſi cum hæreticis foret diſputandum, non levem exigebant concertationem: tamen quia cum Catholicis certamen ſumimus, & ſupponenda, & veneranda ſunt, tamquam certiſſima principia ab Eccleſia in hac materia ſtabilita, ex quibus omnes concluſiones Theologicæ huius tractatus ſunt depromendæ.

(.·.)

De tempore inſtitutionis Sacramenti Confirmationis.

DVBIVM III.

5 PEres tertiò, quo tempore fuerit inſtitutum hoc Sacramentum? Reſp. fuiſſe inſtitutum in nocte cœnæ inchoativè; completivè autem quando Chriſtus D. Apoſtolos fecit Epiſcopos poſt Reſurrectionem ſuam *Ioan.* 20. *n.* 22. *dicens: accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ratio primæ partis eſt, quod in illa longa contione poſt cœnam habita (quã D. Ioan. *cap.* 14. 15. 16. & 17. narrat) ſæpè promiſit Chriſtus D. ſe miſſurum tàm ipſis diſcipulis, quam alijs fidelibus Spiritũ Sanctum: ergo credibile eſt, tunc docuiſſe eos, qua ratione eſſet conferendum Sacramentum Confirmationis. Patet conſequentia; quia in primitiva Eccleſia viſibiliter dabatur Spiritus Sanctus in Confirmatione: & ideò de hoc Sacramento, ſeu de Spiritu Sancto accepto virtute Confirmationis loquitur ibi Chriſtus Dominus. Propter quod D. Fabianus Papa *epiſt.* 2. *ad Orientales cap.* 1. dicit: *In illa die D. Ieſus, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, (ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) chriſma conficere docuit.* Vbi nomine chriſmatis intelligit (ſicut

multi alij PP.) Sacramentũ Confirmationis; quod chriſmate cõfertur. Ratio autem poſterioris partis eſt, quod, cùm ordinarius miniſter Confirmationis ſit Epiſcopus, non videtur, plenè, aut copletive fuiſſe inſtitutũ, quoadvſque Chriſtus Dominus Apoſtolos inſtituit Epiſcopos: ſed illos inſtituit Epiſcopos *Ioan* 20. a verbis illis: *Sicut me miſsit vivens Pater, & ego mitto vos; &c. accipite Spiritum Sanctum, &c.* ergo tunc completive inſtituit Confirmationem, ſeu dedit Apoſtolis poteſtatem conferendi Spiritum Sanctum medio chriſmate. Itaque in nocte cœnæ Chriſtus Dominus docuit Apoſtolos conficere chriſma, deditque illis poteſtatem illud conficiendi; Ioan. autem 20. dedit Apoſtolis poteſtatem Confirmandi medio chriſmate.

6 Hanc noſtram concluſionẽ defendunt Suar.. *diſp.* 32 *ſect.* 2. *Ægidius quæſt.* 72. *num.* 23. *& Fabro diſp.* 27. *num.* 7. Et in ipſam vocari poſſunt quotquot abſolutè affirmant, hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum in nocte cœnæ: (Hi ſunt *Sotus, Victoria, Bellarm. & Reginaldus, quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurt. tract. de Confirmat. diff.* 3.) necnon & quotquot abſolutè affirmant, Confirmationem fuiſſe inſtitutã *Ioan.* 20. Pro qua ſententia citatur noſter Scotus *diſt.* 7 *quæſt.* 1. *verſ. Ad primum iſtorum.* Tamen quid Scotus ſentiat, non conſtat: ibi enim ſic loquitur de Sacramento Confirmationis: *Supponitur enim inſtitutum eſſe à Deo; licèt tempus, & modus huius inſtitutionis in Scriptura non legatur.* Relinquit ergo ſub dubio tempus inſtitutionis Sacramenti Confirmationis: & ideo immerito citatur pro ſententia, quæ affirmat, Confirmationem fuiſſe inſtitutam *Ioan.* 20. Auctores tamen huius & præcedentis ſententiæ facile vocantur in noſtram concluſionem. Qui enim dicunt, Confirmationem fuiſſe inſtitutam in nocte cœnæ, loquuntur, ſeu explicandi ſunt de inſtitutione initiativè ſumpta. Illi vero, qui affirmant, fuiſſe inſtitutã *Ioan.* 20. explicandi ſunt de inſtitutione completivè accepta; provt in noſtra concluſione manet explicatum.

7 Vnde reijcio errorem hæreticorũ noſtri temporis, (aliquos antiquos in hoc imitantium) qui dicunt, Confirmationem (quam hæreticè negant eſſe Sacramentũ contra Tridẽtinum *ſeſ.* 7. *can.* 1) eſſe inſtitutã à Melchiade Papa.

¶ Sed contra iſtos extat D. Fabianus citatus *num.* 5. necnon & multi alij PP. citati à Recentioribus, præſertim ab Ægidio Coninch *q.* 72. *n.* 12. Tamen quia ex præcitatis D. Fabiani verbis ſolũ conſtat inſtitutio Confirmationis, non autem vſus; accipite D. Clementem Romanum (diſcipulum D. Petri, atque quartũ ab eo Papam) *lib.* 3. *inſtit.* 16. ſic loquẽtem: *Epiſcopus baptizatos chriſ-*

mate vngat. Item Vrbanus I. (qui floruit ad annũ 222) *in epiſtola ſua cap.* 7. dicit: *omnes enim fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſma accipere debent, vt plenè Chriſtiani inveniantur:* ergo non ſolùm inſtitutio, ſed etiam vſus Confirmationis præceſsit Melchiadem: qui rexit Eccleſiam *ad annum.* 311.

8 Ex quibus à fortiori refutata manet ſententia aliquorum Catholicorum, (ſic illam vocat Coninch *quæſt.* 72. *num.* 17. Pro qua citat noſtros D. Bonavent. & Alenſem) qui fatentur, Confirmationem eſſe Sacramentũ; negant tamen, fuiſſe immediatè inſtitutum a Chriſto D. ſed volunt, fuiſſe inſtitutum in Cõcilio Meldenſi ex ſingulari Spiritus Sancti inſtinctu. Tamen, ſi loquantur de huius Sacramenti inſtitutione, opponuntur Tridẽtino *ſeſ.* 7. *can.* 1. ſi autem loquantur de vſu Cõfirmationis, a fortiori refutantur ex dictis *n.* 8. quia Conciliũ Meldenſe congregatum fuit anno 1080. ſub Gregorio Quarto.

¶ Sed tam pro iſtis, quàm pro errore *num.* 7 relato objicies, quod de inſtitutione Confirmationis nihil habetur in Scriptura: ergo non fuit hoc Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutũ. Reſpondetur negando cõſequentiã: multa enim ſunt à nobis credenda, quæ in Scriptura non continentur expreſſe; ſed auctoritatiuè ſunt à Chriſto Domino tradita Apoſtolis, & nobis conſtat per tradditionem: vt docent Scotus *in* 4. *diſt.* 7. *verſ. Ad primum,* Ægidius *q.* 72. *n.* 2 *& alij,* iuxta illud *Theſſal.* 2. *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.*

9 Demũ manet refutata ſententia docens, Sacramentũ Confirmationis fuiſſe inſtitutũ, quando *Matth.* 19. oblatis ſibi parvulis manus impoſuit, ac benedixit Chriſtus Dominus. Ita multi apud Henriquez *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. Hæc tamen ſententia (præter quam quod refutata manet ex dictis pro noſtra concluſione) non videtur probabilis: (inquit præcitatus Ægidius) quia nulla ibi fit mentio huius Sacramẽti, aut eius effectus. Nec Chriſtus D. per illam manuum impoſitionẽ tunc Confirmationem intendit inſtituere: apparet enim minùs congruum, quod effectus huius Sacramenti (nempe gratia roborans animam ad confitendũ nomen Chriſti D. coram tyranno) alicui priuſquam Apoſtolis conferretur. His autem talis roboratio data fuit in die Pentecoſtes. (ſine interventu huius Sacramenti) Et ideo meritò docent Ægidius *q.* 72. *n.* 24 *& alij* hoc Sacramentũ nulli fuiſſe collatum ante Pentecoſten. Quod fere apertè continetur *Ioan* 7. *n.* 39. verbis illis: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. (Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus;*

quia Ieſus nondùm erat glorificatus.) effectus ergo huius Sacramenti (& conſequenter neque ipſum Sacramentum) nulli fuit collatus ante Aſcenſionem ; immo neque ante Pentecoſten: etenim incredibile apparet, quòd in illa brevi temporis intercapedine, & in qua toto cordis affectu, actibuſque exterioribus in expectando promiſſum Spiritum Sanctum vniverſa occupabatur Eccleſia, adminiſtraretur Cõfirmationis Sacramentum ; cuius effectus tunc temporis nondùm fuerant experti Apoſtoli in igneis linguis, idiomatumq; varietate.

De neceſsitate Confirmationis.

Dubium IV.

10 PEtes quartò, an Sacramentum Confirmationis ſit neceſſarium ad ſalutem? Reſpondetur negativè. Quia nec neceſsitate medij: cùm innumeri, præcipuè parvuli; ſalventur ſine Confirmatione. Nec neceſsitate præcepti : cùm de illo non conſtet. Ita Scotus *in 4. diſtinct. 7. quæſt. 2. D. Thom. 3. part. quæſt. 72. art. 8. ad 4 Ochogavia, Præpoſitus, Granados, Covarruvias, Vazquez, Suar. Coninch, & G. Hurt. quos citat, & ſequitur Diana 5. p. tract. 3. Reſol. 30. quibus ipſemet 3. p. tract. 4. Reſol. 25 addit Malſeſium, Eſtiũ, Zambranum, & multos alios.*

11 Vnde reijciendæ ſunt diverſæ ſententiæ, quæ vel abſolutè, vel aliquo modo opponuntur noſtræ concluſioni. Prima affirmat, nos obligari ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum ſub peccato mortali. Pro hac ſententia citantur *Scotus (loco num. præcedenti adducto) & Silveſter verbo Confirmatio num. 3.* Immeritò tamen ; quia ſolùm affirmant, eſſe peccatum mortale, Confirmationem omittere ex contemptu. Et fortè ſic ſunt intelligendi alij, qui pro hac ſententia citantur à *Diana 5. part. tract. 3. Reſol. 30.* Hi ſunt *noſter Bonav. D. Antoninus, Vvaldenſis, Hugo de Sancto Victore, & Petrus de Soto.* ¶ Sed pro hac ſententia obijcitur auctoritas aliquorum Patrum, & conciliorũ dicentium, nos debere Confirmari, vt ſimus plenè, aut perfectè Chriſtiani: (Recolãtur dicta *n. 7.*) Reſpondetur cum Ægidio *q. 72. n. 85. cum præcitato Diana in 5. p.* & cum alijs, prædictos PP. loqui de neceſsitate inducente vtilitatem ad benè vivendum in vita Chriſtiana ; non autem de neceſſitate ad ſimpliciter vivendum in illa, ſeu inducente præceptum. ¶ Obijc. 2. quod Melchiades Papa *in ſua epiſt. cap. 2.* dicit, baptiſmum, & Confirmationem ita eſſe coniuncta, vt niſi morte interveniente ſeparari nequeant. Reſp. cum prædicto Coninch, loqui de vſu ſui temporis, quo baptiſmus (extra periculum mortis) bis tantum ſolemniter adminiſtrabatur, nempè in Reſurrectione, & Penthecoſte ; & ſtatim bap-

baptizatis conferebatur Confirmatio. Et tunc qui omitteret Confirmationem, fortè grauiter peccaret mortaliter; aut quia infringebat illius temporis conſuetudinem totius Eccleſię; aut quia præbebat occaſionem ſcandali.

¶ Obijcies tertiò, in confirmatione confertur gratia, vt fortiter, & conſtanter perſiſtamus in fide contra omnes tentationes tā intrinſecas, quam extrinſecas, in quibus continuè verſamur: ergo nos exponimus periculo deficiendi à fide, ſi hoc Sacramentū non ſuſcipiamus. Reſpond. diſtinguendo antecedens: gratia enim in Confirmatione confertur quidem vt melius, non tamē vt ſimpliciter perſiſtamus in fide, quam in Baptiſmo profeſsi ſumus: & ideò negamus conſequentiam: periculum enim imminens ex nō receptione Cōfirmationis eſt remotum: ad modum, quo eſt magis ſub periculo peccandi, in quacumque materia ille, qui eſt minus verſatus in vita ſpirituali, & exercitio virtutum.

12 Secunda ſententia noſtræ concluſioni oppoſita docet, eos, qui fidem coram tyranno debent confiteri, teneri ſub mortali priùs Confirmari, ſi commodè poſsint. Ita Durand. *in 4. dist. 7. q. 1. art. 2.* Pro qua ſententia obijcies, quòd *Lucæ vlt. n. 49* Chriſtus D. præcepit Apoſtolis, vt manerent in ciuitate, donec virtute induerentur ex alto; cuius præcepti ratio fuit, ne, ſi prius inciperent prædicare, exponerent ſe periculo negandi fidem de illa interrogati. Sed ratio iſta militat in omnibus Chriſtianis: ergo omnes obligantur recipere Confirmationem, quando inſtat occaſio confitendi fidem corā tyranno. Reſp. rationem imponendi Apoſtolis illud præceptū, non fuiſſe ſolam illā ne ſe exponerent periculo negandi fidē; immò hæc ratio fuit minùs principalis; cum tale periculū ſolum eſſet remotū; vt *n.* 11. notabamus. Igitur alia (& fortè multæ aliæ) fuit ratio præcipiendi Apoſtolis ſpecialiter ne diſcederet ab Ieruſalem, donec acciperent Spiritum Sanctū, nempè quia volebat Chriſtus D. eos ſimul in eadē domo, ſingulari illo miraculo, Spiritum Sanctum accipere: vt tunc ſolemnior eſſet legis Euangelicæ promulgatio ab omnibus ſimul in eodem loco teſtificata. Inſuper & quia conueniebat, Apoſtolos omni ſcientia, & virtute perfectos ſuum miniſterium aggredi.

12 Tertia ſententia affirmat, omittere Confirmationem ex negligentia eſſe peccatum veniale. Ita Navarrus *in manuali cap. 22. num. 9 & aly*, teſte Ægidio *quæſt. 72 num. 86.* Pro qua ſententia nullam adducit rationem.

Igitur omnes prædictæ ſententiæ reijciuntur ex noſtra concluſione *num.* 10. probata.

(.˙.)

Dubium V.

14 Peres quintò, an ille, qui, opportunitate ſibi oblata, non recepit Confirmationem, dicatur, illam contemnere? Reſpondetur negative. Quia ex oppoſito ſequeretur, dici contemnere venerabile Euchariſtiæ Sacramentū, qui extra tempus Paſchatis, præſertim in magna aliqua ſolemnitate, alijs communiter illud ſuſcipientibus, non communicaret. Idem argumentum fit de non confitente; de non ieiunante extra tempus obligationis; & in multis alijs. Igitur tunc ſolum quis dicitur contemnere Confirmationem, v. g. quando ideo illā non ſuſpicit, quia putat, hoc ſibi eſſe indignum, aut rem puerilem, aut parvi momenti: vt benè notat Coninch *quæſt.* 72. *n.* 87. Hanc concluſionē defendunt *Caiet. Soto, Navarrus, Fernandez, & Laimam, quos citat, & ſequitur Diana 3. p. tract. 4. Reſol. 25. Quibus addo Ægidium q. 72. num. 87. & G. Hurt. tract. de Confirm. diſſ. 11. poſſentque addi multi alij.*

15 Sed præcitatus Diana pro oppoſita ſententia adducit noſtros *D. Bonavent. & Ricardum; item Durandum, Marſilium, Paludanum, Maiorem, Silveſtrum, Toletum, & alios. Quibus G. Hurt. ibi addit Scotum in 4. d. 7. q. 2.* Nec miror: expreſse enim hoc videtur docere Scotus, ſi ad verborū ſonum tantum attendatur: ſecus autē, ſi attentè eius mens, & doctrina expendatur. Pro cuius intelligentia illius verba tranſcribo: ſic ergo loquitur. *Ad argumentū dico, quod loquitur de adulto, qui debet ſuſcipere, id eſt, non contemnere, & pro tempore congruo ſuſcipere in effectu: iudicaretur enim contemptus, ſi omnimoda opportunitate oblata, non ſuſciperetur.* Præmiſerat autem, & probaverat Scotus, non eſſe neceſſariam ad ſalutem Confirmationem. Quod intelligendum eſt in eius doctrina non ſolùm de neceſſitate medij; (cùm ſolùm cum Baptiſmo ſalventur innumeri, præſertim parvuli) ſed etiā de neceſsitate præcepti: cùm *diſt.* 17. §. *In iſta quæſt. verſ. Si dicatur* concedat, non eſſe præceptum recipiendi Confirmationem. Igitur cum certum ſit, quod ſecundum Scotum nulla ſit per ſe obligatio recipiendi Confirmationem; dicendum eſt, quod in illis verbis (*iudicaretur enim contemptus, ſi omnimoda opportunitate oblata, nō ſuſciperetur*) loquitur in caſu, quod de per accidens aliquis debeat ſuſcipere Confirmationem; vt eſſet, ſi ex non receptione ſequeretur in videntibus ſcandalū, aut contemptus huius Sacramenti. Si enim nō vtamur hac diſtinctione obligationis in obligationem per ſe, & obligationem per accidens, non capio, quomodo ex vna parte dicat Scotus, nullam eſſe obligationem recipiendi Confirmationē; & ex alia quod adultus aliquis debet

debet Confirmationem *ſuſcipere id eſt non contemnere, & pro tempore congruo ſuſcipere in effectu.* Etenim qui per ſe non tenetur ad audiendum miſſam, v.g. diebus nō feſtivis, in nullo caſu poteſt per ſe ad illam audiendam obligari: ut latius in probatione noſtræ concluſionis exponebamus. ¶ Relinquitur ergo, quod, quando in noſtra concluſione affirmamus, illum, qui, opportunitate commoda ſibi oblata, non recipit Cōfirmationem, non dici, illam cōtemnere, loquimur per ſe, ſeu in caſu, quod de per accidens non teneatur illam recipere: qualiter teneretur, Confirmationem recipere, ille, qui in aliquo caſu ſpeciali non recipiendo Confirmationem preberet occaſionē ſcandali, aut contemptus prædicti. Scotus autem affirmans, illum, qui, opportunitate omnimoda ſibi oblata, non recipit Cōfirmationem, dici illam contemnere, loquitur, non per ſe, ſed per accidens, ſeu in caſu, quod de per accidens teneatur quis, Confirmationem recipere: ut nuperrimè explicabamus.

Dubium VI.

16 Petes ſextò, an ſaltèm ſub veniali ſit obligatio recipiendi Confirmationem? Reſpōdetur negativè. Quia nullum eſt præceptum ad hoc obligans. Ita *Navarrus, Sotus, Victoria, Henriquez, & Suarez, quos citat, & ſequitur Coninch quæſt. 72. n. 91.* quamvis ſibi non acto contrans affirmet, vix ſine veniali poſſe omitti Confirmationem: quia per illam omiſsionem (inquit) privamus nos magnis bonis, & auxilijs ſpiritualibus. Fallitur tamen: quia ubi non adeſt præceptum, nullum poteſt eſſe peccatum. Si autem privare nos bonis ſpiritualibus, & auxilijs, eſſet veniale; multa venialia committeremus, v.g. non audiendo miſſam diebus ferialibus; non communicando frequenter; non ieiunando, &c.

Dubium VII.

17 Petes ſeptimò, an ſit mortale ſuſcipere ordines ante Confirmationem? Reſpondetur negative. Quia nullibi eſt vetitum. Ita *Navarrus, Candelabrum aureum, Victoria, & Suarez, quos citat, & ſequitur Coninch quæſtione 72. num. 90.* ¶ Addo ego, neque eſſe veniale, propter rationem concluſionis.

De materia Confirmationis.

18 Scotus *diſt. 7. quæſt. 1. §. Circa iſtam vero* Materia ſic loquitur: *Materia proxima Cōfirmationis eſt vnctio facta in fronte in figura crucis cum chriſmate ſanctificato. Materia autem remota eſt chriſma compoſitum ex oleo olivæ, & balſamo, & Sanctificatum ſpecialiter ab Epiſcopo, vel ab alio, cui*

cui talis ſanctificatio poterit committi. Quibus, tanquam certis, ab omnibus ad miſsis, aliqua de materia Cõfirmationis ſunt ſpecialiter diſputanda.

DVBIVM VIII.

19 PEtes octavo, an ſit de neceſsitate Cõfirmationis, quòd fiat chriſmate mixto ex oleo olivæ, & balſamo? Reſpondetur affirmative. Quia Florentinũ tradens ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſiſtentiam Sacramentorũ ſic de Confirmatione loquitur: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio: cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedictum.* Confirmatur: quia qui negaret, oleum eſſe de neceſsitate Confirmationis, contradiceret Florentino: (vt fatentur etiam AA. oppoſitæ ſententiæ) ergo ſimiliter ei contradicit, qui negat, balſamum eſſe de neceſsitate huius Sacramenti. Ita apertè *videtur inſinuare Scotus verbis num.* 18. *citatis. Tenentque hanc ſententiam noſter D. Bonav. Suar. Henriq. Ægidius, & Bonac. quos citat, & ſequitur G. Hurtado tract. de Confirmat. diſſ.* 4. *ſ. Adde noſtros Pitigian. & Villalob. Item Silvium, Laimam, Zambranum, & alios quos citat, & videtur ſequi Diana* 3. *part. tract.* 4. *Reſolut.* 23. *Adde noſtrum Fabrum diſp.* 27 *num.* 12.

20 Vnde reijcio diverſas ſententias nobis oppoſitas, & à Recẽtioribus relatas. Prima affirmat, non requiri vnctionem de neceſſitate Confirmationis, ſed ſolam impoſitionem manuum Epiſcopi. Ita *docuerunt olim quidam Canoniſtæ.* ¶ Secunda docet, de neceſsitate Confirmationis requiri vnctionem; ſed addit, poſſe fieri, vel ſolo oleo olivarum, vel ſolo balſamo. *Ita Canus apud Valentiam diſp.* 15. *quæſt.* 1. *puncto* 2. ¶ Tertia docet, ſolum oleum eſſe de neceſsitate materiæ remotæ Confirmationis: mixtionem autem balſami ſolum eſſe de neceſsitate præcepti. *Ita Caiet. Sotus, Ledeſma, Zambranus, Hidalgus, Valencia, & multi alij citati à prædicto Diana.* Igitur ex noſtra concluſione, & eius fundamẽto reijcio prædictas ſententias. Sed obijcit prima, quòd in Scriptura non legitur, Apoſtolos fuiſſe vſos vnctione, ſed manuum impoſitione, ad confirmandum: vt conſtat *Act.* cap. 8. *num.* 17. & aliàs: ergo vnctio chriſmatis confecti ex oleo, & balſamo, non eſt neceſſaria. Reſpondetur, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia eſt expreſsè contra Florentinum *n.* 19. citatum.

21 Omiſſo autem antecedens: quia inter AA. de illo eſt non parva controverſia, & in quatuor ſententias dividuntur Doctores. Prima ſententia affirmat, in initio Eccleſiæ tam Apoſtolos, quam primos eorum

rum

eorum ſucceſſores cōtuliſſe hoc Sacramentum per nudam manuum impoſitionem, ſine vlla vnctione, donec tandē in Concilio Meldenſi (celebrato anno 1080. ſub Gregorio VII.) ex ſingulari Spiritus Sancti inſtinctu fuit determinatum, vt conferretur ſub forma, & materia, ſub qua nunc temporis confertur.

¶ Secunda ſententia affirmat, Apoſtolos aliquando contuliſſe hoc Sacramentum per nudam manuum impoſitionem; aliquādo per vnctionem. Pro qua ſententia Ægidius *quæſt. 72 num. 56.* citat Scotum *diſt. 7. q. 1. §. Ad primum.* Tamen de illius mente non ſatis conſtat: ibi enim ſolum ſtatuit, quod Chriſtus D. non alligavit ſuam poteſtatem Sacramentis & ideo potuit exiſtens in terris; & poteſt nunc exiſtens in cœlis, ſine aliqua forma, & materia confirmare. Per quod reſpondet argumento, quod ſibi obiecerat ex eo, quod Chriſtus D. nō fuerat vſus tali materia. Addit præterea, quod Chriſtus Dominus potuit in primitiva Eccleſia cum Apoſtolis diſpenſare, vt cōfirmarent per nudam manuum impoſitionem: & adducit congruentiam ad huiuſmodi diſpēſationem. Per quod reſpondet ad argumentum, quod ſibi obiecerat dicendo, quod Apoſtoli non confirmaverant cum chriſmate; ſed per nudam manuum impoſitionem. Per hoc tamen Scotus non affirmat, quod aliquando, aut ſemper cum Apoſtolis diſpenſavit. Quare mens Scoti non eſt ita certa, ac affirmat Coninch. Mihi enim videtur, voluiſſe dicere Scotum. Si Apoſtoli confirmarunt per nudā manuum impoſitionem; (à cuius examine abſtineo) potuit Chriſtus D. diſpenſare; & fuit ratio diſpenſandi, nempè quod *in confirmatione ab eis collata erant aliqua ſigna ſenſibilia, puta communiter deſcenſus Spiritus Sancti ſuper confirmatos, & donum linguarum.* ¶ Tertia ſententia affirmat, Apoſtolos aliquando contuliſſe effectū huius Sacramenti, per nudam manuum impoſitionem; numquam tamen contuliſſe ipſum Sacramentum ſine vnctione. Ita Durand. *in 4. d. 7. q. 1. art. 2. ad 1. quamvis ſub dubio; & apertè hoc videtur tenere D. Thom. q. 72 art. 2. ad 1. & art. 4. ad 1. teſte Coninch ibi num.* 57.

¶ Quarta denique ſententia docet, Apoſtolos numquam cōtuliſſe effectum huius Sacramenti, niſi per confirmationem factam vera chriſmatis vnctione. Ita Bellarmin. *lib. de Confirmatione cap. 9. citans Waldenſem, & Hugonem de Sancto Victore.* Igitur meritò omiſſimus antecedens: cùm neque apud Scotum, neque apud alios ſit eius veritas ſtatuta; poſſetque cum nō paucis haud ſine fundamento negari.

22 Sed his omiſſis pro alijs ſententijs noſtræ concluſioni oppoſitis & *num.* 20. relatis obijcitur

tur

tur Innocentius III. *in cap. Paſtoralis de Sacramentis non iterandis*, qui conſultus an is, qui, dum confirmaretur, non chriſmate, ſed ſolum oleo fuerit vnctus, debeat ſecundo confirmari? Reſpondet, nihil in talibus eſſe iterandum; ſed cautè ſupplendum eſſe, quod omiſſum eſt. ergo ſenſit, confirmationem fuiſſe validam ſine chriſmate ex oleo, & balſamo. Patet conſequentia: alioqui diceret, eſſe iterandam. Reſpondetur negando conſequentiam: quia ſenſus eſt, [illegible] cæremonias confirmationis non eſſe iterandas, nec palam ſupplendas; ſed cautè, hoc eſt, ſecretè eſſe iterandum hoc Sacramentum [illegible] ſubſtantialia. [illegible] ſi, dum [illegible] confirmaretur aliquid [illegible] non eſſent reiterandæ cæremoniæ publicæ, ſeu ſolemnes; eſſet tamen reiterandum Sacramentum, cautè tamen, aut ſecretè, ne ſcandalum generaretur. Imò, ſi aliquid ſolum accidentale omiſſum fuiſſet, non diceret Pontifex, quod ſuppleretur. Sicut non ſuppletur omiſſio poſitionis aquæ in conſecratione calicis. Adde, quòd in prædicto caſu, adhuc in oppoſita ſententia, reiteranda foret confirmatio, ſaltem ſub conditione ne dubium maneret Sacramentum.

23. Obijc. ſecundò, Balſamū eſt [illegible], nec facilè vbique invenitur: ergo ſaltem tempore perſequutionis Eccleſiæ primitivæ illo non vtebantur miniſtri, tunc pauperrimi. Reſpondetur negando conſequentiam, præcipuè cum pauciſsimum requiratur ad confectionem chriſmatis. Hinc D. Fabianus Papa graviter reprehendit aliquos Epiſcopos Orientales; eo quod allegantes ſe difficulter poſſe balſamum habere, ſemel tantùm in tribus annis renovabant chriſma, & [illegible] veteri vtebantur. Pro quo bene notat [illegible] q. 72. n. [illegible] ſufficientia [illegible], non eſſe requiſitum, vt ſingulæ eius partes contineant formaliter aliquid balſami; ſed ſufficere, quòd ſint mixto tantum [illegible] [illegible], vt omnes, & ſingulæ eius partes [illegible] [illegible] recipiendi in ſe eius odorem, & alias qualitates. Quod ſufficit ad verificandum, ſingulas partes eſſe confectas, ſeu mixtas [illegible], & balſamo. Sicut corpora mixta dicuntur mixta ex elementis in eis virtualiter remanentibus. Vnde patet, modicum balſami multo maiori quantitati olei miſceri poſſe. Ipſaque hæc eſt ratio, propter quam PP. chriſma vocant aliquando oleum: ſumunt (inquam) denominationem a maiori parte confectionis.

24. Obijc. tertiò: balſamum facilè adulteratur ita, vt difficilè diſtingui poſſit verum ab artificioſo: ergo non eſt credendū, Chriſtum Dominum voluiſſe eſſe de neceſſitate huius Sacramenti. Reſpondetur negando conſe-quentiam.

quentiam: eodem enim modo adulteratur vinum, & tamen eſt de neceſsitate calicis. ¶ Dices: ergo dubium manebit aliquando Sacramentum. Reſpondetur diſtinguendo: ſpeculative, concedo, vel omitto: (hic quippè dubium ſæpe ſtat Sacramentum ordinis: cùm mihi certo conſtare non poſsit, an ordinans ſit verus Epiſcopus, propter defectum Baptiſmi, &c. Idem contingit in Sacramento pœnitentiæ, in hoſtia conſecrata: &c.) prudenter, nego: ad hoc enim ſufficit: vt iuxta communem æſtimationem, ſeu per iudicium prudentiale pro vero balſamo habeatur. ¶ Obi. quarto: Chriſma idem ſignificat, ac vnctio: ergo licet ſolo oleo vngatur ille, qui confirmatur, dicetur chriſmate [illegible] diſtinguendo antecedens: grammaticaliter, ſeu in rigore ſignificationis, omitto: iuxta præſentem materiam, nego. Eccleſia enim, & PP. in præſenti accipit chriſma pro mixto ex oleo, & balſamo. ¶ Obiic. quinto Florentinum dicit, actus pœnitentis eſſe materiam pœnitentiæ, ſub quibus etiam ſatiſfactionem comprehendit: quæ tamen non eſt de eſſentia Sacramenti: ergo licèt concilium dicat, Chriſma confectum ex oleo, & balſamo eſſe materiam confirmationis, non ob hoc dicendum eſt quamcumque partem chriſmatis eſſe de neceſsitate Sacramenti Reſp. cum Ægidio *quæſt. 72. num. 33.* negando conſequentiam. Nos enim non dicimus abſolutè, eſſe materiam eſſentialem Sacramenti totum illud, quod concilium, quacumque ratione, vocat materiam Sacramenti: ſed illud, quod, & a concilio dicitur materia Sacramenti, & alias præcedit effectionem illius. Quod non habet ſatiſfactio reſpectu Sacramenti pœnitentiæ; benè tamen hoc habet balſamum reſpectu confirmationis.

Dvbivm IX.

25 Petes nonò, an, ſit de neceſsitate, aut eſſentia Confirmationis, quod chriſma ſit ab Epiſcopo benedictum? Reſpondetur affirmative. Quia ſic voluit Chriſtus D. quam voluntatem explicat perpetua Eccleſiæ traditio, quæ ſemper a. ē. do de hac materia dicit, eſſe chriſma ab Epiſcopo benedictum. Ita Fabio *diſ. 27. num. 17. [illegible] q 72. [illegible] 42 & Diana 3. p. tract. 4. Reſ. 23.* dicens, *ſic ſentire A.A. citatos nu. 19.*

26 Sed Caietanus *3. p. q. 72. art. 3.* dicit, hoc ſolum eſſe de neceſsitate præcepti: & conſequenter affirmat, ſimplicem Sacerdotem poſſe validè chriſma conſecrare. Et obiic. quod Sacerdos poteſt maiorem, ſeu digniorem conſecrationem efficere, nempè corporis Chriſti D. ergo & chriſmatis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia argumentum

[illegible] à maiori ad minus in eodē genere, ſcilicet quando minus includitur in maiori, eſt efficax: ſecus autem in diverſo genere. Quare non valet homo generat hominem: ergo & poteſt generare formicam: quod eſt minus.

¶ Obijcit ſecundò Concilium Toletanum primum *cap. 2. dicens: Quam.* [illegible] *ubique* [illegible] *diatur, vt* [illegible] *nemo chriſma* [illegible] *aliquibus locis,* [illegible] *Presbyteri dicuntur chriſma conficere; placuit ex hac die, nullum alium, niſi Epiſcopum conficere,* [illegible] *diœceſim deſtinare.* Reſpondetur, concilium factum illud non approbare; ſed declarare, perperam, & invalidè factum fuiſſe: & conſequenter in poſterum non eſſe faciendum.

26 Obijc. tertiò, quòd Papa poteſt committere ſimplici Sacerdoti collationem confirmationis: ergo & confectionem, ſeu conſecrationem chriſmatis. Probatur conſequentia: quia qui poteſt ad magis poteſt ad minus: ſed conferre Sacramentum Cōfirmationis eſt magis, quam conſecrare materiam illius: ergo cōſecrare chriſma poteſt committi ſimplici Sacerdoti. Reſpondetur (omiſſo antecedenti: quod negant aliqui, teſte Diana 3. *p. tract. 4. Reſ.* 23 [illegible]) negando conſequentiam. Tum, quia argumētum a maiori ad minus ſolùm eſt efficax in rebus eiuſdem generis: vt nuper dicebamus. Tùm, quia tale argumentum non tenet in rebus, quæ pendent ex libera voluntate inſtituentis. Quod autem ſit de neceſſitate Confirmationis, quod chriſma ab Epiſcopo conſecretur, conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione: *ex num. 23.*

¶ Dices, hoc eſſe contra Scotum; cuius verba retulimus *num.* 18. quibus expreſſe [illegible], quod chriſma debet eſſe conſecratum *ab Epiſcopo, vel ab alio, cui talis facultas* [illegible] *committi*: ſentit ergo, quod poteſt committi Sacerdoti [illegible] chriſmatis. Reſpondetur negando conſequentiam: quia Scotus ibi ſolum ſtatuit, eſſe omnino neceſſarium, quod chriſma ſit benedictum: addit autem prædicta verba (*vel ab alio,* [illegible]) quia putavit, poſſe hoc [illegible] committi; ſed vt abſtraheret (quando certa tradebat potius ſupponendo, quàm diſputando) [illegible] prolixa quæſtione, an [illegible] chriſmatis poſſit committi alteri Sacerdoti?

27 Benè notant [illegible] *q.* 72 *num.* 4 [illegible] 1. *p. tract. 6.* [illegible] *Sotum,* & [illegible] Dominum noſtrum [illegible] conſecrationis chriſmatis [illegible] [illegible] quod fieret per invocationem Spiritus Sancti [illegible] confecto ex oleo, & balſamo. [illegible] non videtur credibile, omnem ritum, quem iam ſervat Eccleſia, ſecundum omnes ſuas partes, eſſe [illegible]

de neceſsitate Confirmationis, aut illi eſſentialem; aut per omnes Eccleſias ſemper ab initio fuiſſe eumdem. ¶ Item notant communiter AA. ſolùm eſſe de neceſsitate præcepti, quòd vnctio fiat chriſmate illo anno cõſecrato dummodo chriſma ſit incorruptum. Quia vetus chriſma non amittit benedictionem.

Dubium X.

28 PEtes decimo, an ſit de eſſentia Confirmationis, quòd vnctio fiat in fronte? &c. Reſpondetur per ſequentes concluſiones. Dico primo. de neceſſitate Confirmationis eſt, quòd fiat in fronte. Quia ſic fert communis Eccleſiæ vſus; & concors Patrum conſenſus. Confirmatur, quia id videtur neceſſario petere finem, & effectum huius Sacramenti; vt docet Florentinum ſic fatum: *Effectus huius Sacramenti eſt, vt in eo detur Spiritus Sanctus ad robur. Ideoque in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus vngitur, ne Chriſti nomen, & præcipuè eius crucem confiteri erubeſcat.* Ita Ægid. G. *Hurt. diff.* 6. & *communiter AA.*

29 Dico ſecundo: vnctio debet fieri in forma crucis. Aliàs non poſſet verificari illa pars formæ, *ſigno te ſigno crucis.* Præterea conſtat ex verbis Florentini nuper citatis. Quare communiter docent AA. hanc ſignationem eſſe eſſentialem, aut de neceſſitate Sacramenti.

30 Dico tertiò, de neceſsitate Confirmationis eſt, quod vnctio fiat immediatè per manum Epiſcopi, vel miniſtri ita, vt non poſsit fieri medio aliquo inſtrumento. Quia de neceſsitate Cõfirmationis eſt manuum impoſitio: ſicque fert Eccleſiæ conſuetudo. Ita Ægidius *quæſt. 72. num.* 54. & *Diana* 3. *p. tract.* 4. *Reſol.* 22. ¶ Notat autem Villalobos 1. *p. tractat.* 6. *diff.* 2. *num.* 6. *cum Vvaldenſi, Hugo de S. Victore, Bellarmino, & Suarez,* non requiri in Confirmatione aliam manuum impoſitionem, præter prædictam vnctionem Epiſcopi manu factam.

31 Dico quartò: non eſt de neceſsitate Cõfirmationis, quòd fiat pollice dextro. Quia quocũque digito facta ſalvatur veritas formæ. Præterea quia hoc videtur fundari ſolùm in congruentia. Ita Ægid. *ibi num.* 55. & *videtur ſupponere Dian. ibi, & AA. ab ipſo citati.* ¶ Immo addo, quòd variatio manus, vel digiti in Confirmatione non eſt mortalis. Quia videtur materia levis: vt cum Nugno inſinuat *Diana ibi.*

Dubium XI.

32 PEtes vndecimò, an Apoſtoli in adminiſtratione Confirmationis ſemper vſi fuerint chriſmate? Reſpondetur negativè. Quia *Actor.* 8. & 19. *dicitur,* Apoſtolos contuliſſe Spiritum

tum Sanctum per manuum impoſitionem. Vnde Florentinum ait: *loco autem illius manus impoſitionis*, (qua Apoſtoli conferebant Spiritum Sanctum) *datur in Eccleſia Confirmatio*: ſentit ergo, quod Apoſtoli per nudam manuum impoſitionem confirmabant. Ita *noſtri D. Bonavent. in 4.d.7.art. 1. quæſt. 1. & 2. & Alenſis 4.p.q 24. & ſatis inſinuat Scotus*. Recolantur dicta *n.21.*

33 Sed Ægidius *quæſt. 72. à n. 58. cum Bellarm. Vvaldenſi, & alijs* oppoſitum defendit: & obijcit D. Clementem Romanum, D. Fabianum Papam, & alios PP. qui nobis videntur opponi. Reſpondetur, ſolùm docere, vſum chriſmatis dimanaſſe ab Apoſtolis edoctis à Chriſto D. chriſma conficere. Verum autem Apoſtoli eo vſi fuerint, non determinant. Immò Florentinum pro nobis citatum affirmare videtur, Apoſtolos ſolùm vſos fuiſſe manuum impoſitione. ¶ Dices, illam manuum impoſitionem fuiſſe diverſum Sacramentum à Confirmatione. Reſpōdetur diſtinguendo: diverſitate ſe tenente ex parte ſigni, concedo, vel omitto: quia non eſt certum, Apoſtolos ſemper vſos fuiſſe nuda manuum impoſitione ſine chriſmate: de quo dixi *num.* 21. Diverſitate ſe tenente ex parte ſignati, nego: quia vtrobique datur gratia ad robur. ¶ Obijc. ſecundo: quando in Scriptura dicitur, ſalvari per lavacrum regenerationis, (*ad Titum* 3.) vel per Baptiſmum (*1.Petri* 3.) non excludimus formam baptiſmi: ergo à ſimili, licèt dicatur in Scriptura, Apoſtolos conferre Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem, non debemus excludere vnctionem. Reſpondetur negando paritatem: quia de Confirmatione dicit Eccleſia: *loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio*: vbi clarè ſupponit, Confirmationem eſſe aliam ab impoſitione manuum: ergo clarè innuit, tunc non intervenire vnctionem: alias non differrent; nec poſſet verificari, vnam alteri ſucceſsiſſe.

34 Nota verba illa Scoti *in 4. diſt.7.q.1. verſ. Ad primum: tot autem tempore Apoſtolorum fortè manſit donum linguarum in Sacramento Confirmationis*. Vnde conſtat, Scotum dubitare, an Apoſtoli ſemper confirmaverint per nudam manuum impoſitionē? Etenim, ſi tempore Apoſtolorū ceſſavit donum linguarum, aut alter deſcenſus viſibilis Spiritus Sancti ſuper confirmatos; tunc congruebat, quod Apoſtoli etiā vnctione chriſmatis vterentur. Quare noſtra concluſio notantèr affirmat, Apoſtolos non ſemper vſos fuiſſe chriſmate. Nec propter hoc affirmamus, aliquādo vſos fuiſſe chriſmate, & vnctione. Sed ab vtroque abſtinendo dicimus, quod, ſi tempore Apoſtolorum ceſſavit donum lingua-

guarum, vſi ſunt vnctione: ſecus autem, ſi non ceſſavit. Et ideò ad defendēdũ noſtra n concluſionem non eſt neceſſe examinare, quando, ſeu quo tempore ceſſavit donum linguarum, aut viſibile aliquod ſignum Spiritus Sancti ſuper confirmatos? Sed affirmare, quod illo perſeverante, non fuit neceſſarius vſus vnctionis; bene tamen, illo ceſſante. ¶ Dices: effectus Confirmationis, ſeu gratia roborans data eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes; immo & Cornelio ſine aliqua manus impoſitione: ergo adhuc iſta non fuit requiſita in primitiva Eccleſia. Reſpondet Scotus *diſt. 7. quæſt. 1. verſ. Ad primum*, quod Chriſtus Dominus *non alligavit potentiam ſuam Sacramentis. Et ideo ipſe ſive in terris, ſive poſt aſcenſionem in cœlo exiſtens potuit Confirmare Apoſtolos ſine tali materia, & ſine tali forma.* Quare in forma reſpondetur diſtinguendo conſequens: ad confirmationem, ſeu ad præſtandum effectum Confirmationis regulariter, nego: extraordinarie, ſeu quaſi de potentia abſoluta, concedo.

De Forma Confirmationis.

Dubium XII.

35 Peres 12. quæ ſit forma Confirmationis? Reſp. eſſe iſtam: *ſigno te ſigno crucis; & Confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amē.* Quia ſic tradit Florentinum. Inſupèr optimè explicat cauſam principalem huius Sacramenti: quæ eſt ſancta Trinitas; necnon & eius effectus. Nam per ly *ſigno te ſigno crucis* (per quod diſtinctè exprimitur ſignum militiæ, cui confirmatus exteriùs adſcribitur) denotatur character, ſeu ſignum ſpirituale, quo indelebiliter ad militiam Chriſti D. aſſumitur. ¶ Ly autem *confirmo te chriſmate ſalutis* exprimit gratiam collatam confirmato ad roborādum ipſum, vt confiteatur nomen Chriſti Domini coram tyranno. ¶ Demùm ſufficienter explicatur tàm perſona confirmanda; quàm actus confirmantis.

36 Hinc infero, eſſe de eſſentia huius formæ ly *ſigno crucis.* Quia eſſentiale eſt cuicumque militiæ exprimere ſignum proprium ſui Ducis: & Chriſtianus miles per crucem proteſtatur, ſe non erubeſcere crucem Chriſti Domini, ſeu proteſtatur, ſe adſcriptum eſſe illi militiæ, quæ tamquam proprium ſignum habet crucem. ¶ Infero ſecundo, eſſe de eſſentia huius formæ ly *chriſmate ſalutis.* Quia per ly *confirmo* non ſatis exprimitur vnctio. ¶ Dices: in baptiſmo non eſt neceſſarium exprimere materiam remotam, ſeu aquam: ergo à ſimili. Reſpondetur negando paritatem. Quia ly *baptizo* ſufficienter explicat materiam

remo-

remotam : non autem ly *confirmo* : quippè non ſolùm chriſmate, ſed etiam verbis, & multis alijs modis vnus dicitur aliū propriè confirmare : baptiſmus autem propriè ſolùm fit in aqua.

¶ Dices ſecundò: cum Apoſtolis fuit diſpenſatum, vt ſaltèm aliquoties confirmarent ſine chriſmate, & vnctione, ſed per manuum impoſitionem : (vt conſtat ex dictis *à num.* 32.) ergo ſaltèm tunc non vtebantur hac forma, ſaltem quoad illam partem, *confirmo te chriſmate ſalutis*: ergo talis forma non eſt eſſentialis. Reſpondetur concedendo primam conſequentiam: quia quādo fuit diſpenſatum in vſu materiæ, conſequenter diſpenſatum' eſt in parte formæ, quæ correſpondet prædictæ materiæ. Vnde negatur vltima conſequentia : quia etſi talis forma, aut aliqua illius pars non ſit eſſentialis, aut de neceſsitate Confirmationis in alia diſpoſitione rerum, aut quaſi loquendo de potentia abſoluta: eſt tamen eſſentialis, aut de neceſsitate Confirmationis, ſtante præſenti diſpoſitione; ſeu non interveniente diſpenſatione, aut quaſi loquendo de potentia ordinaria.

Dubium XIII.

37 Petes 13. an ſaltèm vſi fuerint Apoſtoli in Cōfirmatione aliqua forma ? Reſp. affirmative. Quia congruum videtur, quòd, ſicut Baptiſmus datus fuit ſub forma exprimente, vel perſonas Sanctiſsimæ Trinitatis ; vel ſaltem nomen Chriſti D. vt ſic myſteria noſtræ fidei in cordibus fidelium imprimerentur. (Recolantur dicta *in tract. de Baptiſmo cap. 3. à num.* 11.) Ita congruum fuit, vt Confirmatio in fide ſuſcepta fieret ſub aliqua forma exprimente, vel perſonas Sanctiſsimæ Trinitatis; vel nomen Chriſti Domini.

¶ Dices: ergo Apoſtoli nunquā contulerunt Confirmationem per nudam manuum impoſitionem. Reſpond. ita eſſe. Cum autem *à num.* 32. ſtatuimus Apoſtolos ſaltem aliquando confirmaſſe ſolum per manuum impoſitionem ; ſolum excludimus chriſmatis vſum ; & verba formæ Confirmationis ; quæ vnctioni chriſmatis correſpondent.

¶ Determinare autem, ſub quibus verbis cōfirmaverint; (nempè an ſub his; *ſigno te ſigno crucis ; & confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*? an ſub iſtis: *ſigno te ſigno crucis ; & Confirmo te in nomine Chriſti, aut Ieſu Chriſti*?) non habet diſtinctam difficultatem ab illa, quam diſcuſsimus *in tract. de baptiſmo c.* 3. *à num.* 11. Et ideo ex ibi dictis eſt reſolvenda. Quare ſicut ibi *à num.* 13. propugnavimus, validū fuiſſe Baptiſmum datum ſub nomine Ieſu Chriſti ſaltem tempore Apoſtolorum ; ita dicimus in præſenti, eodem tempore vali-

dam

ita dicimus in præſenti; eodem tempore validam fuiſſe (propter ſpecialem diſpenſationem) Confirmationem datam in nomine Chriſti, aut Ieſu Chriſti D. Vnde autem conſtet prædicta diſpenſatio, diximus in prædicto loco loquendo de Baptiſmo. Quod & in præſenti eſt accommodandum.

38 Immò mihi ſatis arridet, ſemper datam fuiſſe ſub nomine Ieſu Chriſti, quandiù duravit deſcenſus Spiritus Sancti ſuper confirmatos per aliquod ſignum ſenſibile. Quia cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum, vt roborarentur baptizati ad confitendum crucifixum; (qui Iudæis erat ſcandalum; & Gentibus ſtultitia) oportebat, quòd conferretur in nomine eiuſdem crucifixi. Et fortè hæc eſt ratio, quare tunc in hoc Sacramento viſibiliter dabatur Spiritus Sanctus, ſcilicèt vt fideles videntes eximios crucifixi effectus, ipſius amore accenderentur; atque ad ipſius illius confeſsionem roborarentur; avideque alij hoc Sacramentum optarent.

De ſubiecto capaci Confirmationis.

Dvbivm XIIII.

39 PEtes 14. quodnam ſit ſubiectum capax Confirmationis? Reſpondetur, eſſe hominem viatorem baptizatū. Quia ſic diſpoſuit Chriſtus D. de cuius diſpoſitione, aut voluntate conſtat ex vſu Eccleſiæ, & cōcordi Patrum, & Scholaſticorū conſenſu. Hùc ſpectant, quæ diximus *in tract. de Sacramentis in genere cap.6. á n.1.* ¶ Dices: in die Pentecoſtes omnes, qui erant in cœnaculo repleti ſunt Spiritu Sancto: ſed fortè multi illorum non erant baptizati: ergo Confirmatio non prærequirit Baptiſmum. Reſpondetur negādo cōſequentiam: quia illi, qui tunc nō fuerunt baptizati (ſi fortè aliqui fuerunt) receperant Sacramentum circumciſionis praſtans eūdem effectum. Reſpondetur ſecundo negando conſequentiam, aut eius ſuppoſitum: videtur enim ſupponi in Pentecoſtes die interveniſſe Sacramentum Confirmationis: quod eſt falſum: cōfirmatio enim Apoſtolorum fuit quidem ſimilis effectu, quem de facto præſtat Sacramentum Cōfirmationis; non tamen fuit collata vi alicuius Sacramenti.

Dvbivm XV.

40 PEtes 15. in qua ætate ſit adminiſtranda Confirmatio? Reſpondetur, congruum eſſe expectare vſum rationis ad adminiſtrandum Confirmationem. Quia in Pontificali Romano ſtatuitur, vt confirmandus ſciat doctrinam Chriſtianam. Pretereà, ſtante iam vſu rationis, aptiùs diſponetur ad recipiendū fructum Confirmationis. Hinc

dixerunt multi, præſertim *Valenci q 2. de Confirmatione puncto* 2. expectandum eſſe ſeptennium ad confirmandum. Quorum placitum verum eſt, ſi loquantur de congruentia propter rationes noſtræ concluſionis. Falſum autem eſt, ſi loquantur de obligatione. Etenim nullibi eſt prohibitum confirmare infantes, etiā ſine cauſa: vt docent *G. Hurt. de Sacram. Confirm. diff. 10. Granados de Sacram. in 3 p. controv. 5. tr. 1. 2. diſput. 2. num 10. & Dianas 5 p. tract. 3. Reſol 21. in fine.*

¶ Sed ad probandum non ſolùm eſſe congruum, ſed etiam obligatorium, non confirmare ante vſum rationis, objicies: Pontificale Romanum ſtatuit, non eſſe confirmandos pueros ante vſum rationis: ergo extat obligatio nō Confirmandi ante ſeptennium; in quo regulariter incipit vſus rationis. Reſpondetur negando conſequentiam: quia ſolùm id diſponit ſub conſilio: aut ſaltèm quia ſolùm tamquam conſilium eſt ſic receptum: aliàs non affirmarent præcitati AA. nullibi eſſe prohibitum confirmare infantes, etiam ſine cauſa. Eodem modo intelligendum eſt concilium Mediolanenſe 1. eſtque interpretanda conſuetudo non Confirmandi infantes ante ſeptennium.

41 Ad probandum autem, nullam eſſe congruentiam ad expectandum vſum rationis, objicies; in primitiva Eccleſia confirmabantur infantes: ergo non eſt magis congruum expectare ſeptennium. Reſpondetur negādo conſequentiam: quia tunc confirmabantur, ne poſtea privarentur Confirmatione propter paucitatem Epiſcoporum.

¶ Inſtabis: infanti morituro adminiſtranda eſt Confirmatio, ſi commodè fieri poteſt: vt docet *D. Thom. 3. p. q. 72. art. 8. ad 4.* & meritò, ne privetur gratia collata virtute huius Sacramenti, & poſtea in æternitate gloria correſpondente prædictæ gratiæ. ergo, etiam ſi non ſit Epiſcoporum inopia, adminiſtranda eſt confirmatio ante ſeptennium. Reſp. diſtinguendo conſequens: in articulo mortis, & alias oblata opportunitate, concedo: abſolutè, nego: Itaque cùm noſtra concluſio ſolùm nitatur in congruentia illa, quod, ſtante vſu rationis, aptiùs diſponetur confirmandus ad recipiendum hoc Sacramentum, & fructum illius, expectandus eſt vſus rationis ad congruam adminiſtrationem illius, quoties alia ratio nō vrgeat. Si tamen alia ratio alitèr fieri dictet, (vt in primitiva Eccleſia Epiſcoporum paucitas: & in articulo mortis privatio gratiæ, & gloriæ) non eſt expectandus vſus rationis ad congruam Confirmationis miniſtrationem.

¶ Nota tamen, prædictam congruentiam (expectandi vſum rationis, vt ſic confirmandus aptiùs diſponatur ad reci-

piendum tàm Sacramentũ Confirmationis, quam fructum illius) nullam inducere obligationem culpæ. Et ideò operari contra illam nulla eſt culpa, adhuc venialis: vt *num.* 40. notabamus. Qualiter etſi congruum, aut magis congruum ſit audire ſacrum, aut recitare officium divinum, antequam alijs rebus temporalibus attendamus: nulla tamen eſt culpa his rebus priùs incumbere, aut contra prædictam congruentiam operari; dũ tamen intra tempus præſcriptum miſſæ, & officij divini obligationem ſolvamus.

Dubium XVI.

42 Petes 16. an adultis in articulo mortis poſsit miniſtrari Sacramentum Confirmationis? Reſpondetur affirmativè. Quia nullibi eſt prohibitum. Secundò, quia immeritò privarentur augmento gratiæ, quod recipitur vi huius Sacramenti: & conſequenter immerito privarentur augmento gloriæ prædicto augmento gratiæ correſpondente. Ita *D. Thom. D. Bonaventura, Hugo, Sotus, & Ioannes Sanctus, quos citat, & ſequitur Diana 5. p. tract. 3. Reſolut.* 30. *Videatur in 3. p. tract.* 4. *Reſol.* 19. *Ita etiam tenet G. Hurtado diſſic.* 10. *& Suarez numero ſequenti citandus.* ¶ Dices, ſequi ex rationibus noſtræ concluſionis, ſub mortali teneri infirmos confirmari, vbi eſſet conſuetudo infirmos confirmãdi. Reſpondetur, ita docuiſſe Adrianum *in 4. de Confirmatione art.* 1. Immerito tamen, quia in nullo eventu obligat per ſe receptio Confirmationis: vt conſtat ex dictis *à num.* 10. ¶ Contra: prodigalitas eſt peccatum: ſed eſt prodigalitatis genus ſe ipſum privare augmento gratiæ, & gloriæ, quod confertur vi huius Sacramenti: ergo ſub obligatione tenetur infirmus ipſum recipere. Reſpondetur, in primis ex his non convinci eſſe obligatum infirmum ſub mortali recipere Confirmationem: quia prodigalitas ex genere ſuo tantùm eſt veniale: vt ſuppono ex communi omnium ſententia. De quo præſertim videatur *noſter Villalobos t. 2. tract. 40. diff.* 4. Reſpondetur ſecundo, non eſſe propriè prodigalitatem non acquirere bona; ſed poſſeſſa conſumere indebitè. Adde, vitium prodigalitatis non exerceri propriè circa bona ſpiritualia.

43 Dices ſecundò, infirmum in articulo mortis non egere cõfirmatione, vt præparetur ad pugnam, ſeu ad confeſsionem fidei coram tyranno: ergo non poteſt ei licitè adminiſtrari. Reſpondetur (omitto, poſſe non mori tunc) negando conſequentiam: quia ſaltèm eget Confirmatione, vt creſcat, & perficiatur in gratia. ¶ Dices tertio, quòd Melchiades Papa (qui ad

annum 317. rexit Eccleſiam) videtur oppoſitum inſinuare his verbis (relatis à Suarez *diſput.* 35.*ſect.*2. *in fine*) *etſi victuris neceſſaria ſint Confirmationis auxilia; at continuò tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia, &c.* Reſpondetur, ſolùm docere, hoc Sacramētum eſſe minùs neceſſarium morituris ſtatim, quā victuris. ¶ Dices quartò, vſum Eccleſiæ ſtare contra noſtram concluſionem. Reſpondetur Eccleſiæ vſum fundari in hoc, quod præſumit, infirmum iam eſſe baptizatum. Aut in hoc, quòd non vacat Epiſcopis per ſingulos infirmos adire.

Dvbivm XVII.

44 PEres 17. an perpetuò amentes ſint confirmandi? Reſpondetur affirmativè. Quia non debent privari gratia huius Sacramenti; & gloria huic gratiæ correſpondente. Ita *Zābranus, Nugnus, Filliucius, Laiman, Silvius, Coninch, G. Hurt. & noſtri Pitigianus, & Villalobos, quos citat, & ſequitur Diana* 3.*p.tract.*4. *Reſol.*20. ¶ Sed *Valentia, Sà, Chamerota, Sotus, & Ledeſma ibi citati* oppoſitum defendunt, & obijciunt: Confirmatio datur ad militandum in vita ſpirituali, ſeu ad confitendum nomen Chriſti Domini coram tyranno: ſed perpetuò amentes non ſunt capaces huius militiæ: ergo neque huius Sacramenti. Reſpondetur diſtinguendo maiorē; abſolutè, concedo: vnicè, ſeu excluſivè, nego. Itaque abſolutè eſt verum, confirmationem fuiſſe inſtitutam ad militandum in vita ſpirituali, ſeu ad confitendum nomen Chriſti D. corā tyranno: falſum tamen eſt, ſolùm habere hunc effectum, ſeu fuiſſe inſtitutam ex hoc fine: fuit enim inſtituta (ſaltèm ex generali ratione Sacramenti; aut tamquam ex fine partiali motivo, aut impulſivo; primario, aut ſecundario) ad conferendum augmentum gratiæ ſanctificantis; illamque de facto confert cuicumque ſubiecto exiſtenti in gratia, quamvis aliàs ſit incapax confitendi nomen Chriſti D. coram tyranno, aut militandi in vita ſpirituali. Et ratio huius eſt, quòd Sacramenta ſunt ſicut cauſæ naturales: quæ imprimūt ſubiecto effectū, cuius eſt capax; etſi aliàs ſit incapax alterius, quem cauſa illa poſſet præſtare: vt patet in igne, qui calefacit aerem, quem comburere nequit. Sic etiam baptiſmus v. g. præſtat characterē tantùm, quando ſubiectum eſt indiſpoſitum ad recipiendum gratiam ſanctificantem: & non cauſat gratiam ſacramentalem in eo, qui ad illam eſt indiſpoſitus, quamvis aliàs recipiat gratiam ſanctificātem. Similiter ergo Confirmatio cauſat gratiam ſanctificantem tan-

tantùm in perpetuò amentibus; quia ad iſtam ſunt diſpoſiti; quāvis aliàs in eis non cauſet gratiam ſacramentalem, (in quo iſta cōſiſtat, diximus *in tract. de Sacramentis in genere cap. 4. à num. 43*) ſeu fortitudinem ad confitendū fidem coram tyranno: quia ad iſtum effectum amentes ſunt indiſpoſiti, aut incapaces.

44 Ex dictis à fortiori infertur, confirmandos eſſe eos amētes, qui aliquando habuerunt vſum rationis, & poſteà in amentiam inciderunt; dummodo certo non conſtet, eos (quod rarò conſtare poterit) ſub peccato mortali fuiſſe, quando in amentiam inciderunt. ¶ Dices: in adulto, ſeu in eo, qui aliquando habuit vſum rationis requiritur conſenſus ad validam receptionem Sacramentorum: ergo ſi prædicti amentes non habuerunt voluntatem recipiendi confirmationem, nequit illis validè administrari. Conſequentia eſt legitima: antecedens autem docuimus cum cōmuniſsima ſententia (contra Caiet. & Ledeſmam dicentes, ad validam Sacramenti receptionem ſufficere, quòd recipiens non reſiſtat eius receptioni) *in tract. de Sacramentis in genere cap. 6. à num. 2.* Reſpondetur caſum eſſe metaphyſicum: eſt enim ferè impoſsibile, eum, qui aliquando habuit vſum rationis, non habuiſſe conſenſum aliquem generalem, aut ſaltèm interpretativum recipiēdi Eccleſiæ Sacramenta: quem conſenſum ſufficere ad validam Sacramenti receptionem, diximus *ibidem: necnon, & cap. 3. n. 79.* Igitur caſus eſt metaphyſicus: ipſo tamen admiſſo, concedimus, quòd ſi prædicti amentes omninò caruerunt aliquo conſenſu ex ibidem explicatis, ſunt incapaces recipiendi Confirmationem. ¶ Nota tamen, quòd in praxi eſt illis adminiſtranda Confirmatio etiam in iſto caſu: quia extat opinio in oppoſitum; & in favorem alterius vtendum eſt opinione probabili.

De confirmationis effectibus.

DVBIVM XVIII.

45 PEtes 18. quot, & quales effectus habeat Confirmatio? Reſpondetur, effectus Sacramenti Confirmationis eſſe quatuor; nempe characterem, quo quis inſignitur, vt miles Chriſti D. Item gratiam ſanctificantem. Inſupèr gratiam Sacramentalem, vt quis fortitèr militet in Chriſtianiſmo, ſeu cōfiteatur nomen Chriſti D. coram tyranno. Et demùm affinitatem: quæ eſt Eccleſiaſticum impedimentum ortum inter confirmatum, & eius patrinum ad contrahendum matrimonium. Recolantur dicta *num. 4.* Item, quæ diximus *in tract. de Sacram. in genere cap. 4.* vbi *à num. 1.* multa ſcitu digna de gratia ſanctificante

Dubium XXI.

48 PEtes 21. qualem gratiam conferat Confirmatio? Reſpondetur conferre, & ſanctificantem; & Sacramẽtalem dignè eam recipienti. In quo conveniunt Catholici. Nota tamen, cum proportione eſſe intelligendum, nempè, quòd conferatur gratia ſanctificans non ponenti obicem prædictæ gratiæ: & quod conferatur gratia Sacramentalis, ſi huic gratiæ obex non ponatur: diverſæ enim diſpoſitiones ad has gratias ſunt requiſitæ. vt diximus *in tract. de Sacramentis in genere cap. 4. num. 48.* Vnde conſequenter contingere poteſt; & ſæpiſſimè contingit, tam in Cõfirmatione, quàm in alijs Sacramentis vivorum, quòd quis recipiat gratiam ſanctificantem: quia habet diſpoſitionem ad hoc requiſitam, nempè, quia non eſt ſub peccato mortali: & quòd nõ recipiat gratiam Sacramentalẽ: quia non habet diſpoſitionem ad hanc requiſitam. ¶ Nota etiam, gratiam ſanctificantẽ collatam vi Cofirmationis debere, eſſe gratiam ſecundam. Quia eſt Sacramentum vivorum, hoc eſt, debet recipi ab illo, qui eſt in ſtatu vitæ ſpiritualis: Baptiſmus quippè, & pœnitentia tantũ ſunt Sacramenta mortuorum. Recolantur dicta *in prædicto tract. c. 4. à num. 2.* Hinc conſequenter fit, peccare mortaliter eum, qui exiſtens ſub mortali ſcienter, reciperet Confirmationem. Quare ſaltèm ad dignam illius receptionem debet elicere actum contritionis. ¶ Nota etiam, ſpecialem effectum, ſeu finem huius Sacramenti ſub his verbis aſsignat the Florentinum: *datur Spiritus Sãctus ad robur: ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen.* ¶ Quid verò addat gratia Sacramẽtalis ſuper habitualem, conſtat *ex tract. de Sacram. in genere cap. 4. à num. 43.* Vnde etiam conſtat, (*à n. 8.*) quod Sacramenta vivorum (& conſequenter Confirmatio) per accidens poteſt conferre primam gratiam.

De Patrino Confirmationis.

Dubium XXII.

49 PEtes 22. qualis debet eſſe Confirmationis patrinus? Dico primò: debet eſſe baptizatus: quia qui non eſt intra Eccleſiam, non debet ad functiones Eccleſiaſticas, præſertim Sacramentales, admitti. ¶ Dico ſecundo: debet eſſe cõfirmatus. Quia ſic diſponitur *in cap. In baptiſmate de Conſecratione diſt 4.* ¶ Dico tertio, debet patrinus non eſſe religioſus. Quia ſic interdicitur religioſis *in cap. Monachi de Conſecrat. diſt. 4.* Nobiſque Minoritis fortè interdicitur in Regula *ca. 11.* verbis illis, *ne fiant cõpatres virorũ, aut mulierũ, & a*

50 Notetur ly *fortè*: quia etſi *Hugo de Dina cap.* 11. *Corduba cap.*4.*cap.*11.*& F.Martinus a S. Ioſeph cap.*25.*in fine, & fortè alij* exiſtiment, prædicto præcepto regulæ non ſolùm nobis prohiberi patrinatum in Baptiſmo, (de quo non eſt dubium) ſed etiam Confirmationis: tamẽ hoc mihi non eſt ſatis ſtatutum: cùm rationes, quibus Sanctiſsimus Pater noſter Franciſcus potuit moveri ad prohibendum nobis fieri patrinos Baptiſmi, nõ currant in Confirmatione. Rationes verò huius prohibitionis apud expoſitores noſtræ regulæ ſunt duæ tantùm. Prima, & fortaſſe quæ vnicè movit Seraphicum Parentem, fuit; quod tunc temporis ſaltèm in aliquibus provintijs Chriſtianiſmi compater fœminam compatrinam in ſignum benevolentiæ, & mutui officij ab ipſis tunc executi oſculabatur. Iudicavit ergo Sanctiſsimus Pater, hoc dedecere religioſos; (propter quam indecentiam etiã ius omnibus religioſis *in cap. illo Monachi, & cap. Non licet* interdixerat idem) poſſeque inde ſcãdalum inter fratres excitari: vt ipſe expreſsit. Atque ideò ſub expreſſo præcepto hoc ſuis religioſis prohibuit. Secunda ratio, qua potuit moveri Seraphicus Pater noſter, fuit, quod patrinus conſtituitur quaſi debitor curandi de ſalute ſpirituali illius, cuius eſt patrinus; & inſtruẽdi eum in rebus ad fidem pertinentibus: quod religioſus commodè exequi non poteſt; cùm non ſit Dominus ſui ad conſiſtendum in vno loco ſimul cum illo, cuius eſt patrinus: poſſetque inter fratres oriri ſcandalum ex communicatione ad hoc neceſſaria, quando fieret patrinus alicuius fœminæ. Priorem rationem aſsignant communitèr expoſitores. Secundam addidit noſter Emanuel Rodriguez: quæ non diſplicet noſtro Navarro, & aliquibus alijs recentioribus. ¶ Igitur cùm neutra ex his rationibus habeat locum in Confirmatione: (Non enim intervenit oſculatio matrinæ: vt de ſe patet. Nec patrinus tenetur inſtruere confirmatum in rebus fidei: vt docent *Coninch, Laiman, Henriquez, & G.Hurtado, quos citat, & ſequitur Diana* 3. *p. tract.* 4. *Reſol.* 21. quidquid dicat Silvius *in* 3. *p. q.* 72. *art.*10.) non videtur nobis Minoritis in regula prohiberi fieri compatres virorum, aut mulierum in Sacramento Confirmationis.

51 Dicunt etiam non pauci, quòd Patrinus Confirmationis debet eſſe alius ab illo, qui fuit patrinus Baptiſmi: tamen mihi placet G Hurt. *diſſ* 14. aſſerens, poſſe eſſe patrinum Confirmationis eum, qui fuit patrinus Baptiſmi.

DVB.

Dvbivm XXIII.

52 Petes 23. an, ſi non Confirmatus teneat alterum, ſeu ſit patrinus in Confirmatione, contrahat cognationem ſpiritualem cum illo? Reſpondetur negativè. Quia non baptizatus, ſi fiat patrinus baptizandi, non cōtrahit cognationem cum baptizato: ergo à ſimili non Confirmatus non contrahit aliquã cognationem cum Confirmato. Patet conſequentia ex eo, quòd in iure de Baptiſmo, atque de Confirmatione quoàd hoc eadem eſt diſpoſitio: ſic enim habetur *in cap. In Baptiſmate de Conſecratione diſt. 4. In baptiſmate, vel in chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filium ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.* Ita *Coninch, Suar. Nugnus, & Victoria, quos citat, & ſequitur Diana num 50. citatus.* Qui addit, etiam eſſe probabile, tunc non peccare mortaliter patrinum: quamvis oppoſitum doceant *Suarez, Nugnus, Hurtadus, & Silvius.* ¶ Sed in prædicto caſu cõtrahi cognationem ſpiritualem docent *Silvius, Sotus, & Silveſter citati à Diana ibi:* (Legatur etiam ipſe Diana *ibi Reſolut.* 26. vbi pro vtraque ſententia plures adducit AA. perſiſtens in noſtra.) & obijciunt: ideò in Baptiſmo non contrahitur cognatio ſpiritualis inter patrinum non baptizatum, & ipſum baptizatum; quia patrinus non eſt intra Eccleſiam, cuius ianua eſt baptiſmus: ſed non Confirmatus eſt intra Eccleſiam: ergo contrahit cognationem ſpiritualem ab ipſa Eccleſia inſtitutam. Reſpond. negando conſequentiam: quia maior eſt quidem vera in ſenſu abſoluto; non tamen in excluſivo. Itaque, etſi ſufficiat ad non contrahendum cognationẽ ſpiritualem in Baptiſmo, aut Cõfirmatione, quòd patrinus non fuerit ingreſſus in Eccleſiam per Baptiſmum: eſt tamẽ & alia cauſa, nempè non eſſe in illo gradu, in quo eſt ille, qui recipit Confirmationem. Sicut enim impedimentum cognationis carnalis ſolùm poſuit Eccleſia inter illos, qui ſunt eiuſdem propaginis: ita impedimentum cognationis ſpiritualis poſuit inter illos tantùm, qui in eodem gradu conveniunt. Quare cùm patrinus non Confirmatus non ſit in gradu, in quo ille, cuius eſt patrinus, conſtituitur; fit, vt cognatio ſpiritualis inter ipſos non conſurgat.

De miniſtro Confirmationis.

Dvbivm XXIV.

53 Petes 24. quid de miniſtro Confirmationis ſit certum? Reſpondetur, hoc conſtare ex Trident. *ſeſ. 7. can. 3. de Confirmatione* ſic loquente: *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolùm Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem* Sa-

Sacerdotem, *anathema ſit*. Idem ſtatutum fuerat à Melchiade, & Euſebio Pontificibus, atque à Florentino: vt communiter dicunt AA. & conſtat ex margine ipſius Tridentini. Vnde duo apertè habentur. Primum eſt, contra Vvicleph, & hæreticos recentiores, ſimplicem Sacerdotem non eſſe miniſtrum ordinarium Confirmationis. Secundum eſt, Epiſcopum eſſe ordinarium huius Sacramenti miniſtrum.

Dubium XXV.

54 Petes 25. an ſimplex Sacerdos poſsit eſſe miniſter Confirmationis ex delegatione Papæ? Reſpôdetur affirmativè. Quia D. Gregorius de facto id commiſit quibuſdam Presbyteris Sardiniæ: vt notant Scotus, & communiter AA. conſtatque *ex eius lib. 3. epiſt. 26.* Ita Scotus *diſt. 7. q. 1. verſ. Si tertiò obijcitur, & verſ. Ad tertium. D. Th. Suarez, Ægidius, Reginaldus, & Laimam, quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurt.* addens, quod in hoc conveniunt communiter DD. contra Durandum & paucos alios. Et merito ſic loquitur Hurtado; quia Florentinum in decretis Eugenij IIII ad Armenos apertè docet eiuſmodi poteſtatem aliquando à Pontifice ſimplicibus Sacerdotibus fuiſſe commiſſam.

55 Sed pro oppoſita ſententia citantur *Durandus diſtinct. 7. quæſtione 3. & 4. Adrianus, noſtri Caſtro, D. Bonavent. & Scotus. & in illam inclinat Petrus de Soto, illique favent Caietanus, & aliqui alij, teſte Suarez diſput. 36. ſect. 2.* Sed, quidquid ſit de alijs, Scotus & D. Bonaventura malè citantur; vt advertit Fabro *diſp. 27. num. 21. & 22.* Igitur pro iſta ſententia obijcitur: poteſtas Cõfirmandi, vel eſt poteſtas iuriſdictionis; vel eſt poteſtas ordinis Sacerdotalis? Non eſt iuriſdictionis: alias poſſet illam Pontifex cõmittere etiam laico: (ſicut committit poteſtatem excommunicandi, & abſolvendi a cenſura) quod eſt falſum, & in Eccleſia inauditum: Inſuper nõ eſt poteſtas ordinis: aliàs poſſet ſimplex Sacerdos validè, licèt peccaminosè, confirmare ſine tali delegatione; ſicut poteſt Sacerdos validè, licet peccaminosè, conſecrare, quãdo ab Eccleſia impeditur: ergo Confirmatio eſt actus ſupponens neceſſariò, miniſtrum eſſe Epiſcopum: & conſequenter nequit committi ſimplici Sacerdoti poteſtas Confirmandi. Reſpõdetur, eſſe poteſtatẽ iuriſdictionis præreq irentem in illo, cui à Pontifice committitur, poteſtatem ordinis Sacerdotalis. Sicut poteſtas abſolvendi à peccatis: quæ ideo ſolùm Sacerdoti poteſt delegari. Et ſic inſtituiſſe Chriſtũ Dominum conſtat ex vſu Eccleſiæ; quæ aliquando Sacerdoti ſimplici commiſit poteſtatem Confirmandi; numquam tamen id commiſit non Sacerdoti.

¶ Et

¶ Et hoc tantùm intendit Scotus ſib (vt advertit Fabro *diſput.* 27. *num.* 32.) cùm probabilem iudicat ſententiam illorum, qui dicunt, Papam per talem delegationem Præsbyteros illos feciſſe Epiſcopos, ad exercendum tantùm illum actum Confirmandi. Intendit (inquam) Scotus, Papam per poteſtatem illam delegatam Presbyteros illos conſtituiſſe in gradu Epiſcopali, non abſolutè; (hoc enim petebat præſentiam, ſeu compare e coram Papa, aut coram illo, a quo Epiſcopus conſecrabatur) ſed quantum ad illum actum habendi poteſtatem Confirmandi.

Dvbivm XXVI.

55 Petes vigeſimoſextò, an etiam Epiſcopus poſsit committere hanc poteſtatē Cōfirmandi ſimplici Sacerdoti? Reſpondetur negativè. Quia ex vſu Eccleſiæ hoc videtur eſſe prohibitum ſaltèm implicitè a Summo Pontifice. ¶ Dices: ergo, ceſſante prohibitione, poterit. Reſpondetur concedendo: quia eſt miniſter ordinarius, ſeu habens poteſtatem, aut iuriſdictionem ordinariam: & conſequenter, ceſſante prohibitione, poterit illam committere.

56 Ex dictis infero, quòd, quādo Confirmatio dicitur nobilior Baptiſmo, eſt intelligendum ratione miniſtri: (vt advertit Scotus *q. 3.*) eius enim miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. Vel quia gratia Confirmationis eſt completiva gratiæ baptiſmalis, vt alij dicunt.

57 Pro praxi demùm de miniſtro Confirmationis notat Antonius *verbo Confirmatio num.* 11. cum Diana in diverſis locis, non peccare Epiſcopum Confirmando in ſua diœceſi ſubditum alterius. Nec peccat mortaliter Confirmando extra Eccleſiam. Poſſe que Confirmare poſt prandium.

De ritu, ſeu cœremonijs Confirmationis.

Dvbivm XXVII.

58 Petes vigeſimoſeptimò, quot, & quales ſint cœremoniæ in Confirmatione adhiberi ſolitæ? Reſpondeo ſex eſſe præcipuas. Inprimis enim ante adminiſtrationē Confirmationis conficitur chriſma ab Epiſcopo mixtione olei, & balſami, & eorum benedictionibus: & ſupra chriſma iam factum aliquoties halat Epiſcopus: & iam omnino conſecratū ſalutatur ab Epiſcopo, & Preſbyteris his verbis: *Ave Sanctum chriſma.* ¶ Secundò adhibetur patrinus, qui Confirmandum teneat, & eum militiæ ſpirituali inſcribēdū, quaſi præſentet Epiſcopo qui eſt Dux eiuſdē militiæ, & cui cōpetit ex officio milites recipere in talē militiā. Ponitur autē in cō[firm]atione ſuſceptor, ſeu patrinꝰ, vt hoc Sacramentum ſolemniùs cōferatur, necnō & vt ſignetur Cōfirmandi imbecillitas

&

& imperfectio in ſpiritualibus:cũ indigeat magiſterio alterius.

¶ Ad hoc autem miniſterium ſolùm poteſt admitti vnus, vel vna: vt patet ex *cap. Non plures de Conſecrat. diſt. 4. & ex cap. finali de cognatione ſpirituali in 6.* Et nõ poteſt eſſe niſi, qui eſt Confirmatus; vt deducitur ex *cap. In baptiſmate de Conſecratione diſt. 4.* Poteſtque eſſe idemet, qui fuit patrinus Baptiſmi: vt cum Hurtado notabamus *num.* 51. contra alios.

59 Tertiò Epiſcopus confert pacem iam Confirmato in ſignũ acceptæ gratiæ Spiritus Sancti: cuius effectus eſt pax. ¶ Quartò Confirmato alapam infligit, vt advertat, ipſum in poſterum forti animo quamcumque ignominiam prò Chriſto Domino toleraturum. ¶ Quintò caput Cõfirmati vitta linea ligatur, ne chriſma defluat, quæ tandiùferenda eſt, quandiù cõſuetudo obtinuerit, niſi ex rationabili cauſa citiùs ex conſenſu Epiſcopi tollatur.

¶ Sexta demùm eſt, quòd vnctio cùm chriſmate fiat in fronte, & in forma crucis: de quo diximus *à n* 28.

60 Quanta autem veneratio his ritibus, omnibuſque alijs cœremonijs, in adminiſtratione Cõfirmationis adhiberi ſolitis, ſit habenda, ſatis conſtat ex Trident. *ſeſ. 7. can.* 13. *de Sacramentis in genere* ſic loquente: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi cõſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti; aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari, poſſe, anathema ſit.* ¶ Conſtat etiã, cuiuſcumq; prædictarum cœremoniarum omiſſionem ex cõtemptu eſſe peccatum mortale: cùm in contemptu illius cęremoniæ virtualiter contineatur contemptus Eccleſiæ inſtituentis. Ceſſante verò contemptu omiſſio aliquarum non reputatur peccatũ, ſaltèm mortale: vt communiter dicunt AA. multique exemplificant in cęremonia illa infligendi alapã Confirmato ¶ Denique notãt, poſſe Confirmationem adminiſtrari in loco generaliter interdicto: vt patet *ex cap. Reſponſo de ſententia excommunicationis.* Et hæc de Sacramento Confirmationis dixiſſe ſufficiat.

LAVS DEO

TRA-

TRACTATVS
DE SACRAMENTO
ORDINIS IVXTA SCOTI DOCTRINAM.

PROOEMIVM.

AGVNT de Sacramēto Ordinis Scholaſtici; Diſtinctioniſtæ cum Magiſtro ſententiarum *in 4. diſtinctione 24. & 25.* Vbi *Scotus, & Scotiſtæ. Thomiſtæ verò in additionibus ad 3. partem à quæſtione 34. vſque ad 40. incluſivè. Ægidius de Coninch diſputatione 20. Gaſp. Hurtado tractatu de Sacramento Ordinis, & noſter Villalobos 1. p. tractatu 11.* Quæ autem magis germana ſint doctrinæ Scoti, vnico capite in dubia diviſo comprehendemus.

(.·.)

CAP. VNIC.

De omnibus, & ſingulis, quæ ad Sacramentum Ordinis qualitercumque poſſunt ſpectare.

DE ſpectantibus ad eſſentiam, & numerum Ordinum: necnon & de aliquibus comparationibus illorum inter ſe ſe.

DVBIVM I.

1 QVid ſit Ordo Eccleſiaſticus? Et qui dicantur habere Ordinem, ſeu eſſe ordinati in Eccleſia Dei? Reſpondetur ad primum, quòd Ordo ſumitur in

in præſenti tractatu pro quodam gradu dignitatis, quem habent illæ perſonæ, quæ in republica Chriſtiana ſunt deſtinatæ ad conſecrandum corpus Chriſti Domini, vel ad inſerviendum talibus perſonis, dum exercent actum conſecrandi. Vnde etiam patet ad ſecundum, nempè quod in Eccleſia dicuntur eſſe ordinati, ſeu habere Ordinem perſonæ illæ, quæ participant prædictum gradum dignitatis. Probatio autem vtriuſque eſt communis acceptio loquentium de Ordine, & de perſonis ordinatis.

2 Pro plena autem huius intelligentia eſt advertēdum, quòd Ordo communiſsimè ſumptus accipitur pro gradu, quem quælibet res habet in ſuo genere. In quocumque enim rerum genere ſunt res, quæ alias excedunt, & ab alijs exceduntur in perfectione. Hùc ſpectat illud *ad Roman. 13. quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt*: atque hoc modo accipimus Ordinem, quando frequenter dicimus: *entium in vniverſo eſſe Ordinem*; hoc eſt, quamcumque rem creatam participare ſuum gradum perfectionis. Itèm hoc modo accipimus Ordinem, quando dictitamus; in politia, ſeu republica benè Ordinata ſervari Ordinem; nempè eſſe gradus ſuperioris, & inferioris dignitatis pro perſonis illius, ſeu iuxta exigentiam perſonarum prædictæ reipublicæ.

¶ Hinc fit, quàmcumque perſonam reipublicæ Ordinatæ participare ſuum ſpecialem gradum. (qui eſt quaſi portio congruæ diſpoſitionis, ſeu gubernationis illius reipublicæ) Quod, licèt verum ſit; tamen perſona in gradu præeminenti conſtituta dicitur (per anthonomaſiam: vt notat Scotus *diſtinctione 24. §. Circa quæſtionem verſ. Intelligendum*) habere gradum ſeu Ordinem. Quæ enim ſunt in gradu communi inferiori, ſeu infimo, non dicuntur habere gradum, ſeu Ordinem.

3 Quæ omnia applicanda ſunt Eccleſiæ Dei: etenim, cùm ſit reſpublica, ſeu politia congruè Ordinata, in ea non ſolùm reperitur Ordo inter perſonas, quibus conſtat; ſed etiam quævis perſona illius gaudet ſuo ſpeciali gradu. Tamen, quamvis hoc ita ſit; ſola, vel ſolæ perſonæ in præeminenti gradu conſtitutæ dicuntur (per anthonomaſiam quidem) habere gradum, ſeu Ordinem. Et cum aliàs ſtatus Sacerdotalis ſit præeminens (immò eminentiſsimus) gradus politiæ, ſeu reipublicæ Chriſtianæ, Sacerdotes, necnon & qui ipſis inſerviunt in aliquo ſui Sacerdotij miniſterio, dicuntur (antonomaſticè) Ordinati, ſeu habere Ordinem. Omnes autem prædictos (nempè tàm Sacerdotes, quàm ipſis in ſuo officio Sacerdotali inſervientes) Clericos appellamus.

4 Vn-

4 Vnde radicitùs conſtat, Ordinem in præſenti ſumi pro gradu præeminenti politiæ, ſeu reipublicæ Chriſtianæ. Quem ſic definit Scotus *in 4. diſtinctione 24. §. Circa quæſtionem* (vbi omnia ferè dicta ad vnguem tradit) *verſ. Vlterius: Ordo eſt gradus eminens in Eccleſia diſponens de congruo, vel ſimpliciter ad aliquem actum Eccleſiaſticum exequendum.* Per particulas illas *diſponens de congruo, vel ſimpliciter* denotatur, quòd Ordo aliquando confertur ad exequendum licitè, aut congruenter tantùm aliquem actum: vt patet in Ordine Diaconatus, & Subdiaconatus: (idem eſt de Ordinibus minoribus.): etſi enim aliquid poſsint facere Diaconus, & Subdiaconus congruenter, aut licitè, (nempè inſervire Sacerdoti in ſuis miniſterijs) quod non faceret congruè laicus: tamen, ſi laicus attentaret illud facere, ſimpliciter faceret. Aliquando autem Ordo confertur ad ſimpliciter exequendum aliquem actum Eccleſiaſticum: vt patet in Ordine Sacerdotali; per quem Sacerdos ſimpliciter poteſt conſecrare; non autem laicus. Quare iſte nihil faceret, ſi conſecrare attentaret.

DVBIVM II.

5 PEtes ſecundò, quid ſit ordinatio? (hoc eſt actio, per quã aliquis aſſumitur ad prædictum gradum) Reſpondet Scotus *diſtinct. 24. §. De tertio articulo verſ. Quid ergo, quod eſt inſtitutio alicuius in gradu Eccleſiæ præminente; cui convenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum; facta à miniſtro idoneo certa verba proferente, & ſimul cum intentione debita miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentans, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam præeminẽtem, qua ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur.*

¶ Quibꝰ verbis exactè definitur Ordo, ſeu Ordinationis Sacramẽtũ tam pro materiali, quàm pro formali, ſeu (vt alij loquũtur: & in idem coincidit) tàm phyſicè, quam metaphyſicè. Phyſicè (inquam) vſque ad illa verba incluſivè *ſigno viſibili repræſentans*: quãdoquidem omnia illa ſunt ponẽda, vt teneat Sacramẽtum illud. His autẽ verbis metaphyſicè definitur: *inſtitutio alicuius, &c. ſigno viſibili repræſentans* (id eſt, *ſignũ ſenſibile*) *ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam præminentem, qua ordinatus miniſterium aliquod exequatur.*

6 Vnde conſtat, quòd ly *inſtitutio* ponitur pro genere, quando phyſicè definitur hoc Sacramentum; reliqua verò pro differentia. Quando autem metaphyſicè defi-

·definitur, tota definitio phyſica ponitur pro genere: etenim omnib⁹ illius verbis ſignificatur ſignū illud ſenſibile, ſuper quod fundatur relatio ad ſpecialē gratiā collatam virtute huius Sacramenti. ¶ Nec eſt ſpeciale huius Sacramenti, quòd in eius definitione ſubiectum, ſeu fundamentum relationis ſigni ponatur pro genere. Idem enim reperitur in definitione baptiſmi, & cuiuſcumque alterius Sacramenti, quando metaphyſicè definitur. Immò & in hac definitioni albi: *eſt corpus diſgregativum viſus*. Eſtque recepta doctrina, poſſe in definitione cōcreti accidentalis poni ſubiectum loco generis. Recolantur dicta *in tract. de Sacram. in genere cap. 1. à num. 2. Itèm in tract. de Baptiſmo cap. 1. à num. 3. Inſupèr in tractatu de Confirmat. à num. 1. atque in tractatu de Extremavnctione à num. 1.*

7 Conſtat etiam ex dictis, nullam particulam redundare in prędicta definitione: etenim quacumque ſublata non exprimitur definitum: vt diſcurrenti per ſingulas patebit. Quare Vazquez *tom. 3. ſuper 3. part. diſput. 235. num. 29.* immeritò definitionem iſtam Scoti vocat prolixam valdè: quia debebat Vazquez aſſignare aliquam particulam redundantem. Immeritò itèm illam vocat vitioſam: eo quòd in ea ponatur ly *Ordinatus*. Hæc tamen Vazquez obiectio nullius eſt momenti; quia ly *Ordinatus* in præſenti idem valet, ac ly *aliquis*. Quare non definitur idem per ſe ipſum.

8 Inſupèr conſtat ex dictis, quòd propriè, ſeu pręcisè loquēdo de Sacramento, Ordo non eſt Sacramentum: quia omne Sacramentum eſt ſenſibile: & Ordo eſt quidam gradus ſpiritualis; (vt efficaciter arguit Scotus *diſt. 24. §. & verſ. De tertio*) id eſt, character, ſeu poteſtas ſpiritualis diſponens de congruo, vel ſimpliciter ad aliquem actum Eccleſiaſticum exequendum. ¶ Non tamen ob hoc negat Scotus dari Sacramentum Ordinis, ſeu Ordinationis, quod verè, & propriè ſit tale: cùm apertiſsimè eius definitionem tradiderit ibidem. Quare præcitatus Vazquez ſic invehitur in Sotū: (eo quod *diſt. 24. quæſt. 1. art. 1.* propè finem Doctori Subtili impoſuerit, negaſſe Sacramentum Ordinis) *Verum aut Sotus Scotum non legit, aut ipſum malignè interpretatus eſt*: & meritò: etenim eſt longè diverſum, negare, Ordinem (quo nomine ſignificatur effectus Sacramenti Ordinationis, ſcilicèt character, ſeu poteſtas ſpiritualis diſponens ad aliquem actum congruè, vel ſimpliciter exequendum in Hierarchia Eccleſiaſtica) eſſe Sacramentum, ac negare ſextum Eccleſiæ Sacramentum: quod, licèt (vſurpando nomen ſuæ cauſæ) Ordo cōmuniter vocetur; expreſiùs tamen loquēdo debet appellari Ordinatio: quā ibi Scotus

no

nō ſolùm eſſe cum omnibus Catholicis fatetur; ſed etiam apertiſsimè definit.

Dvbivm III.

9 Petes tertiò, quæ ſint apud Catholicos certa de Sacramento Ordinis, ſeu Ordinationis? Reſpōd. in primis eſſe certum, Ordinem, ſeu Ordinationē eſſe vnum ex ſeptem Sacramentis legis gratiæ à Chriſto D. inſtitutū. Sic fert cōſenſus Eccleſiæ, & definitur ab Eugenio IIII. *in decreto fidei in Concilio Florentino poſt ſeſsionem vltimam §. Sextum Sacramentum, vbi inter Sacramēta Eccleſiæ, quæ continent gratiam, & eam efficiunt, Ordinem enumerat. Idem facit Tridentinū ſeſ. 7. can. 1.* ¶ Secundo eſt certum, hoc Sacramentum conferre gratiā ſanctificantem ipſum dignè recipiētibus. Hoc enim eſt cōmune omnibus Sacramentis legis gratiæ: & definitur à Tridentino *ſeſ. 7. de Sacram. in genere c. 6. 7. & 8.* Inſupèr & confertur gratia Sacramētalis non ponenti illi obicem. ¶ Tertio eſt certum, hoc Sacramētum *imprimere characterē in animā; hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile: vnde ea iterari non poſſunt.* Verba ſunt Tridentini *ibi can. 9.* Quam autem efficaciam habeat illatio illa Concilij (*vnde ea iterari non poſſunt*) dixi *in tract. de Confirmat. num. 47.* ¶ Demùm concedunt omnes Catholici, *præter Sacerdotium eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & maiores, & minores; per quos tamquam per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur*: vt loquitur Tridentinum *ſeſ. 23. can. 2.*

10 Hæc ſunt præcipuè ab Eccleſia in hac materia ſtabilita: quorum infallibili veritate à Catholicis & ſuppoſita, & venerata, iam ad illa, de quibus inter fideles eſt diſsidium, deſcendamus.

Dvbivm IV.

11 Petes quartò, quotuplex ſit Ordo? Reſpondetur, in Eccleſia ſaltèm eſſe ſeptē; nempè Sacerdotium, Diaconatū, Subdiaconatum, acolytatum, exorciſtatum, lectoratum, & oſtiariatum. Hoc enim expreſsè docet Tridentinum *ſeſ. 23. cap. 2. & tradunt multi PP. citati à Recentioribus.* Et ratio eſt, quòd cuiq; horū adaptatur definitio, nempè eſſe gradum eminentem, qui diſponit de congruo, vel ſimpliciter ad actum Sacramentalem in Eccleſia Dei exequendum: vt explicuimus *num. 4.*

Dvbivm V.

12 Petes propria prædictorū Ordinū miniſteria. Reſpondet Scotus *d. 24. §. De tertio verſ. Saltèm* dicens: *In Eccleſia tantùm ſunt ſeptem Ordines: quorum primus eſt gradus diſponens ad conſecrationē Euchariſtiæ: & eſt Sacerdotiū. Secundus gradus eſt diſponēs ad diſpenſationem Euchariſtiæ, ſaltē ſan-*

ſanguinis: & eſt Diaconatus. Tertius eſt diſponens ad oblationem materiæ Euchariſtiæ conſecrandæ: & eſt Subdiaconatus. (& paucis interiectis) *Vlteriùs aliqui alij gradus diſponunt ad actus aliquos remotè ſe habentes ad Euchariſtiam. Vel ergo ad convenientem diſpoſitionem in populo ad orandum, & ſuſcipiendũ; vel removendũ impedimentum, ſeu diſpoſitionẽ diſconvenientem. Priori modo diſpoſitio conveniens pertinens ad effectum eſt devotio: & ad hanc devotionem attendit acolytus illuminando cereos. Alia diſpoſitio eſt pertinens ad intellectum, ſcilicèt cognitio: & ad hanc agit lector. Removere prohibens eſt arcere indignos, ne approximent. Vel ergo indignos homines: & hoc pertinet ad oſtiarij officiũ: vel dæmones: & hoc pertinet ad officium exorciſtæ.* ¶ Dices, quod in Pontificali alij actus tribuuntur his officijs. Reſp. hoc nõ negare Scotum: ſed ſolùm intendit aſsignare perfectiſsimos, & proprios actus ſeptem Ordinũ: (vt ipſe ſtatim declarat) ſunt autẽ perfectiſsimi actus, qui immediatiores ſunt circa Euchariſtiam diſponendam. ¶ Circa miniſteriũ, quod Diacono aſsignat Scotus, notãt communiter præſertim Ægidius *diſp.* 20. *num.* 13. quòd Diaconus miniſtrabat populo (communicanti ſub vtraque ſpecie) calicem cõſecrati ſanguinis. Quod licèt hodie non ſit in vſu; olim tamen fuiſſe patet ex vita Sancti Laurentij, atque ex multis hiſtorijs.

Dubium VI.

13 Petes ſextò, an prima tonſura ſit Ordo? Reſpond. negativè. Quia per illam non deſtinamur ad aliquod ſpeciale officium, ſeu ad actum Eccleſiaſticũ. Ita *Scotus diſt.* 24. §. *Ad argumenta verſ. Ad vltimum, D.Th. Vazq. Ægidius, Reginaldus, & alij, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſſ.* 2. *eſtque communis ſententia.* ¶ Dices, quòd recipiens primam tonſuram gaudet privilegio Clericali: ergo eſt ordo. Reſpondetur negando conſequentiam: *quia laici converſi* (inſtat Scotus *ibi*) *in religione gaudent privilegio clericali.* Immò *& potuit legislator illud privilegium dediſſe Principi, vel alicui ſimpliciter laico. Falſa igitur eſt illa propoſitio, quòd illud privilegium eſt proprium ordinato.* ¶ Dices ſecũdò, quod Sixtus V. in ſuo motu proprio edito anno 1588. contra malè promotos primam tonſuram vocat characterẽ clericalem: ergo eſt Ordo propriè. Patet conſequentia: quia iſte ſolùm imprimit characterem. Reſpond. negando conſequentiam: quia Pontifex ſolùm intendit recipiẽtem primam tonſuram recipere poteſtatem vtendi corona; per quam homo deputatur ad Eccleſiaſticos Ordines recipiendos; & inſignitur exteriùs; ab alijſque diſtinguitur. Et ideo coronã vocat characterem clericalem. ¶ Dices tertiò, quòd prima tõſura aliquãdo

do vocatur Ordo, & qui illam recipiunt, Ordinati. Reſpondetur, ſic dici: quia in ordinem, ſeu ad Eccleſiaſticos Ordines deputantur, ſeu ordinantur: ſicut novitius dicitur monachus; & iuvenis vir: quia ad eius ſtatum tendit. ¶ In qua lata ſignificatione cantores pſalmorum aliquando dicuntur Ordinati.

DVBIVM VII.

14 Petes ſeptimò, an Epiſcopatus, prout à Sacerdotio ſimplici diſtinctus, & ipſi ſuperadditus, ſit Ordo Eccleſiaſticus? (ſupponit hoc dubium, Epiſcopatum eſſe diſtinctum à ſimplici Sacerdotio, ſaltē vt includens ab incluſo: de quo à n. 15. & n. 31.) Reſp. affirmativè. Quia eſt quidā gradus in Eccleſia diſponens ad aliquem actum Eccleſiaſticū, qui non competit Sacerdoti, nempè conferre Ordines, ſaltèm Sacerdotales, conſecrare chriſma, & ſi fortè ſint alij actus proprij Epiſcoporum. In hanc ſententiam inclinat Scotus *diſtinct. 24. §. De ſecundo, vt notat in illius Scholio Hugo Cavellus: vbi citat pro hac ſententia Altiſid. Palud. Durandum, ſupplementum Gabrielis, Navarr. noſtrum Michaelem Medinam, Maiorem, Bellarm. (qui dicit, eſſe ſententiam Patrum) & Vazquez dicentem in hac recentiores conſpirare. Et prædictus Cavellus putat, hanc ſententiam eſſe veriorem. His adde Valentiam, Ægidium, Adamum, & Becanum, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſſ. 3.*

15 Sed *Albertus, Sotus, Ferrara, Henriquez, Reginaldus, & Lonacina citati à prædicto Hurtado* oppoſitū defendunt. & obijciunt, ſequi ex noſtra ſententia, eſſe octo Ordines. Reſpondetur, nullum hoc reputaſſe incommodum nō paucos, aut ignobiles AA. minorū omnes, qui affirmant, Ordines Eccleſiaſticos plures eſſe, quàm ſeptem. Hi ſunt *Maior, Caietanus, Altiſiodorenſis, EKius, Angelus, Sebaſtianus Cæſar, & alij apud Valentiam, & Navarrum, vt notat G. Hurt. diſſ. 2. vbi citat prædictos AA.* Reſpondetur ſecundò negando ſequelam: quia Epiſcopatus eſt quidem Ordo, ſed non totaliter diſtinctus à Sacerdotio, ſed tantùm partialiter: quoniam ex Epiſcopatu, vt ſic, & ex ſimplici Sacerdotio integratur vnum perfectum Sacerdotium potens efficere in Eccleſia aliquem actum, quem Sacerdos efficere non poteſt: vt notabamus *n. præcedenti*: eo modo quo poteſtas abſolvendi à peccatis ſuperaddita poteſtati cōſecrandi complet, & perficit ſimplex Sacerdotiū. Vnde conſtat, Sacerdotiū eſſentialiter ſupponi ad Epiſcopatū: (& ideo non conſtituit diſtinctum Ordinē ab illo. Sicuti Virginitas nō cōſtituit diſtinctam virtutem à caſtitate, quam intrinſecè includit, ſeu ſupponit) Epiſcopus enim eſt Sacerdos perfectus, fœcundus, & potens alios Sacerdotes creare.

Et ideò Epiſcopus cõparatur cum ſimplici Sacerdote; ſicut vir perfectus potens generare cum iuvene nondum potente. ¶ Obijc. ſecundo, Epiſcopatus eſt Ordo? ergo in Epiſcopatione, ſeu in Ordinatione Epiſcopi imprimitur character. Reſp. ita eſſe. Ad rem tamen omittendum eſt: modò enim non diſputamus, an Epiſcopatio ſit Sacramentum?

Dubium VIII.

16 Petes octavò, an Epiſcopatus ſuper ſimplex Sacerdotium aliquid addat? Reſp. affirmativè. Quia Epiſcopus Ordinat Sacerdotes; (quod non poteſt facere ſimplex Sacerdos, adhuc ex commiſsione Papæ) ergo Epiſcopatus aliquid addit ſupra ſimplex Sacerdotium. Ita omnes Catholici: & definitur à Tridentino *ſeſ. 23. can. 7.* dicente: *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores; vel non habere poteſtatem Confirmandi, Ordinandi, &c.* ¶ Vnde refelluntur hæretici aliqui, qui pro viribus contẽdunt, Epiſcopatum ſupra ſimplex Sacerdotium nihil addere, adhuc ex humano iure, ſeu (vt obſervat Vazquez *ſuper 3. p. diſp. 240. num. 9. contra noſtrum Medinam*) iniuſtè ab Eccleſia poſitum fuiſſe diſcrimen inter ſimplex Sacerdotiũ, & Epiſcopatum.

Dubium IX.

17 Petes nonò, an Epiſcopatus iure divino ſit diſtinctus à ſimplici Sacerdotio? Reſpondetur affirmativè. Quia aliás poſſet per delegationem à Papa committi Præsbytero Ordinare Sacerdotes. Secundò, quia Ordo Epiſcopalis, ſecũdùm quod addit ſupra Præsbyteratum, eſt Sacramentum: (vt dicam à num. 30.) ergo à Chriſto D. inſtitutum: ergo iure divino eſt ſuperior, & diſtinctus. Ita communiter AA. quos paſsim citant Recentiores contra aliquos Catholicos, (citatos à Vazq. *diſp. 240. n. 12.*) qui ſolum diſcrimen Eccleſiaſticum ibi intereſſe putarunt.

18 Sed contra hoc expreſsè videtur militare D. Hieronymũ *epiſt. ad Ruſticum.* (cuius verba referunt communiter, præſertim Scotus *d. 7. quæſt. 1. verſ. Aly, & Vazq. nuper citatus*) Reſpond. negando, noſtram concluſionẽ eſſe contra D. Hieronymũ. ¶ Tamẽ pro D. Hieronymi, & aliorũ PP. ſolutione nota, quòd olim nomẽ *Epiſcopus* (id eſt, obſervator, vel ſpeculator) & nomẽ Præsbyter (hoc eſt, antiquior ætate, & ſenior) ita permiſcuè vſurpabantur, vt Preſbiteri dicerentur Epiſcopi; & è contra: vt ex Vazquez obſervat Hurtado *diffic. 4.* Hinc fit, Divum Hieronymum videri cõfundere res, ſeu officia Epiſcoporum, & Præsbyterorũ. Tamen re vera non confundit; cùm ſtatim

tim ſublat: *Quid facit, excepta Ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Si enim ex mente Hieronymi Epiſcopus poteſt Ordinare, quod non poteſt Presbyter; & hoc olim; hoc eſt, à prima ſua inſtitutione; plane conſtat, ipſum cognoviſſe diſtinctionem à iure divino poſitam inter Epiſcopatum, & Presbyteratũ: quãvis tunc nomina eſſent ſynonyma: vt notat Scotus *ibi verſ. Reſpondeo.*

19 Dices, quòd Scotus ibi putat probabilẽ reſponſionẽ alteram cuidam auctoritati D. Gregorij, in qua dicitur commiſiſſe poteſtatem confirmandi ſimplicibus Sacerdotibus, id eſt, non Epiſcopis. (Reſpondi ergo, quod erat, quod, cum olim idem eſſet in Eccleſia Præsbyter, & Epiſcopus, eadem erat vtriuſq; poteſtas: & conſequenter, quod, ſicut poterat confirmare Epiſcopus, poterat & ſimplex Sacerdos: & cùm exercitiũ cõfirmationis eſſet iam ab Eccleſia interdictũ ſimplici Sacerdoti; potuit D. Gregorius hanc prohibitionẽ tollere reſpectu illorum Præsbyterorum, quibus cõmiſit poteſtatẽ confirmandi.) Sed reſponſio illa nititur auctoritate D. Hieronymi: ergo Hieronymus ex mẽte Scoti putavit, olim munera Epiſcopi, & Sacerdotis eſſe omnino eadẽ. Reſp. negando conſequẽtiã: etenim Scotus ibi à duobus abſtinet. Primo à diſputatione iſta, an Epiſcopatus iure divino ſit diſtinctus a Præsbyteratu?

Secundò ab illa quæſtione, quid de hoc ſentiat D. Hieronymus? Quãvis enim adduxerit eius auctoritate; circa mentem illius nõ ſe determinat; ſed concludit, quod ſolutio illa eſt probabilis, ſcilicèt, ſuppoſito, quod Epiſcopatus nihil addat ſuper Præsbyteratum (vt notat Lychetus *ibi eumdem commen. 27.*) quod affirmare videtur D. Hieronymus.

20 Quod ſi adhuc no quieſcas circa mentem D. Hieronymi, placebit forſan Hugo Cavellus *d. 7. q. 1. n. 2. ſcholio* ſic loquutus: *Sed piè interpretari poteſt Hieronymus, quòd non neget poteſtatem Ordinis Epiſcopo iure divino ſupra Sacerdotem, immo eam aſſerit: ait tamẽ iure tantũ Eccleſiæ eum ſuperponi Præſbytero. Quod ſatis probabile eſt, tenendo, Epiſcopos non habere iuriſdictionem immediatè à Deo; ſed ab Eccleſia:* quod *ait D. Th. Turrecremata, Bellarm. & Suar.* (Huculq; Cavellus) De quo agemus (Deo dante) in tractatu de Pœnitentiæ Sacramento.

Dvbivm X.

20 PEtes 10. qui Ordines ſint maiores? Reſp. Præsbyteratum, Diaconatũ, & Subdiaconatũ eſſe Ordines maiores. (Sic dicuntur cõparativè ad reliquos quatuor Ordines; qui minores etiã cõparativè ad tres prædictos nuncupantur.) Quia cùm immediatè exerceant aliquod miniſterium circa Euchariſtiam, vel eius

materiam exhibendam; maiori fulgent dignitate; digniq; ſunt maiori reverentia, quã alij quatuor: qui remotè tantum (vt dicebat Scotus verbis *num.* 12. tranſcriptis) Euchariſtiæ inſerviunt.

¶ Prædicti tres Ordines maiores etiam dicuntur ſacri. Quia habent adiunctum votum continentiæ.

De ſpectantibus ad Ordinem inquantum eſt Sacramentum novæ legis.

DVBIVM XI.

21 PEtes 11. an Ordo ſit Sacramentum novæ legis? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic definitur ab Eugenio IIII. & Tridẽtino: vt diximus *n.* 9. Quod ſaltèm de Ordine Sacerdotali eſt intelligendum.

DVBIVM XII.

22 PEtes 12. an aliquis alius Ordo (ſeu potius Ordinatio, iuxta dicta *num.* 8.) præter Sacerdotium, ſit verum Sacramentum? Reſpondetur affirmativè. Quia definitio Ordinis *num.* 5. allata (per quam Ordo, inquãtum Sacramentum definitur) competit omnibus, & ſingulis ſeptem Ordinibus *num.* 11. enumeratis. Quare hæc noſtra concluſio ita omninò accipienda eſt, vt nullum Ordinem ab illa excludamus. Igitur abſolutè dicimus, quòd vniverſi ſeptem Ordinationes ſunt verè, & propriè Sacramẽta. Quia omnibus, & ſingulis convenit, *eſſe ſignum viſibile ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiã præeminentem, qua quis dignè, vel ſimpliciter aliquod miniſterium Eccleſiaſticum exequitur, circa corpus Chriſti Domini, ſeu circa Euchariſtiam.* Confirmatur ex Tridentino *ſeſ.* 23. *cap.* 2. & 3. & *can.* 3. Cùm enim cap. 2. enumeraſſet omnes ſeptem Ordines; poſteà *cap.* 3. *can.* 3. abſolutè, & abſque vlla limitatione Ordinationem appellat ſacram, & definit eſſe Sacramentum. Confirmatur ſecũdo ex eo, quod omnes prædicti ſeptem Ordines extant ab initio Eccleſiæ: ergo credibile eſt, a Chriſto Domino fuiſſe inſtitutos in Sacramenta. Antecedens apertè videtur tradere Tridentinum: cùm *ſeſ.* 23. *cap.* 2. id aſſtruat de Subdiaconatu, & quatuor Ordinibus minoribus; de quibus aliquis poſſet dubitare. Hanc noſtram concluſionẽ abſq. dubio tradit Scotus: cùm enim *d.* 24. §. *De tertio verſ. Saltem* dixiſſet, *in Eccleſia eſſe ſeptem Ordinationes*, &c. poſteà §. *Sed tunc* ſtatuit quaſi ex dictis, Ordinem eſſe vnum Sacramentum vnitate generica comprehẽdente ſub ſe multa: ſentit ergo omnes ſeptem Ordinationes, quas enumeraverat, comprehendi ſub nomine Sacramenti. *Eamdem ſententiam tenent noſtri D. Bonavent. & Ricardus; item D. Thom. Valentia, Ægidius, Covarr.*

&c.

& alij, quos citat, & ſequitur G. Hu t. diſ. 5.

23 Vnde conſtat, immeritò dixiſſe *Durandum, Magiſtrum, Caiet. & Gratianum (quos communiter citant RR.)* ordinationes Diaconi, & Subdiaconi (& a fortiori idem dicunt de Ordinibus minoribus) non eſſe Sacramentum: & objiciunt. Sacramentum Baptiſmi confertur, vt quis fiat habilis ad recipiendum alia Sacramenta: ergo a ſimili Sacramentum Ordinis confertur, ſeu recipitur, vt quis fiat habilis ad conficiendum Sacramentum. Sed ſola Ordinatio Sacerdotis reddit hominem habilem, ſeu potentem conficere Sacramentum: ergo ipſa ſola eſt Sacramentum Ordinis. Reſpond. negando primam conſequentiā: ſolum enim Sacerdotiū, & Epiſcopatus dantur ad habilitandum hominem, ſeu vt reddatur potens conficere Sacramentum: alij autem Ordines dantur, vt conſtituant Ordinatum in ſpeciali gradu diſponente, vt congrue poſſit Sacramento Euchariſtiæ inſervire: vt cum Scoto notabamus n. 4.

24 Objicies ſecundo, omnes ſeptem Ordines ſunt Sacramenta? ergo in ordinatione Diaconi, & Subdiaconi imprimitur character. Reſpondetur, ita eſſe. Vt enim ait Scotus *diſtinct. 24 quæſt. 1. §. Ad argumenta verſ Ad ſecundum. conce lo plures eſſe characteres; & probabilius, quòd alterius ſpeciei: vt apparet ex actibus, ad quos iſti gradus diſponunt.*

¶ Contra: character eſt potentias faciendi aliquid, quod ſine charactere nequit ſimpliciter, aut validè fieri. Sed laicus poteſt validè (etſi illicitè) facere, quod Diaconus, & Subdiaconus faciunt circa Euchariſtiam: ergo in illorum Ordinatione non imprimitur character. Reſpondetur negando maiorem: quia character Ordinis eſt diſpoſitio, vt quis congruè, vel ſimpliciter exerceat in miniſterium Eccleſiaſticum circa Euchariſtiam: vt cum Scoto notabamus *num. 4.* ¶ Adde aſſignando characterem conferri ad aliquod aptius (etiam intra limites licitè) exequendum: vt patet in confeſsione fieri; quæ licitè fit coram tyranno a non confirmato; (vt benè notant Ægidius *diſp. 20. n 51. & G. Hurtado diſſ 8.*) licèt character confirmationis ad hanc confeſsionem faciendam imprimatur. Patet etiā in Ordinibus minoribus: quia licitè hac tempeſtate morè laicus licitè exercet omnia illa ad quæ hoſtiarius, & acolytus ordinantur.

25 Objicies 3. omnes ſeptem Ordines ſunt Sacramenta? ergo ſunt plura, quam ſeptem Sacramenta; immò tredecim, nempè ſeptē Sacramenta Ordinis; & ſex alia. Reſpondetur negando ſequelam: omnes enim Ordines tam maiores, quam minores, immò & Epiſcopatus (qui etiam eſt Sacramentū Ordinis) comprehenduntur ſub hoc nomine communi *Sacramentum Ordinis*; quod

cùm ſit vnum ;(vnitate quidem generica, ſeu ſpeciei ſubalternæ; non autem ſpeciei infimæ, ſeu athomæ) cum reliquis alijs ſex Sacramentis complet numerum ſeptenarium. Ita Scotus *diſtinct.* 24. §. *Ad argumenta verſ. Ad primum.* Quod confirmat *ibi* §. *& verſic. Sed tunc* inſtantia virtutum moralium ; (quas cardinales vocant) ſicut enim virtutes morales dicuntur eſſe tres ſecundùm genus, nempè iuſtitia, fortitudo, & temperantia ; quamvis quælibet illarum vlteriùs dividatur ita Sacramentum Ordinis (& fortè Euchariſtia) dicitur vnum vnitate generica, ſeu ſpeciei ſubalternæ; licet poſteà dividatur in alias ſpecies. Quam ſolutionem ſequuntur Ægidius, & Hurtado *num* 24. *citati*, ſuppreſſo tamen Scoti nomine, a quo fuit deſumpta, & tribuendo illam Soto, Vazquez, & alijs, qui longa poſt Scoti tempora ſcripſerunt. Quod conſultò expendo, non quia rarum: paſſim enim ſimile reperitur: ſed vt ſciatur, Scoti doctrinas maxime in Scholis, & circumferri, & venerari ; licet Authoris nomen a multis voluntariè ignoretur ; immo & ab aliquibus male audiatur.

26 Obijcitur quartò, Anacletus *epiſt.* 13. *cap.* 1. dicens : *amplius quàm iſti duo Ordines Sacerdotum* (enumeraverat Ordines Epiſcoporum, & Sacerdotum) *neque nobis à Deo collati ſunt ; neque Apoſtoli docuerunt* : ergo nullus alius Ordo eſt Sacramentum. Reſpond. negando conſequentiam : apertè enim loquitur de Ordine Sacerdotali : quem tantùm eſſe duplicem (nempe Epiſcopatum, & Sacerdotium) libentèr fatemur. Itaque loquitur de Ordinibus primis, ſeu nobilioribus Eccleſiæ. Sicut Damaſcen. *epiſt.* 4. dicens: *Ordines ſunt tantùm duo in Eccleſia, id eſt, Apoſtolorum* (quibus ſucceſſerunt Epiſcopi) *& ſeptuaginta diſcipulorum*: quibus ſucceſſerunt Presbyteri.

27 Ex dictis etiam conſtat, immeritò dixiſſe *Magiſtrum diſt.* 24. *Sotum, Medinam, Gratianum, & alios, quos ſequitur Vazquez d. ſp.* 237.*cap.*...quatuor Ordines, aut Ordinationes minores non eſſe Sacramenta. Et ob id dubitabi Ordines non fuerunt inſtituti à Chriſto Domino: ergo non ſunt Sacramenta. Reſpondetur negãdo antecedẽs propter dicta a *n.* 22. vbi [illegible], Ordines minores fuiſſe ab initio Eccleſiæ ex mente Tridentini. Quod modo confirmo ex Concilio Romano ſub D. Silveſtro *cap.* 2. & ex alijs antiquiſsimis Patribus enumerantibus Ordines minores, vt rem antiquam in Eccleſia. ¶ Parum autem officit, quod aliqui PP. non fecerint mentionẽ de ſingulis Ordinibus : quia hoc argumentum eſt ab auctoritate negativa.

¶ Dices, quod Clemens *epiſt.* 2. *ad fratrem Domini* dicit exorciſtã nõ fieri Ordinatione. Reſp. loqui de

de exorciſta, qui, gratia ſanitatũ à Deo accepta, ſanabat energumenos: vt notat idem Vazq. *diſp. 237. n. 24.*

28 Obijcit ſecundò, quòd tempore Concilij Cartaginenſis IIII. (celebrati anno 436. tempore Sixti III. & Imperatoris Valentiniani III.) materia acolytatus (nempè candelabrum cum cereo extincto, & vrceolus vacuus) ordinato tradebatur nõ ab Epiſcopo, ſed ab Archidiacono; verba autem, quæ ſunt forma huius ordinationis dicebantur ab Epiſcopo: vt patet *ex can. 6.* ergo ordinatio acolyti nõ eſt Sacramentum. Patet conſequentia: quia ab eodem miniſtro debet applicari materia, & proferri forma, vt ſufficienter exprimatur actio miniſtri: vt patet in Baptiſmo, & alijs Sacramentis à pœnitentia: in qua, cùm ſit iudicium, neceſſarium eſt, quod reus ſit alius à iudice. Reſpondetur, Eccleſiam particularem poſſe errare aliquando: vt *in tract. Extremæ vnctionis num.* 18. in ſimili notabimus. Reſpondetur ſecundo, eſſe quidem efficaciſſimum argumentum: (vt loquitur præcitatus Vazquez) tamen diſtinguo antecedens: ab Archidiacono ſolũm, nego: ſimul & ab Epiſcopo, concedo. Itaque cũ materia acolyto tradenda, ſit ob magnitudinem parum accomodata, tradebatur quidem ab Archidiacono: non tamen ſine cõtactu phyſico Epiſcopi, qui illam materiam ordinato tradebat ſimul cum Archidiacono. Ad modum, quo calix cum vino, & hoſtia cum patena, quando traditur ordinato in Sacerdotem, poteſt phyſicè ſuſtentari ab aliquo ex aſsiſtentibus Epiſcopo, vt ipſe minùs fatigetur tam longa ſuſtẽtatione, (quando multi ordinandi concurrunt) & commodiùs ſingulis ordinandis tradat.

29 Obijcit tertiò, quod Alexandriæ fuit aliquando in vſu, (vt narrat Socrates *lib. 9 Tripartitæ cap.* 38.) vt Lectores, & pſalmorum pronuntiatores indiſcriminatim ex Chriſtianis, & Catecumenis fierent. Sed Sacramentum non poteſt conferri cathecumeno ante baptiſmum: ergo ſaltèm Lectoratus non eſt Sacramentum. Reſpondetur vſum illum eſſe intelligendum de lectoribus, qui ad maiorem ornatum divinorum officiorum permittebantur admitti ad legendum, & canendum. Sicut hac tempeſtate ad officia acolytorum admittimus mere laicos: atque ad canendum in choro illos, quos vulgo *choronados* appellant.

¶ Obijcit quartò, quod olim fuerunt alij duo Ordines minores in Eccleſia, ſcilicet, cantores pſalmorum, & laborantes, ſeu foſſores, id eſt, illi, qui humabant fidelium corpora. quæ officia ab antiquis Patribus abſolute nuncupabantur Ordines. Præterà longo tempore poſt Apoſtolos Ordo acolyti fuit introductus.

Sed variatio iſta ſatis indicat, Ordines minores potius ab Eccleſia, quam a Chriſto Domino eſſe inſtitutos: ergo non ſunt Sacramenta. Reſpondetur negando maiorem, quoad vtramque partem. Ad probationem prioris dicimus, PP. ſic loquentes ſumere iſ Ordines late: ſicut frequenter dicimus, primam tonſuram eſſe Ordinem, (quam tamen non eſſe Ordinem defendit ipſe Vazq. *diſp.* 236. *n.* 3. cum communiſsima ſententia) nempè quia ad ordines diſponit tonſuratum. Ad probationem poſterioris partis negamus, acolytatum, & quemcumque ex minoribus Ordinibus non fuiſſe ſemper in Eccleſia. Immo hoc affirmare videtur contra Tridentinum *ſeſ.* 23. *cap.* 2.

Dvbivm XIII.

30 PEtes 13. an Epiſcopatio, ſeu Ordinatio alicuius in Epiſcopum ſit Sacramentum? Reſpondetur affirmative. Quia tunc confertur Spiritus Sanctus: (id eſt gratia ſanctificans quippè Spiritus Sanctus non confertur immediate; ſed media prædicta gratia) ergo eſt Sacramentum. Antecedens probant verba iſta formæ Epiſcopationis; *Accipe Spiritum Sanctum.* In hanc concluſionem magis inclinat Scot. *diſt.* 24. §. *De ſecundo*, vt notat Cavellus in ſcholio illius; & merito, quia oppoſitam impugnat. Hanc concluſionem defendunt noſter Medina *lib.* 1. *de Continentia cap.* 15. *Durand. Bellarm. Valentia, Vazquez, Ægidius, Adamus, Becanus, & Sebaſtianus Cæſar, quos citat, & ſequitur G. Hurtad diſſ.* 7.

31 Sed oppoſitum defendunt noſtri *D. Bonaventura, & Ricardus: item Sotus, & Covarruvias citati à prædicto Hurt* & obijciunt: quod Epiſcopatio, prout à Sacerdotio diſtincta, non eſt Ordo: ergo neque Sacramentū. Reſpondetur negando antecedens propter dicta *num.* 14.

¶ Obijc ſecundo: Epiſcopatio, prout diſtincta à Sacerdotio, eſt Sacramentum? Ergo imprimit characterem: ergo validè conferretur non Sacerdoti. Reſpondetur negando ſecundam conſequentiam: quia neceſſariò prærequirit præsbyteratum. Sicut character cuiuſcumque Ordinis eſſentialiter prærequirit characterem baptiſmalem. ¶ Obi. tertio: (replicando contra dictam ſolutionem) Epiſcopatus eſt ſuperior Præsbyteratu: ergo eminenter continet illum: ergo ſi conferretur non Præsbytero, illum conſtitueret & Præsbyterum, & Epiſcopum. Reſpondetur ex Scoto *ibi* §. *De ſecundo verſic. Tertio* diſtinguendo antecedens: Epiſcopatus formaliter, ſeu præcisè ſecundùm illud, quod addit ſuper Sacerdotium, nego: includendo etiam id quod neceſſariò præſupponit, concedo.

Si-

Sicut in ſententia, quæ dicit, gradus qualitatis eſſe eiuſdem perfectionis, dicitur, quod octavus gradus præciſe non eſt perfectior ſeptem alijs, vel quocumque illorum; bene tamen præſuppoſitivè, ſeu includendo ſeptem gradus, quos neceſſariò ſupponit, ſuppoſito, quod eſt octavus, ſeu ponitur poſt alios ſeptem. Itaque *illud, quod præciſe addit Epiſcopatus ſupra Sacerdotium, non eſt ita excellens gradus; ſicut Sacerdotium: quia per illud, quod ſibi ſuperadditur, non conveniunt ſibi actus ita nobiles; ſicut conveniunt Sacerdoti per Sacerdotium.* Verba ſunt Scoti ibi, qui addit. *Nec habet iſti pro inconveniete, quod imperfectior Ordo præſupponat, & hoc neceſſario, vt recipiatur ſed Ordinē perfectiorem, quando imperfectior addit aliquam vniverſalitatem ad actus Eccleſiaſticos, quam non includit ille, qui eſt perfectior ſed tantùm ordinem ad actum perfectiorem.*

De ſpectantibus ad materiam, & formam ſingulorum Ordinum.

DVBIVM XIIII.

De Epiſcopatu.

32 PEtes 14. quæ ſit materia, & quæ forma in ordinatione Epiſcopi? Reſpondetur, quod materia eſt impoſitio manuum trium Epiſcoporum ſupra caput ordinandi; forma verò ma ab illis ſimul prolata: *Accipe Spiritum Sanctum.* Quia 1. *ad Timoth.* 4. (vbi ſermo eſt de ordinatione Timothæi in Epiſcopu) dicitur: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam,* (ideſt per verba iſta, *Accipe Spiritum Sanctum*) *cum impoſitione manuum Presbyterij,* id eſt, Epiſcoporum: ergo impoſitio manuum eſt materia proxima; & prædicta verba ſunt forma. Secundo quia Tridentinum *ſeſ.* 23. *can.* 4. definit, non fruſtra ab Epiſcopo ordinante dici: *Accipe Spiritum Sanctum*: ergo tunc confertur gratia ex opere operato: ergo illa verba ſunt forma; & impoſitio manuum; quæ tunc ſimul fit, eſt materia. Ita omnes AA.

¶ Dices, illa verba eſſe nimis generalia, & non determinare effectum ſpecialem huius Sacramenti: ergo non ſunt forma illius. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: ſecundùm ſe, concedo: vt hic, & nunc dicta, nego: nam eo ipſo quod iſti tres miniſtri Epiſcopi ſimul congregati imponentes manus ſupra caput ordinandi dicunt: *Accipe Spiritum Sanctum,* denotant, ſe eum accipere in ſuum conſortium ad gradum Epiſcopalem. ¶ Vnde infertur, impoſitionem libri Evangelij ſuper cervicem ordinādi in Epiſcopum non eſſe partialem materiam huius Sacramenti: (quidquid dicat D. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16.) etenim

nam hæc impoſitio libri olim fiebat à Diacono; & modo ab vno ex capellanis: ergo non eſt materia: hæc enim in omnibus Sacramentis (vno excepto pœnitentiæ) debet applicari à proferente formam.

Dubium XV.

33 Peteſ 15. an ad valorem ordinationis Epiſcopi ſufficiat, verba illa (*Accipe Spiritum Sanctum* in quibus formam conſiſtere dicimus) ab vno ſolo Epiſcopo proferri? Reſpondetur affirmativè. Quia *in Concilio Carthaginenſi IIII. can.* 2 dicitur, quòd *vno ſupra eum fundente benedictionem*, (hoc eſt, proferente formam) *reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant*. Secundò, quia illa multiplicatio Epiſcoporum potiùs videtur conducere ad auctoritatem actionis, ſeu conſecrationis, quàm ad eius neceſſitatem. Sicut quando in re gravi conſilia plurium peritorum idem omnino conſulentium petimus, ſeu poſtulamus; quorum quodlibet conſilium ſufficit, nec amplius peteretur, niſi materia eſſet ita gravis. Igitur ob gravitatem actionis, ſeu ad eius authoritatem conſuevit Eccleſia, tres ſimul Epiſcopos ad conſecrationem Epiſcopi cõvenire: non verò, quia id neceſſitas poſtulet: cum ab vno ſolo ſufficienter materia, & forma ponatur: ſicut in alijs Sacramentis.

34 Dices: ergo, qui prior abſolvit verba, conſecrat: reliqui vero reconſecrant. Reſpondetur, eſſe philoſophandum; ſicut in ordinatione Sacerdotis, qui ſimul cum Epiſcopo profert verba: & ſicut quando celebraret Papa, ei aſſiſtent Cardinales, qui ſimul cum illo proferant verba conſecrationis. Itaque illi non reconſecrant (id eſt, quia non imputatur ad culpam, quam committeret, qui materiam iam conſecratam vellet conſecrare denuo) quia conſecrare non intendunt: ſed materialiter proferunt verba ſimul cum Papa ad præſtandum authoritatem illi actioni. Quare quamvis vnus eorum priusquam Pontifex finiret verba, non conſecrat: pendet enim conſecratio ex intentione miniſtri ſine qua nullum fit Sacramentum. Idem dico de Sacerdote recenter ordinato, & ſimul cum Epiſcopo proferente verba conſecrationis. Ille itaque profert materialiter; vt, ſcilicet, quaſi inſtruatur ab Epiſcopo, quo modo poſtea debeat peragere ſacrificium. Quare mihi non omninò probatur ſedula aliquorum ſollicitudo admonentium recenter ordinatos, vt habeant intentionem conſecrandi ſimul cum Epiſcopo: tunc enim conſecratio ab Epiſcopo non fieret, ſi alius prius verba finiret. Quod ſatis durum mihi apparet, nempè dari poſſe caſum, in quo celebrans Miſſam, non conſecraret.

35 Au-

35 Admiſſo tamen, quòd omnes, vel Cardinales, vel recẽtes Sacerdotes ſimul cum Papa, aut Epiſcopo intenderent conſecrare, dicendum foret, ſolùm illum conſecrare, qui priùs abſolveret verba. (ſuppono eſſe materiam in diſtantia proportionata) Alij tamen non incurrérent crimen reconſecrandi; quia habent voluntatem conditionatam (ſaltèm implicitam, aut interpretativam) non conſecrãdi; ſi, quando ipſi abſolvunt verba; peracta fuerit conſecratio, vel à Papa, vel ab Epiſcopo, vel ab alio ex ſimul proferentibus verba cõſecrationis.

36 Si tamen verba ſimul à pluribus finiantur, Deus acceptat verba vnius. (nempè, quæ voluerit) vt vi illorum tantùm fiat conſecratio: vt in ſimili docet Scotus *in 4. d. 6. q. 2. §. Ad primũ verſ. Reſpondeo: difficile eſt.* Nec recurrendum eſt ad cauſas partiales, ſeu non eſt dicendum, cõſecrationem tunc fieri ab omnibus ſimul finientibus verba: quia miniſtro Sacramentorum non eſt liberum, partialem adhibere concurſum: ſed aut totalem, aut nullam cauſationem debet ponere. Si enim habet intentionem baptizandi v. g. & ad baptiſmũ ponit neceſſaria, totum complet baptiſmum, vniverſoſque effectus illius præſtat: at, ſi intentionem non habet, aut omittit aliquid ex neceſſarijs nec conficit Sacramentum, nec aliquem effectum illius præſtat. Et ratiò eſt, Deum ſic inſtituiſſe: inſtituit, (inquit) & promiſit, ſe tamquã cauſam principalem totalem Sacramenti, & omnium illius effectuum ſemper adfuturum miniſtro, qui eſt cauſa inſtrumentalis (moralis iuxta dicta *in tract. de Sacram. in genere cap. 5. à n. 1.*) totalis. Cùm ergo non conſtet, Deum, ſeu cauſam phyſicã principalem adfuturam cauſis inſtrumentalis partialibus; ſine fundamento dicitur in præſenti, omnes illos, qui ſimul finiunt verba conſecrationis, ad illam partialiter concurrere. Quare vi tantùm vnius illorum, qui ſimul verba finiunt, fit conſecratio. Et cùm non ſit maior ratio, quare potiùs verba iſtius, quàm illius acceptentur à Deo ad hunc effectum, ſeu ad peragendam conſecrationem; dicendum eſt, relinqui divinæ voluntati, quòd potiùs verba iſtius, quàm illius acceptet: vt merito dicit Scotus citatus.

37 Nec poteſt dici, vnam ex his cauſis impedire aliam: quia etſi duæ cauſæ phyſicæ eiuſdem perfectionis, aut activitatis poſſint ſe aliquando impedire; non tamen cauſæ morales: ad oculum enim patet, quod vnus Sacerdos (vt ad præſentem materiam applicemur) non impedit, quòd alius proferát verba, & habeat intentionem conſecrandi materiam ſibi præſentem. His autem poſitis, pendet vnicè, & totaliter à Deo, ſeu à cauſa phy-

ſica principali, quòd poſitionem intentionis, & verba formæ ſuper materiam debitè approximatam acceptet ad ponendum phyſicè Sacramentum, & omnes illius effectus: nec cauſa inſtrumentalis poteſt aliquid iſtorum impedire.

De Ordinatione Sacerdotis.

Dubium XVI.

38 PEtes 16. quæ ſit materia? & quæ forma in ordinatione Sacerdotis? Reſpond. materiam proximam coaleſcere ex traditione calicis cum vino, & patenæ cum pane, atque ex impoſitione manuum Epiſcopi quæ poſteà ſit ab ipſo Epiſcopo dicente: *Accipe Spiritum Sanctu; quorum remiſeris peccata, &c.* Item forma totalis integratur ex illis verbis; *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, &c.* Atque ex illis; *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Quia duæ poteſtates, quas in ordinatione accipit Sacerdos (nempè cōſecrandi corpus Chriſti Domini, & remittendi peccata) exprimuntur per prædictas materias, & formas; & per neutram ſolùm poſſunt ſignificari adæquatè: ergo Sacerdotis ordinatio ex vtraque integratur. Ita Scotus *diſt.* 24. §. *De tertiò verſic. Si quæras.* Vbi, etſi dicat; *in Sacerdotio videtur probabile, &c.* abſolutè tamen loquitur, me iudice; cùm oppoſitam ſententiam nec nominet, nec explicet, neque pro illa aliquam rationem afferat: noſtram verò ex profeſſo declaret. Quare exiſtimo, prædicta verba (*videtur probabile*) appoſuiſſe vel modeſtiæ cauſa; vel vt ſic ab iſta diſputatione abſtineret. Quam ſententiam ſequuntur *Bellarm. Vazq. Ægidius, Viguerius, Henriquez, Layman, & Adamus, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſſ.* 11.

39 Notant tamen communiter, præſertim citatus Hurtad. quòd poteſtas conſecrandi datur independenter à poteſtate abſolvendi à peccatis, ita vt ſi vltima non conferretur, validè quis cōſecraret (& de facto conſecrat Sacerdos recenter ordinatus ſimul cum Epiſcopo ordinante ante collationem alterius poteſtatis; inquit Hurt. ibi. Quod, et ſi mihi non omninò probetur, loquendo de facto propter dicta *n.* 34. poſſe tamen ſic evenire, non nego.) Poteſtas tamen abſolvendi ita eſſentialiter eſt poſterior, vt invalide conferretur priùs quàm poteſtas conſecrandi. Cuius ratio eſt, Deum ſic inſtituiſſe. Congruentia autem, quòd poteſtas in corpus Chriſti Domini miſticum (id eſt fideles) ſupponit poteſtatem in eius corpus verum. ¶ Notant etiam, quòd ſicut in ordinatione Sacerdotis reperitur duplex partialis ordinatio, etiam reperitur duplex partialis poteſtas, ſeu duplex partialis character: quorum poſterior

ſterior pendet à priori; non tamē è contra.

40 Ex dictis Infertur, non eſſe ſuſtinendam ſententiam D. Bonavent. *diſt.* 24. *p.* 2. *diſtinctionis, art.* 1. *q* 4. docentis, totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis ſitam eſſe in ſola impoſitione manuum Epiſcopi, & cōſequenter totam formā in illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctū, &c.* Pro qua ſententia obijcitur contra noſtram concluſionem, quod in Concilio Cartaginenſi IIII. tantùm reperitur mentio impoſitionis manuum Epiſcopi pro ordinatione Sacerdotis: ergo eſt totalis materia. Reſpond. negando conſequentiam: quia Concilium loquitur ibi de quodam actu accidentali tunc temporis pollente in Eccleſia Africana, qui præmittebatur ad materiam; & formam huius ordinationis. ¶ Obi. ſecundò, quòd in aliquibus Pontificalibus non reperiuntur verba illa, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Reſpondetur, ſemper fuiſſe habita in Pōtificali Romano; quod eſt regula omnium Eccleſiarum. Recolātur dicta *num.* 28. vbi diximus, aliquam Eccleſiam particularem poſſe errare. ¶ Obi. tertiò, per manuum impoſitionem ſufficienter ſignificatur maximum Sacerdotij miniſterium, & eius potiſsima actio, nempe admittere peccatorem pœnitentem in amicitiam Dei: ergo prædicta manuum impoſitio eſt totalis materia; & verba correſpondentia eſt totalis forma Sacerdotij. Reſpondetur negando antecedens: potiſsima enim actio Sacerdotis eſt conſecrare. Reſpondetur ſecundo (omiſſo antecedenti) negando conſequentiam. Dicit enim Eugenius IIII. in ſuo decreto, materiam Sacerdotij eſſe traditionem calicis cum vino, & hoſtiæ cum patena; formā vero verba huic traditioni correſpondentia. Quare impoſitio manuum, & verba illi correſpō. dentia non poſſunt eſſe totalis materia, & forma.

41 Infertur etiam ex noſtra concluſione, immeritò dixiſſe *Ricardum, Durandum, & Tapperum, quos ſequitur Valentia diſp.* 9. *quæſt.* 1. *punct* 5. totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis eſſe traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia; totalemque formam eſſe verba illi traditioni correſpondentia. Pro qua ſententia obijcitur contra concluſionem; id fuiſſe aſsignatum ab Eugenio IIII. in ſuo decreto fidei. Reſpondetur, ibi Papam ſolùm poſuiſſe exemplū illius doctrinæ, quam tradebat; (nempe in quocumque Sacramento reperiendā eſſe formam, & materiam) non tamen exiſtimavit, illam eſſe totalem: hoc enim eſſet contra antiqua Concilia, & PP. dictitantes, hoc Sacramentum conferri per manuum impoſitionem. Quod, & ſupponit apertè Tridentinum *ſeſ.* 14.

cap.

cap. 3. de Sacramento Extremæ vnctionis: vbi ex illo *Iacobi 5. Inducat Præsbyteros Eccleſiæ, &c.* deducit, miniſtros extremæ vnctionis eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ritè ordinatos per impoſitionem manuum Præsbyterij. (id eſt, dignitatis Epiſcopalis)

¶ Dices, poſſe exponi PP. de cęremonia concomitante id, quod eſt eſſentiale. Sed contra: quamvis enim aliquando poſsint ſic aliqui PP. exponi; non tamen ſemper: cùm aliquando dicant, gratiam conferri per impoſitionem manuum. Quare ſaltē tunc de partiali materia, & forma ſunt exponendi.

De Diaconizatione.

DVBIVM XVII.

42 PEtes 17. quæ ſit materia? & quæ forma in Ordinatione Diaconi? Reſpōdetur, proximam materiam ordinationis Diaconi integrari ex impoſitione manuum Epiſcopi, & ex traditione alicuius rei, qua Diaconi officium ſignificatur. Forma autem integratur ex verbis correſpondentibus duobus prædictis. Quia Concilium Cartaginenſe IIII. *cap.* 4. docet Epiſcopum, dum ordinat Diaconum, ei manus imponere. Inſupèr D. Dion. *cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* expreſsè docet, Epiſcopum, Sacerdotem, & Diaconum conſecrari per manus impoſitionem: ergo manus impoſitio eſt materia ſaltèm partialis Diaconizationis. Ex alia autem parte Eugenius 4. *in ſuo Decreto* docet, proximam materiam ordinationis Diaconi ſitam eſſe in traditione libri Evāgeliorum: vtraque ergo materia eſt eſſentialis in hac ordinatione: & conſequentèr forma integrabitur ex verbis vtrique correſpondentibus. Ita *Hoſius in Confeſsione Catholica, Henriquez, & Adamus: in quod inclinant Bellarmin. Ægidius, & Laim. citati à G. Hurt. diff. 12.*

43 Vnde reijcio noſtrum Michaelē de Medina *lib. 1. de Continentia cap. 39.* docentem, materiam proximam Ordinationis Diaconi ſitam eſſe in tribus traditionibus factis ab Epiſcopo: & ſunt traditio Stolæ, traditio Dalmaticæ, & traditio libri Evangeliorum: formam verò in verbis prædictis traditionibus correſpondentibus. Tamen Medina quoàd traditiones Stolæ, & Dalmaticæ nullo nititur fundamento.

44 Reijcitur etiam Durandus *d. 24. q. 3.* affirmans, totalem materiam diaconizationis eſſe impoſitionem manuum Epiſcopi; formam autem verba illi materiæ correſpōdentia. Pro qua ſententia obijcitur contra noſtram. Scot. *d. 24. §. De Secundo in fine* affirmans, quòd actus legendi Evangelium in Diacono non eſt proprius, ſed minùs perfectus: proprius autem, & perfectiſsimus

-mus actus illius eſt, quem habet circa Eucharistiam diſpenſandã: ergo ex mente Scoti traditio libri Evangelij nõ eſt materia. Reſpondetur negando conſequentiam: ſolùm enim negat Scotus, legere in Eccleſia eſſe proprium actum Diaconi; cum etiam hoc ſit commune Subdiacono: non tamen negat, eſſe eſſentiale. Sicut qui negat, materiã primam eſſe propriam hominis; cùm etiam reperiatur in equo, terra, &c. nõ negat, eſſe de eſſentia illius. Et qui negat, animal eſſe proprium hominis, non negat, eſſe de eſſentia illius. ¶ Obijcitur ſecundo: in initio Eccleſiæ (ſaltèm antequam componeretur Evangelium) ordinabantur Diaconi ſine traditione Evangelij; & ſine verbis huic traditioni correſpõdentibus: ergo totalis materia eſt impoſitio manuũ Epiſcopi; necnon & totalis forma verba illi correſpondentia. Reſpondetur, omiſsis aliquibus dicentibus, tũc Chriſtum Dominum diſpenſaſſe: quia ab his ſine vrgente cauſa recurritur ad diſpẽſationem. Necnon & omiſsis alijs dicentibus, Chriſtum D. inſtituiſſe, Evangelium eſſe materiam Diaconizationis, non in actu exercito, ſed in actu ſignato: hoc eſt, non voluiſſe, vt ſtatim poſt inſtitutionem exerceretur; ſed aſsignaſſe Evangelium, vt eſſet materia poſteà, quando eſſet ſcriptum. Hos tamen etiam ommitto: quia contra illos militat, voluntariè dici, Chriſtum Dominum inſtituiſſe aliquod Sacramentum, cuius vſus tunc eſſet impoſsibilis defectu materiæ, quæ nec prodierat; nec cito componenda eſſet. Prætcrea conſtat ex Actibus Apoſtolorũ, quod in initio Eccleſiæ, & antequam Apoſtoli dividirentur in varias regiones, erant iam Diaconi in Eccleſia: de quorum numero, & miniſterio Stephanus lapidatus eſt: (vt conſtat *ex cap. 7. Actorum*) eſt autem mihi ſatis veriſimile, tunc aliquod ex quatuor Evangelijs non fuiſſe conſcriptum: ergo exercitiũ ordinationis Diaconi non fuit dependens ab Evangeliorum libro determinatè.

45 His ergo omiſsis, reſpondetur negando conſequentiam: tunc enim tradebatur alia res, qua officium Diaconi ſufficienter ſignaretur: etenim Chriſtus Dominus, non determinavit materiam Diaconatus, ſed reliquit arbitrio Eccleſiæ; vt ſtatim explicabo. Poſtquàm autem Eccleſia Romana determinavit, materiam Diaconatus eſſe librũ Evangelij, ſeu miſſale, iam non eſt locus, vt aliquis homo, vel privata Eccleſia vtatur alia materia. ¶ Sed dicit Durandus, quod, dum ipſe erat Epiſcopus Eccleſiæ Anicienſis, in ordinatione Diaconi non tradebatur liber Evangelij. Reſpondetur, quòd Eccleſia Romana permittebat dictæ Eccleſiæ vti traditione alteriùs rei. Sicut permittit

Eccleſiæ Græcæ baptizare ſub hac forma; *baptizetur ſervus Chriſti* & conſecrare in fermentato. ¶ Pro pleniori autem intelligentia notant, *præcipuè Bellarminus, & ex ipſo Ægidius diſp. 20. num. 65.* Chriſtum Dominum non determinaſſe rem, in cuius traditione partialis materia diaconizationis conſiſtit; ſed hanc determinationem reliquiſſe arbitrio Eccleſiæ. Sicut reliquit determinationi Eccleſiæ verba, quibus chriſma Confirmationis erat ab Epiſcopo benedicendum, vt ſit materia Confirmationis: vt notabam *in tract. de Confirmatione n. 27.* Et ſicut non determinavit ſigna, quibus contrahentes matrimonium debebant exprimere conſenſum, (qui eſt materia proxima Sacramenti matrimonij) Sed hoc reliquit communi vſui, & voluntati contrahentium. Igitur determinavit Chriſtus Dominus, quòd partialis materia Diaconatus eſſet traditio alicuius rei; determinare autem, quæ foret illa res, reliquit arbitrio Eccleſiæ: ſicut determinavit, quòd conſenſus contrahentium per aliquod ſignum ſenſibile declaratus eſſet materia Sacramenti matrimonij; determinare autem, quæ forent illa ſigna, reliquit, ſeu commiſit voluntati contrahentium.

46 Ex dictis etiam infertur, non eſſe ſuſtinendam ſententiã D. Thom. *in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 3. Soti, Vazquez, Valentiæ, Reginaldi, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſſ. 13.* dicentium, totalem materiam diaconatus eſſe traditionem libri Evangelij; formam autem totalem eſſe verba illi traditioni correſpondentia. Et obi. non poteſt ſimul conſiſtere in impoſitione manuum: ergo totaliter conſiſtit in traditione libri Evangeliorum. Antecedens probatur ex capite *Præsbyter 3.* vbi dicitur, manuum impoſitionem, quæ fit in ordinatione Diaconi, fuiſſe introductam ritu Apoſtolorum. Reſpondetur negando antecedens: ad probationem dico, ſenſum illius textus eſſe, fuiſſe introductam ab Apoſtolis, quia ipſi primo vſi fuerunt, ſeu talem manuum impoſitionem promulgarunt: ipſi tamen Apoſtoli non ſua authoritate, ſed Chriſti Domini, qui id inſtituerat, vtebantur illo ritu, ſeu cœremonia. Quod confirmo à ſimili de Extrema vnctione: quæ inſtituta eſt a Chriſto Domino, licèt promulgata fuerit à D. Iacobo verbis illis, *Infirmatur quis in vobis, &c. cap. 5.* ¶ Obi. ſecundò: per manuum impoſitionem, & per hæc verba illi correſpondentia (*Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius*) nullum miniſterium peculiare Diaconi denotatur: ergo non eſt partialis materia, & verba illi traditioni correſpõdẽtia nõ ſunt forma. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: abſolute, ſeu ſi ablo-

abſolutè forent accipienda, concedo: iuxta ſubiectam materiã, ſeu vt hic, & nunc dicuntur, (ſcilicèt ab Epiſcopo intendente ordinare, ſeu admittere aliquem ad officium Diaconatus) nego. Cuius ſimile nobiſcum fatebatur ipſe Hurt. loquendo de ordinatione Epiſcopi: vt dixi *num.* 32.

De Subdiaconi Ordinatione.

DVBIVM XVIII.

47 PEtes 18. quæ ſit materia proxima? & quæ forma in Ordinatione Subdiaconi? Reſpondetur, materiam integrari ex traditione calicis vacui, & patenæ vacuæ; atque ex traditione alicuius rei, per quam ſufficienter ſignificetur miniſterium Subdiaconi. (quæ traditio iam eſt liber Epiſtolarum) Forma autem ſunt verba his correſpondentia. Quia per has traditiones, & per verba eis correſpondentia ſufficienter ſignificatur poteſtas ad actiones, quas Subdiaconus exercet circa ſacrificium miſſæ peragendum. Ita *noſter Medina lib.* 1. *de Contin. cap.* 44. *Forcarius de Ordinibus cap.* 2. *& Adamus diſp.* 7. *q.* 2. *dub.* 3. *G. Hurt. diff.* 13.

48 Vnde conſtat, immeritò dixiſſe Vigverium, ſolam traditionem libri Epiſtolarum eſſe totam materiam ordinationis Subdiaconi, totalemque formam verba illi traditioni correſpondentia. Igitur immeritò ſic ſentit: quia Eugenius IIII. *in ſuo decreto* expreſsè determinat, traditionem calicis vacui, & patenæ vacuæ eſſe materiam huius ordinationis; & verba illi correſpondentia eſſe formam. Quod ſaltèm de partiali materia, & de partiali forma debet intelligi.

¶ Conſtat, etiam immeritò dixiſſe *Vazquez, Ægid. & Laimã citatos à prædicto Hurtado* totalem materiam eſſe traditionem calicis vacui, & patenæ vacuæ; totalemque formam verba, iſta illi correſpondentia. (*Videte, cuiuſmodi miniſterium vobis traditur*) Immerito (inquam) ſic ſentiunt; quia per prædictam materiam, & formam non ſignificatur poteſtas canendi Epiſtolam; quam poteſtatem Subdiaconus accipit in ſua Ordinatione.

¶ Immeritò demum dixit præcitatus Medina, etiam traditionẽ veſtium ſacrarũ pertinere ad materiam huius ordinationis; & verba huic traditioni correſpondẽtia ad formam. Immeritò (inquam) hoc addidit noſtræ ſententiæ: quia per talem traditionem nulla ſpecialis poteſtas ſignificatur.

De Ordinationibus Minoribus.

DVBIVM XIX.

49 PEtes 19. quæ ſint materiæ proximæ? & quæ for-

mæ Ordinum minorum? Reſpondetur, quòd Pontificale Romanum, atque Eugenius IIII ſatis apertè indicant, materias eſſe traditiones rerum ad ſuum miniſterium pertinentium; formas verò verba illis traditionibus correſpondentia. Quia per iſta denotantur poteſtates ad proprias actiones ſingularum Ordinationum. Quare convenit inter Authores materiam proximam hoſtiarij eſſe traditionem clavium Eccleſiæ; Lectoris eſſe traditionem libri lectionum; (qui dicitur Lectionale,) & Exorciſtæ eſſe traditionem libri exorciſmorum: formæ autem harum ordinationum ſunt verba prædictis traditionibus correſpondentia.

50 Controverſia ergo ſolùm eſt de materia, & forma acolyti. Durand. enim *in 2. diſt. 24. quæſt. 3 & Palud. quæſt. 2. art. 3.* dicunt, eſſe traditionem vrceoli vacui; & formam eſſe verba illi traditioni correſpondentia ¶ D. Bonavent. *diſt. 24. p. 2. dub. 5. Richard. & Angelus citati à G. Hurt. diff.* 14. affirmant, conſiſtere materiam in traditione candelabri cum cereo extincto; formã verò in verbis huic traditioni accommodatis. ¶ Nobis autem dicendum eſt, conſiſtere in vtroque. Itaque proxima materia Ordinationis acolythi integratur ex traditione vrceoli vacui, & ex traditione candelabri cum cereo extincto. Forma autem ex verbis vtrique traditioni correſpondentibus. Et ratio eſt, quod acolytho confertur in ſua ordinatione poteſtas ad has duas actiones, nempè ad implendum vrceolos vino, & aquâ; & ad eos ſuggerendum Sacerdoti, necnon & ad accendendum cereos, & ad eos deferendum ante Sacerdotem. Ita *Viguerius cap. 16. §. 6. Vazquez, Henriquez, & Adamus, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diff.* 14.

51 Sed contra hoc, & multa alia ex dictis *à n* 42. objicies Scotum *diſt.* 24. § *De tertio verſ. Si quæras*, vbi ſolùm de Sacerdotio videtur concedere eſſe probabile, quod ibi reperiatur duplex partialis forma; duplexque partialis materia: ergo in Ordinationibus Diaconi, Subdiaconi, & Minoribus non admittit partiales materias, & formas. Reſp. negãdo totũ. Verũ quippe eſt, Scotũ cõcedere eſſe probabile, in Ordinatione Sacerdotis eſſe duas formas; & duas partiales materias. Tamen non negat, eodem modo poſſe philoſophari in alijs Ordinationibus. Quare argumentum iſtud eſt ab authoritate negativa: hoc enim ferè modo procedit argumentum: Scotus non dixit, in Ordinatione Diaconi, &c. eſſe partiales formas, & materias: ergo non ſunt. Quàm debile autem ſit argumentum ab authoritate negativa notũ eſt omnibus. Adde, quod propter eamdem rationẽ

qua

qua Scotus concedit, materiam Sacerdotij integrari ex duplici partiali; & totalem formam ex duplici partiali; idem concedere debemus de ordinatione Diaconi, Subdiaconi, &c. cùm in his ordinationibus conferatur duplex poteſtas. Idque videtur inſinuare Scotus dicens. *Si quæras, quæ verba? vel quæ forma? Reſpondeo, illam, quam Epiſcopi habent in ſuis libris Epiſcopalibus.* Sed Epiſcopi in ſuis libris habent illam duplicem formam, & materiam: ergo vtraque ſpectat ad eſſentiã prædictarum ordinationum, etiam ex mente Scoti.

De contactu requiſito ad valorem ordinationis.

DVBIVM XX.

52 PEtes 20. an ad valorem ordinationis requiratur, quòd ordinatus phyſicè tangat rem illam, quæ eſt materia remota, ſeu cuius traditio eſt materia proxima Ordinationis? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic inſtituit Chriſtus D. quam inſtitutionem declarat, & quaſi teſtatur perpetua Eccleſiæ conſuetudo, & praxis; qua ſemper proviſum eſt, vt ordinatus phyſicè tangat materiam: ex qua praxi potiùs quàm ex alijs ſpeculationibus res iſta eſt decidenda: vt benè notant, præcipuè Ægidius *diſp.* 20. *n.* 70. Adde, quòd ly *accipe* poſitum in formis ordinationum aptiùs ſalvatur, poſito phyſico cõtactu ordinati, quàm ſine illo: cùm illo enim vndequaque abſolutè, & ſine aliqua reſtrictione, aut explicatione eſt verum, quòd ordinatus accipit rem illã, quam Epiſcopus ei porrigit, & accipere iubet verbo illo *accipe* librum v. g. Ita *D. Thom. in 4. d. 24. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 5. ad 3. Palud. Vguertus, Valentia, Ægidius, & Bonacina, quos citat G. Hurt. diſſ.* 15. *His adde Fernandez, & noſtrum Fabrum apud Dianam 3. p. tract. 4. Reſ.* 185.

53 Sed *D. Albertus, Caietanus, Victoria, Armilla, Vazq. & Laiman, quos citat, & ſequitur G. Hurtado ibi.* Item *Zambranum, & Ragucium, quos addit, & ſequitur Diana, ibi* oppoſitum defendunt: Et obijciunt: ly *accipe* poſitum in formis Ordinum ſufficienter ſalvatur, etiam ſi ordinatus materiam phyſicè non tangat, dummodo ei porrigatur, & ab ipſo acceptetur: ergo ad verificãdum, quòd talem materiam accipiat, non requiritur phyſicus contactus. Reſpondetur, ita eſſe: nos enim prædictum contactum potiùs requirimus propter inſtitutionem divinam declaratam perpetua praxi, & conſuetudine Eccleſiæ; quam ad verificandum ly *accipe* quamvis aliàs verum ſit, quòd aptiùs ſalvetur per contactum phyſicum rei traditæ, quã per cõtactum moralem, ſeu nudam acceptationem aliter quàm per contactum phyſicum declaratam.

ratam. ¶ Obijc. ſecundò: ſi phyſicus contactus eſſet neceſſarius, maximè ad acceptandum traditionem materiæ: ſed ad hoc non eſt neceſſarius: ergo non requiritur. Probatur minor inſtãtia parvuli, qui ante vſum rationis ordinaretur: ille enim non poſſet acceptare oblationem materiæ. Reſpondetur negando maiorē: requiritur enim ad ponendum id, quod Deus requiſivit in ordinatione eſſe ponendum: quam divinam inſtitutionem declarat perpetua Eccleſiæ conſuetudo. Reſpondetur ſecundo, diſtinguēdo maiorem: in vtente ratione, concedo: in parvo, vel amente nego. Sicut baptiſmus neceſſariò requirit propriam diſpoſitionem in vtente ratione: nō verò in carente illa ¶ Obijcit. tertiò: ad acceptandum aliam traditionē non requiritur contactus phyſicus rei traditæ: ergo neque in præſenti. Antecedens conſtat in matrimonio; in quo eſt mutua traditio corporum; & tamen nullus phyſicus contactus requiritur. Reſpondetur negando cōſequentiam: quia ſub phyſico cōtactu eſt inſtitutum à Chriſto D. Sacramentum Ordinis: vt conſtat ex praxi Eccleſiæ: ex qua potiùs, quàm ex alijs ſpeculationibus hæc res decidenda eſt: vt cū Ægidio notabamus *n.* 52.

54 Ex dictis conſtat, graviter peccare ordinatum, qui phyſicè non tangeret materiam remotam: quia in re graviſsima faceret contra conſuetudinem Eccleſiæ. Immò, ſi hæc ordinatio eſſet Sacerdotalis, neceſſario foret ſub conditione reordinandus. Notãt tamen communiter, non eſſe neceſſarium tangere materiam nimis remotam. (vinum v g. incluſum in calice in ordinatione Sacerdotali; candelam poſitam in candelabro in ordinatione acolythi) Quia vſus Eccleſiæ ſic declaravit. Et ideò Rituale Romanum, in quo omnia ad ordinationes neceſſaria exactiſsimè aſsignantur, nullam mētionem facit de prædicto contactu.

Dubium XXI.

55 Petes 21. an ſufficiat phyphyſicus contactus ſolius calicis in ordinatione, in qua pro materia aſsignatur calix cum patena? Reſpondetur affirmativè. Quia ex communi modo loquēdi, qui tangit calicem, dicitur tangere patenam in eo ſuſtentatam: ſicut dicitur tangere vinum in eo incluſum. Ita Vazquez *diſpur.* 246. *n.* 19. *Sotus, & Silveſter, quos citat, & ſequitur noſter Villalob. tom.* 1. *tract.* 11. *diff.* 4. *num.* 3. *Item Ioan. de la Cruz, & Ledeſma: quod & ſatis probabile iudicat Ægid. diſp.* 20. *n.* 71. ¶ Dices, quòd in Rituali Romano præſcribitur, quod Sacerdos tangat calicem, & patenam: ergo hic contactus eſt neceſſariùs. Reſpondetur negando conſequētiam, loquendo de

de neceſsitate Sacramenti: & concedendo, vel omittendo, loquendo de neceſsitate præcepti. Itaque nego, non conferri Sacramentum Ordinis ſine contactu phyſico patenæ calici ſuperpoſitæ, quando ipſe calix phyſicè tangitur: concedo tamen (aut omitto) graviter peccare: eo quod non exequitur id, quod ſibi ab Eccleſia eſt præſcriptum in re graviſsima. Cùm enim nō ſit omnino certum, prædictum contactum phyſicum patenæ non requiri ad conſiſtentiam Sacramēti, exponeretur periculo nullitatis omittens prædictum contactum: & conſequenter fortè poſtea nec conſecraret, nec abſolveret pœnitentes, nec ordinaret. (ſi aſcenderet ad dignitatem Epiſcopalem) Quare omninò neceſſariò eſſet ſub conditione reiteranda Ordinatio illius in Sacerdotem. Merito ergo omittens prædictum contactum phyſicum patenæ graviſsimæ culpæ damnatur.

Dvbivm XXI.

56 PEtes 21. an eodem modo ſit philoſophandum de eo, qui in ordinatione Sacerdotis ſolùm attingeret patenam, non attingendo calicem? Reſpōdetur affirmativè. Quia tunc confertur ordinato poteſtas cōſecrandi vtramque ſpeciem (ſcilicet panem, & vinum) per modum vnius, ſeu ita indiviſibiliter, vt collata poteſtate conſecrandi vnam, ſimul conferatur poteſtas conſecrandi aliam: (Immo non eſt duplex poteſtas, ſed vna extenſa ad duas materias.) ergo ſufficit pro eius ordinatione, quod ordinatus attingat quamlibet illarum, ſeu potiùs id, quod continet quælibet illarum. (Ex qua ratione confirmatur cōcluſio poſita *num.* 55.)

Dvbivm XXII.

57 PEtes 22. an miniſter, ſeu Epiſcopus ordinans neceſſariò debeat phyſicè attingere materiam, quam tradit ordinato? Reſpōdetur affirmativè. Itaque invalidè, ſeu fruſtrà intenderet conferre ordinem, ſi ipſemet phyſicè non tangeret materiam. Quia Chriſtus D. ſic inſtituit: vt conſtat ex praxi Eccleſiæ Secundò, quia alias non aptè applicabitur actio miniſtri. Et demùm patet à ſimili baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ vnctionis. Sicut enim fruſtrà intenderet baptizare, qui iuberet, aquam infundere, ſeu qui, alio abluente, verba formæ proferret; ita in præſenti. Itaque ſicut ſolùm baptizat, qui phyſicè abluit, ſeu infundit aquam: ita ſolùm ordinat, qui phyſicè tradit materiam ordinis.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

DVBIVM XXIII.

58 **P** Etes 23. quos effectus habeat hoc Sacramentum? Reſpondetur, conſtare *ex n.* 9. vbi tamquam certum apud Catholicos ſtatuimus, in eo conferri gratiam ſanctificantem dignè recipienti, ſeu non ponenti obicem. Inſuper in eo imprimitur character. Et deniûm confertur gratia Sacramentalis. Quæ autẽ tam de charactere, quam de vtraque gratia poſſent deſiderari, late expendimus *in tract. de Sacram. in genere c.4. per totum.* Vbi etiam manet diſcuſum, quæ diſpoſitio ad ſingulos iſtos effectus ſit neceſſaria. Quare his ſuppoſitis, ad nônulla propria huius tractatus tranſimus.

DVBIVM XXIIII.

59 **P** Etes 24. an character ordinis neceſſario, ſeu eſſentialiter præſrequirat characterem Baptiſmi? Reſpondetur affirmatiuè. Quia baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorum, ſeu Eccleſiæ. Ita omnes AA. & determinatur *in cap. Si quis Presbyter. & cap. Veniens. de Presbytero non baptizato.* ¶ Dices: Sacramentum ordinis non prærequirit eſſentialiter characterem confirmationis: ergo neque baptiſmi. Reſpondetur negando cô-ſequentiam: quia baptiſmus eſt ianua, per quam intratur in familiam Chriſti D. Confirmatio verò conſtituit in gradu bellatoris: contingit autem in pollitijs humanis, Regem eligere aliquem ad famulatum domus ſuæ, ſi iam ſit adſcriptus in republ.ca; non attendendo, quod ſit, vel nô ſit adſcriptus in gradu bellatoris. Quare advertit noſter. Villalobos *1.p. tract. 11. diff. 7 n.2 ex Soto, & Navarro,* ſolùm eſſe veniale recipere Ordinem, qui non eſt confirmatus. Ego autem exiſtimo, neque veniale tunc interuenire: quia receptio confirmationis adhuc ſub veniali nô obligat: vt dixi *in tract. de Confirm. n. 16.*

DVBIVM XXV.

60 **P** Etes 25. an character prioris Ordinis (Subdiaconi v.g.) eſſentialiter requiratur ad characterem poſterioris? (Diaconi v.g.) Reſp. negatiuè. Quia praxis Eccleſiæ eſt, non reordinare eum, qui recepit ordinem ſuperiórem (Sacerdotiû v.g.) ante receptionem inferioris. (Diaconatus v.g.) Igitur cùm Eccleſia non faciat, ordinatum per ſaltum iterùm recipere eumdem ordinem, ſupponit, validè eſſe receptum: & conſequenter ſupponit, characterem ordinis inferioris, ſeu ipſummet ordinem inferiorem non requiri eſſentialiter ad characterem ordinis ſuperioris. Ita

Ita communiſsima ſententia; & expreſsè habetur *in can. 1. tit. de Clero per ſaltum ordinato*. ¶ Hoc autem non eſt intelligendum de Epiſcopatu. Si enim quis nõ fuerit Ordinatus in Sacerdotem, In validè Ordinaretur Epiſcopus. Quia Epiſcopatus præcisè ſecundùm quod addit ſupra Sacerdotium, eſt gradus inferior ipſo Sacerdotio: (iuxta dicta *num. 31.*) ergo non includit illum gradum: ergo, ſi non pręſupponatur receptus, fruſtrà recipitur Epiſcopatus. Sicut fruſtrà intenderetur ædificatio tecti ſine præiactione fundamenti. Recolantur dicta *num. 31.*

61 Notant, eum, qui ordinatus eſt per ſaltum (id eſt, eum, qui recepit poſteriorem Ordinē, non recepto priori) mortaliter peccare, & manere ſuſpenſum ab exercitio illius Ordinis, quem per ſaltum recepit: Immo & ſine diſpenſatione Epiſcopi non poteſt promoveri ad Ordinationem Ordinis omiſſi: vt dicitur *in cap. Sicut olim.* Si autem in Ordine per ſaltum recepto adminiſtravit, nõ poteſt aſcendere ad alium Ordinem niſi ex diſpenſatione Papæ. ¶ Advertit vero Villalobos *ibi num. 4.* citans Silveſtrũ, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum illo, qui ſcienter adminiſtravit in Ordine per ſaltũ recepto, ad hoc vt in eodem Ordine poſsit licitè adminiſtrare. ¶ Adverte demùm, peccare mortaliter eum, qui, prima tonſura omiſſa, ordinē recepti. Quia, etſi prima tonſura non ſit Ordo; (*ex num. 13.*) facit tamen contra conſuetudinē Eccleſiæ, & contra eius præceptum in re gravi.

Dvbivm XXVI.

62 Petes 26. an in Ordinatione Sacerdotis duplex partialis character ſit admittendus? Reſpondetur affirmativè. Quia ei confertur duplex poteſtas; altera ad conſecrandum; & altera ad abſolvendum; ergo & duplex character. Patet conſequentia: quia character ipſe eſt poteſtas, ſeu phyſicæ entitati characteris annexuit Deus poteſtatem. Confirmatur, & declaratur: quia in Sacerdotio eſt duplex partialis Ordinatio, per quarum priorem confertur Ordinato poteſtas cõſ[e]crandi & per poſteriorem confertur poteſtas abſolvendi: ergo in vnaquaque confertur partialis character: aut in neutra imprimitur aliquis character. Patet conſequẽtia: non enim eſt maior ratio, quare in vna, quàm in alia imprimatur, aut non imprimatur. Recolantur dicta *à num. 38.* Hanc concluſionem defendit Scotus *diſtinct. 24. §. De tertio verſ. Sed in Sacerdotio, & §. Ad argumenta verſ. Ad ſecundum*: vbi concedit, *plures eſſe charatteres, & probabilius, quòd alterius ſpeciei.* Quamvis enim ibi ſolùm loquatur de characteribus impreſsis a diverſis Ordinibus, eius tamen ratio ęquè probat, ponendos eſſe partiales characteres, ſeu diverſos gradus eiuſ-

eiuſdem characteris, quando in eadem ordinatione plures partiales poteſtates reperiuntur. Subdit enim: *vt apparet ex actibus, ad quos iſti gradus diſponunt: qui gradus vel ſunt character, vel habent proprios characteres neceſſariò correſpondentes*: ergo ſentit, quòd, ſi in eadem Ordinatione multiplicantur actus; etiam characteres multiplicantur. Patet conſequentia: quia character eſt poteſtas ad Eccleſiaſticum actum circa Euchariſtiam congruè, vel ſimpliciter exercendum. Itèm defendunt noſtram concluſionem *Paludan. Bellarminus, & Ægidius, quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurtado diſſ.* 16.

63 Sed *Vazquez diſp.* 139. *n.* 57. *& diſp.* 140. *num.* 54. *Henriquez, Reginaldus, & Laimanus citati à prædicto Hurt.* dicunt, per priorem tantùm partialem Ordinationem imprimi characterē; per poſteriorem vero cōferri novam poteſtatē ad novum miniſterium. Quæ poſterior poteſtas non conſiſtit in novo charactere, ſed in extrinſeca denominatione diverſę deſtinationis, aut deſtinationis ad diverſum miniſterium; aut in modo reali intrinſeco ſuperaddito dicto characteri. In quo enim iſtorum conſiſtat hæc nova poteſtas, variant AA. huius ſententię. Pro qua ſententia obijcies contra noſtram. In Sacerdotis Ordinatione imprimitur duplex character? ergo ſunt plura accidentia ſolùm numero diſtincta in eodem ſubiecto, nempè characteres illi. Reſpondetur (omiſſo ſuppoſito conſequentis, id eſt, quod ſolùm numero differant illi characteres) concedendo: etſi enim ſit inconveniens, quod plura accidentia abſoluta, ſeu omninò ſimilia (vt duæ quantitates, aut duæ qualitates eiuſdem intenſionis) ſint in eodem ſubiecto: cùm enim vna præſtaret omninò idem, ac præſtat alia; vna illarum ſuperflueret: non tamen eſt inconveniens, quòd in eodem ſint plura accidentia relativa, ſeu quorum vnum præſtat ſubiecto aliquid, quod non præſtat aliud. Tunc enim vitatur ſuperfluitas. Quod confirmat inſtantia habentis plures filios; in quo Scotiſtæ admittimus plures relationes ſolùm numero diſtinctas: dicimusque, nullam illarum ſuperfluere: quia per vnam ſolùm refertur ad vnum filium; & per aliam ad alium determinatè. ¶ Contra: probabile eſt Scoto, quòd character ſit qualitas: vt dixi *in tractatu de Sacrament. in genere cap.* 4. *num.* 89. ergo tunc nequit multiplicari character. Reſpondetur negando conſequentiam: quia etiam ſi ponatur qualitas, debet ei ſuperaddi relatio, (ſivè realis, ſivè rationis) qua ſubiectum referatur ad illud miniſterium, ad quod Ordinatur.

¶ Obijcies ſecundò, in Ordinatione Sacerdotis confertur poteſtas abſolvendi per novū characterem diſtinctum à cha-

ſtere, quo ei fuerat collata poteſtas conſecrandi? ergo, ſi alicui ſolùm conferretur poteſtas, ſeu Ordinatio ad conſecrandum, non collata Ordinatione, per quam ei confertur character ad abſolvendum, non poſſet abſolvere à peccatis, adhuc in articulo mortis. Reſpondetur, ita eſſe.

64 Ex dictis à *num.* 62. infertur, etiam in Ordinatione Diaconi, Subdiaconi, & acolythi concedendos eſſe partiales characteres: quia in horum Ordinatione eſt duplex partialis Ordinatio, per quarū quamlibet Ordinatus deſtinatur ad novum miniſterium; iuxta dicta à *num.* 42.

De miniſtro Sacramenti Ordinis.

DVBIVM XXVII.

65 PEtes vigeſimoſeptimò, quæ ſint certa de miniſtro Ordinis? Reſpondetur, in primis eſſe certum, Ordinarium miniſtrum huius Sacramenti eſſe Epiſcopum. Quia ſic ſtatuit Concilium Florentinum; necnon & Tridentinum *ſeſ.* 23. *can.* 7. Secūdo eſt certum ex convenientia Authorum, non Sacerdotem non poſſe eſſe miniſtrum Ordinis, adhuc ex commiſsione Papæ. Tertiò eſt certum, etiam ex convenientia Authorum, ſolùm Papam poſſe committere Sacerdoti cōferri Ordines, adhuc minores. Quartò conveniunt AA. (contra Adrianum, & Maiorem citatos à Gaſp. Hurtado *diſſ.* 18.) poſſe Pāpam committere Sacerdoti adminiſtrationem Ordinum minorum. Quia de facto id conceſſum eſt Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis: & nunc temporis Cardinales Præsbyteri habent facultatē conferendi Ordines minores.

DVBIVM XXVIII.

66 PEtes vigeſimooctavò, an Sacerdoti nō Epiſcopo poſsit Pontifex committere facultatem cōferendi Ordines maiores? Reſpondetur negativè. Quia ſicut Sacerdos eſt determinatus miniſter abſolutionis; Epiſcopus ita eſt Ordinationis maioris: vt docent *Bellarminus, Henriquez, Suarez, Covarrubias, & Martinus Fornarius, quos citat, & ſequitur Bonacina de Sacramento Ordinis diſp.* 8. *q. vnic. punct* 4. Et ſatis colligitur ex vſu Eccleſiæ, quæ numquam hoc cōmiſit Sacerdoti non Epiſcopo. Hanc concluſionē defendit Scotus *d.* 24. §. *De tertio verſ. Et ſi circa. Item Ricardus, Silveſter, Covarrubias, & Bonacina, quos citat G. Hurt. diſſ.* 18. *Idem docet Villal. t.* 1. *tract.* 11. *diſſ.* 8. *n.* 3. *citans D. Th. & dicens, eſſe communem ſententiam Doctorum. Et à fortiori ipſam defendere tenentur Adrianus, & Maior.*

67 Vnde conſtat, non eſſe ſuſtinendam ſententiam *noſtri Aureoli, Angeli, Panormitani, Vazquez, & Ochogavia, quos citat, & ſequi-*

ſequitur G. Hurt. ibi: qui dicunt, Sacerdoti nō Epiſcopo poſſe Papam committere poteſtatē conferendi etiam Sacerdotium.

¶ Neque eſt ſuſtinenda ſententia ſupplemēti Gabrielis, & aliorum, qui ſolùm Sacerdotium ab hac poteſtate excludunt. ¶ Neque ſententia Franciſci Turriani, & aliorum apud Vazquez, qui dicunt, poſſe Papam committere poteſtatem Ordinandi Subdiaconum Sacerdoti non Epiſcopo. Igitur omnes hæ ſententiæ refutantur ex dictis pro noſtra.

68 Sed obijciunt nobis, quòd Innocentius VIII. conceſſit Abbatibus Ordinis Ciſterciēſis poſſe conferre ſuis ſubditis Ordines minores, necnō & Diaconatum, & Subdiaconatum. Cuius conceſſionis verba adducit Vazquez *diſp.243. num 39.* Reſpondetur, ſic conceſſiſſe ſequendo opinionem probabilem. Hac ratione aliquando diſpenſarunt Pontifices, vt monachus matrimonium duceret; (vt notant præcipuè noſter Villalobos *tom. 2. tract. 34. diff. 15. num. 3.*) licèt ſit opinio D. Thom. *2.2. quæſt. 88. art. 11. & aliorum*, (quos citat Villalob. *ibi num. 4.*) Papam non poſſe diſpenſare. Immò, quòd numquam diſpenſaverit Papa in hoc, quòd Sacerdotium conferatur à non Epiſcopo, maximè mihi perſuadet, id fieri non potuiſſe; vel ſaltèm, quòd quando conceſſerunt non Epiſcopo conferre Diaconatum, & Subdiaconatum, ſequuti ſunt opinionem, ſeu iudicium probabile: quod non ſunt auſi ſequi in ordinatione Sacerdotis propter ingentia incommoda, quæ naſcerentur, ſi fortè in re, alia opinio eſſet vera. Tunc enim non conſecraret in re, nec abſolveret à peccatis: &, ſi fieret Epiſcopus, nec benediceret chriſma confirmationis; nec Ordinaret aliquem in Sacerdotē. Quæ omnia incommoda cùm ceſſent, licèt in re non recipiat quis Ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus; ideò Pontifices conceſſerunt aliquando non Epiſcopo poteſtatem ad conferendum prædictos Ordines; non autē ſunt auſi, concedere poteſtatem cōferendi Sacerdotium, quamvis de hoc extet opinio probabilis.

DVBIVM XXIX.

69 PEtes 29. quot Epiſcopi requirantur ad Ordinationem Epiſcopi? Reſpondetur, requiri tres. Quia ita habetur in epiſtola Aniceti Papæ, vbi poſtquàm dixiſſet, D. Iacobum a D. Petro, Iacobo, & Ioanne fuiſſe Ordinatum Ieroſolimorū Epiſcopum, (id eſt aſsignatam fuiſſe illi eam regionem: in qua aſsignatione voluerunt ſervare id, quod à Chriſto Domino eis fuiſſe mandatum, creditur, in ordinatione Epiſcopi eſſe obſervandum) ſubdit. *Si autem non minùs quàm à tribus Apoſtolis tantus vir fuit Ordinatꝰ Epiſcopus; patet profectò,*

eos

eos formam, inſtituente Domino, tradidiſſe, non minùs quàm à tribus Epiſcopis Ordinari debere. Vnde patet, quòd Ordinatio pendet ab illis tribus ſimul concurrentibus per modum vnius miniſtri Ordinarij huius Sacramenti. Idem docet Damaſc. *epiſt.* 4. ſub his ver- *Quòd enim Epiſcopi non ſunt, qui minùs quàm à tribus ſint Ordinati Epiſcopi, omnibus patet.* Ita *Bellarminus, Vazquez, & Ægidius, quos citat, & ſequitur Gaſpar Hurtado diffic.* 19.

Dvbivm XXX.

70 PEtes 30. an tres Epiſcopi eſſentialiter requirantur ad Ordinationem Epiſcopi? Reſpondetur negativè. Quia pluralitas iſta ſolùm requiritur ad ſolemnizandum côſecrationem Epiſcopi. Prætereà in nullo alio Sacramento requiritur pluralitas miniſtrorum: ergo neque in iſto requiritur eſſentialiter. Adde quod D. Auguſtinus Cantuarienſis impetravit a Divo Gregorio Papa, quod ipſe Auguſtinus ſolus in Anglia poſſet Ordinare vnum, aut alium Epiſcopū, donec in illa provincia eſſent plures Epiſcopi, qui poſſent alios Ordinare. Inſupèr D. Clemens Romanus *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtolicarum cap.* 27. *aliàs* 33. poſtquàm dixiſſet, Epiſcopum Ordinandū eſſe a duobus, vel tribus, ſubdit. *Si neceſsitas coegerit, ab vno Ordinari* (ſcilicèt Epiſcopum) *quòd propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſunt, afferatur decretum commiſsionis plurium Epiſcoporum.* Hanc concluſionem defendunt *Palud. Silveſter, Armilla, & D. Antoninus citati à G. Hurt. diff.* 19. *Idem defendunt Vazquez, Ægidius, & ipſe Hurt.* dum côcedunt ex commiſsione Papę poſſe Epiſcopi côſecrationem ab vnico fieri, aſsiſtentibus alijs duobus Sacerdotibus loco aliorum Epiſcoporum.

71 Sed ad valorem Ordinationis Epiſcopi ad minùs requiri tres Epiſcopos, docent *Hoſtienſis, Gloſſa, & Bellarm. citati ab Hurt. ibi: vbi etiam citat Vazquez, & Ægid. quibus ipſe ſubſcribit*; quāvis poſteà cum Vazq. & Ægidio limitet hanc ſententiam, dicens, eſſentialiter requiri tres tamquā miniſtros Ordinarios; ex commiſsione tamen Papæ ſufficere vnum. Sed (quidquid ſit de cohærentia huius limitationis cum doctrina ab his auctoribus priùs tradita) obijcitur contra noſtrā concluſionem; quòd de facto illo D. Gregorij committentis D. Auguſtino Epiſcopo Cantuarienſi poſſe ſolum côſecrare alium in Epiſcopum, non ſatis conſtat: vt notant Ægid. *diſput.* 20. *num.* 92. & *G. Hurt. ibi.* Inſupèr non ſatis conſtat de auctoritate libri Conſtitut Apoſtolicarum. Reſpond. non facilè eſſe negandum factum illud Gregorij; cùm in multis Authoribus fidedignis reperiatur.

Idem

Idem dico de illo libro D. Clementis. Noſtra tamen concluſio nō præciſe nititur in iſtis: ſi enim horum auctoritas eſſet omnino certa, eſſet etiam omnino certa noſtra ſententia; ſed illis probabiliter tantùm adhæremus: & ideo negari nequit, noſtram cōcluſionem illorum probabilitatem participare. Igitur præcipuè nitimur in duplici illa ratione, nempè in paritate aliorum Sacramentorū, in quibus omnibus, & ſingulis vnicus aſsignatur miniſter: necnō & quòd multiplicatio iſta Epiſcoporum potiùs videtur neceſſaria ad auctoritatē actionis, quam ad valorem Sacramenti.

72 Objicies 2. vnus tantùm Epiſcopus eſt miniſter Ordinarius ad conſecrandū alium in Epiſcopū: ergo, ſi ſolus vnus cōſecraret, (etiam ſine cōmiſsione Papæ) teneret conſecratio. Reſp negando cōſequentiā: quia ſine delegatione eſt ſolùm miniſter partialis. Et ideò ſine commiſsione nihil faceret. Sicut plures portantes podus vnicuique illorū improportionatum, portant quidē illud, quando ſimul concurrunt; nihil tamen, ſi ſeorſim portare intendant. Et ſicut intellectus ſimul cum ſpecie impreſſa elicit intellectionem; ſecùs autem ſine illa; niſi aliàs Deus ſupplere velit concurſum ſpeciei.

¶ Objic. 3. quod Concilium Regienſe affirmat, Ordinationem Epiſcopi, quàm pauciores, quàm tres Epiſcopi faciunt, eſſe irritā. Reſp. Cōcilū iſtud fuiſſe provinciale: (tredecim Epiſcoporum; habitum anno 439. tēpore Sixti Papæ III. in Gallia Narbonēſi) & conſequenter nō fuiſſe æcumenicæ auctoritatis. Reſp. 2. verba concilij cap. 2. eſſe iſta: *De voluntate Domini placuit, remoto hoc, qui perperam aſſumptus erat Epiſcopus, &c.* Vnde non infertur, definire Conciliū, Ordinationē illius, qui à duobus tantùm fuerat Ordinatus Epiſcopus, fuiſſe nullam: quia non ſemel removetur, ſeu privatur officio, & beneficio ille, qui verè eſt Epiſcopus, Sacerdos, &c. Quare ex hoc, quod conciliū determinet, Epiſcopum à duobus tantùm ordinatum eſſe removēdum, hæc tantum disiunctiva infertur; aut quod eius Ordinatio fuit nulla; aut quod fuit irritanda: (quoàd forum externum, ſeu privando illum honore, & dignitate Epiſcopali) eo quod facta fuit cōtra ſacros Canones, qui diſponūt, Ordinationem Epiſcopi non fieri à paucioribus, quam à trib⁹ Epiſcopis. His favet Severinus Binius in notis ad Concilium Regienſe ſic locutus. *Ebredunienſis Epiſcopi Ordinatio à duobus tantùm Epiſcopis contra canones facta irritatur.*

¶ Reſpondetur tertio, meritò à concilio definitum fuiſſe, eſſe irritam: quia ſine auctoritate Papæ non tenet Ordinatio Epiſcopi facta à miniſtro partiali: totalis autem miniſter Ordinationis ex tribus Epiſcopis integratur.

Dubium XXXI.

73 Peteſ 31. an Epiſcopus hæreticus, excommunicatus, aut degradatus validè Ordines conferat? Reſpondetur affirmativè. Quia per nullum ex his aufertur ab ipſo, quod ſit verè miniſter Ordinis: (quamvis aliàs ab Eccleſia exercitium ei ſit prohibitum) ergo, ſi ponat neceſſaria, validè Ordinabit. Ita Scotus *diſt. 25. §. & verſ. De ſecundo D. Thom. in 4. diſt. 25. quæſt. 1. artic. 2. in corpore, Ægidius diſput. 20. num. 84. & communiter Theologi.*

¶ Sed oppoſitum dixerunt *Gratianus cap. 9. quæſt. 1. initio, & Pales, ſive Protopalea ibidem cap. 2.* Pro quo objicitur, quod PP. aliquando dicunt, Ordinatos ab huiuſmodi miniſtro potiùs fœdari, quàm conſecrari. Reſpondetur, ſolùm intendere, ab illis illicitè recipi Sacramentum Ordinis. ¶ Objicies ſecundò, PP. aliquando dicere, Ordinatos ab illis nō recipere poteſtatem. Reſpondetur, loqui de illo, qui in Ordinatione omittebat aliquid ex neceſſarijs, nempè materiā, formam, aut intentionem. Aut loquitur de Chorepiſcopis: qui nullo modo erant Epiſcopi, ſed eorum Vicarij: & conſequenter invalidè Ordines conferrent. De quibus loquitur Damaſcen. *epiſt.* 4. dicens: *Quòd enim Epiſcopi non ſint qui minùs quàm à tribus ſunt Ordinati Epiſcopi, omnibus patet.*

¶ Reſpondetur ſecundò, loqui de quibuſdam hæreticis, qui ſolùm nomine erant Epiſcopi; inſtar eorum qui nunc temporis in Anglia vocantur Epiſcopi: qui in re non ſunt Epiſcopi: cum fiant independenter à Romano Pontifice; ad quem ſpectat ſaltèm confirmare electum.

74 Notant AA. tàm hæreticum Epiſcopum conferentem Ordines, quàm illos recipientem (ſcienter) peccare. Epiſcopus (inquam) peccat: quia rem prohibitam exercet. Recipiens autem, quia communicat cum illo in ſacris: quod etiam eſt ſibi interdictum. Inſupèr vterque ipſo facto ſit irregularis. Et ob hoc fortè dicunt PP. non manere Ordinatum, qui ab hæretico Ordinatur, ſcilicèt quantùm ad licitū Ordinum exercitium.

Dubium XXXII.

75 Peteſ 32. an mortaliter peccet miniſter, qui ſub mortali exiſtens miniſtrat Ordinem receptum? Reſpondetur affirmativè, loquendo de miniſtratione, in qua confertur gratia: negativè autem, loquendo de miniſtratione, in qua gratia non producitur. Et ratio vtriuſq; eſt, quod, quando exercet actionē productivā gratiæ, debet ſe conformare in ſtatu ſanctitatis cum ipſo authore gratiæ. Secus autē, quando exercet actionē, quæ non eſt

eſt productiva ſanctitatis, aut gratiæ. Vt latè dixi *in tractatu de Sacrament. in genere cap. 3. à num.* 91. Vnde infertur, miniſtraturum Ordinem, in cuius adminiſtratione producitur gratia, qui alias, ſentit ſe eſſe ſub mortali, debere, aut elicere ſupernaturalem contritionem, ſeu dilectionem Dei ſuper omnia; aut confiteri: quia vtroque modo acquiritur gratia. Notant tamen, ſolùm eſſe neceſſarium confeſſionem Sacramentalem ad receptionem Euchariſtiæ. Quare ad cuiuſcumque Sacramenti dignam adminiſtrationem ſufficit elicere contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia: quia ſic poteſt tranſire peccator ad ſtatum gratiæ: & alias non eſt admittenda obligatio ſine præcepto. De confeſsione autem communioni præmittenda extat præceptum in Tridentino *ſeſsione* 13. *cap.* 7.

76 Diximus, peccare mortaliter eum miniſtrum, qui exiſtens ſub mortali, exercet actionem productivam gratiæ: ſecùs autem ſi actio, quam exercet, non eſt productiva gratiæ. Pro plena autem horum intelligentia aliqua ſunt in ſpeciali declaranda, quæ ex prædicta concluſione inferuntur.

(.·.)

De Sacerdote.

77 Igitur infertur primò, Sacerdotem exiſtentem ſub mortali peccare mortaliter, dum abſolvit, baptizat; confert extremam vnctionē; & celebrat. Quia in quacumque harum actionum producitur gratia: vt nulli eſt dubium. Solùm noto, quod in celebratione productio gratiæ eſt concedenda in ſumptione. Et ideo non peccat, eo quod celebrat ſub mortali; ſed quia communicat. Neq; peccat, quia conſecrat: quia etſi per hanc actionem ponat Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus; per illam tamen nulli applicatur ſanctitas, aut nullius fit ſanctificatio. ¶ Dices: Sacerdos ponit tunc Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus: ergo tanta actio petit ſanctitatē in miniſtro. Reſpondetur negando conſequentiam: aliàs, quando portatur, ſeu manibus tractatur Chriſtus D. ſanctitas requireretur.

De Epiſcopo.

78 Infertur ſecundò, Epiſcopū peccare mortaliter, ſi eſt ſub mortali, dum Ordines confert. Quia collatio Ordinis eſt actio productiva gratiæ. Solùm noto, hoc eſſe omnino certum loquendo de Ordinatione alicuius in Sacerdotem: quia ſine controverſia eſt Sacramentum Ordinatio Sacerdotis. De collatione

au-

autem aliorum Ordinum, tàm minorum, quam maiorum non eſt ita certum. Qui enim dicat, aliquem ex Ordinibus maioribus, vel minoribus, aut Epiſcopationem non eſſe Sacramentũ; (iuxta dicta *à num.* 22.) dicet cõſequenter, Epiſcopum exiſtentem ſub mortali non peccare cõferendo prædictum Ordinem, ſeu exercẽdo talem Ordinationem. Quia tamen nos *à num.* 22. ſtatuimus, collationem cuiuſcumque Ordinis (etiam minoris; necnon & Epiſcopationis) eſſe verum Sacramentum: ideò in præſenti affirmamus, Epiſcopum exiſtentem ſub mortali mortaliter peccare quamcumq; Ordinationem (etiam minorem, necnon, & Epiſcopationem) exercendo.

79 Infertur tertiò mortaliter peccare Epiſcopum, ſi confirmationẽ conferat ſub mortali. Quia illa actio eſt collativa gratiæ.

¶ Idem dico de Sacerdote, qui ex commiſsione Papę confirmaret: quod poſſe fieri dixi *in tract. de Confirmatione num.* 54. ¶ Contra: ergo etiam peccat laicus, qui exiſtens ſub mortali baptizat in caſu neceſsitatis. Reſpon. ita eſſe: quod Ægidius *q.* 64. *n.* 37. probabile iudicat. Reſpõdetur ſecundò negando: quia laicus nõ eſt miniſter ſpecialiter ſanctificatus, ſeu non accipit characterem, & gratiam ad baptiſmum dignè adminiſtrandum. ¶ Dices: neque Sacerdos accipit characterem, & gratiam ad confirmandum, ſed hanc poteſtatem habet à cõmiſsione Papæ: ergo neque peccabit confirmando. Reſpondetur diſtinguendo: proximè concedo: remotè, nego. Itaque licèt Sacerdos per characterem Ordinis Sacerdotalis ſolùm non poſsit adminiſtrare confirmationem; ſed requiratur adhuc ſpecialis, & expreſſa commiſsio Papæ: iſta tamen commiſsio ſolùm poteſt committi Sacerdoti: ſicut facultas abſolvendi à peccatis. Quare character Sacerdotalis datur etiam (licèt remotè) ad confirmandum: ſicut & ad abſolvendum. Quod nullo modo habet character baptiſmalis, quo quis fit Chriſtianus; qui neque remotè datur ad cõferendum baptiſmum: cùm iſte poſsit conferri etiam à Gentili.

80 Infertur quartò, non peccare Epiſcopum, qui exiſtens ſub mortali, confert primam tonſuram. Quia hæc non eſt Sacramẽtum: (vt enim dixi *n.* 13. non eſt Ordo: & conſequenter neque Sacramentum) ac per conſequẽs actio collativa primæ tonſuræ non eſt productiva gratiæ. Idem dicendum eſt de Epiſcopo conſecrante chriſma ad confirmationem, & ordinem, aut oleum ad extremam vnctionem, &c. hoc enim non eſt conficere Sacramentum, ſed materiam Sacramenti confirmationis, &c. Idem inſupèr eſt dicendum de Epiſcopo conſecrante Eccleſiã,

araſ, &c. Et à fortiori de Sacerdote benedicente corporalia, veſtes ſacras, &c.

De Diacono, & Subdiacono.

81 INfertur quintò, Diaconum, & Subdiaconum exiſtentes ſub mortali non peccacare ſua munera exercẽtes. Quia illæ actiones non ſunt productivę gratiæ. ¶ Dices: ergo ſaltèm peccabit Diaconus adminiſtrans Euchariſtiam (quando ipſi licèt. Recolantur dicta *num.* 12.) ſub mortali. Reſpondetur negando: quia ipſe non exercet actionem productivam gratiæ, ſeu non cõficit Sacramentum; ſed ſolùm applicat iam factum. Gratia autem tunc producitur non in applicatione miniſtri ad os; ſed in applicatione ipſius communicantis ad ſtomachum, ſeu in ſumptione, (vt communiter dicitur)

De miniſtrante Ordines minores.

82 INfertur ſextò, nullum committi peccatũ in adminiſtratione Ordinum minorum, quando miniſter eſt in mortali. Quia tunc non efficitur Sacramentum, ſeu nõ fit actio productiva gratiæ. ¶ Sed noſter Fabro *in* 4. *diſtinct.* 24. *quæſt.* 1. *diſputat.* 1. *num.* 80. oppoſitum defendit; (ſi credendum eſt Dianæ 3. *part. tractatu* 4. *Reſol.* 196.) *& citat Angelum, & Silveſtrum:* & obijcitur pro illo: in ordinatione Ordinum minorum miniſter recipit gratiam, & characterem ad ſua munera digne adminiſtrãda: ergo peccat abvtendo prædicta gratia. Reſpondetur negando conſequentiam: quia illæ actiones non ſunt effectiones Sacramentorum; ſeu potiùs quia non ſunt productivæ gratiæ. Et, ſi cõſequentia aliquid valeret, concluderet, illum, qui eſt in gratia, peccare duplici peccato, quãdo præceptum frangit in re gravi, nempè & quia tranſgreditur præceptum; & quia abvtitur gratia habituali recepta; immo & etiam quia abvtitur gratia oblata, ſeu auxilijs; quæ Deus ſemper offert, ne eius præceptum tranſgrediatur homo..

De miniſtro conficiente Sacramentalia.

83 INfertur ſeptimò, nullum miniſtrum conficientẽ Sacramentalia ſub mortali exiſtentem peccare mortaliter. Quia per nullam talem actionem producitur gratia ex opere operato in recipiente Sacramentale. Quare non peccat, qui exiſtens in mortali chatechiſmum ad Baptiſmũ præcedentẽ cõfert; neque qui baptiſterium, ſeu aquã ad Baptiſmũ benedicit, &c.

De

De prædicatore, & lectore.

84 INfertur octavò, à fortiori non peccare prædicatorem, qui in mortali occulto exiſtens, prædicat: neque lectorem Theologiæ. Quia per hoc alijs non adminiſtrat gratiam ex opere operato. Ita communior ſententia: licèt pro oppoſita (quantum ad prædicatorem) Diana 3. *part. tract.*4. *Reſol.* 197. *citet D. Thom. Palud. Caiet. Navarrum, & Angelum.* Vbi addit, non eſſe mortale legere Theologiam, etiam in peccato publico, dummodo abſit ſcandalum: quãvis pro oppoſita ſententia citet *D. Thom. Paludanum, Angelum, & Silveſtrum.*

De ſubiecto capaci Sacramenti Ordinis.

DVBIVM XXXIII.

85 PEtes 33. an fœminæ ſint capaces Sacramẽti Ordinis? Reſpondetur negativè. Quia ſic diſpoſuit Chriſtus Dominus. Cuius inſtitutionis *argumentum evidens accipitur, quia Chriſtus Dominus, nec matrem ſuam poſuit in aliquo gradu Ordinis in Eccleſia*: inquit Scotus *diſtinct.*25. *quæſt.*2. §. *Hic breviter verſ. Nunc autem*: vbi ſubdit. *Ratio autem naturalis huic dicto conſonat, quam Apoſtolus innuit* 1. *ad Chorint. cap.* 11. *nam natura non permittit, mulierem (ſaltem poſt lapſum) tenere gradum eminentem in ſpecie humana: ſiquidem eſt dictum ſibi in pœnã peccati ſui Gen.* 2 *ſub viri poteſtate eris.* ¶ Sed obijcit ſibi Scotus, *quod* 1. *ad Chorint.* 2. dicitur, *docere mulierem non permitto*: ergo nõ eſt de iure divino, ſed humano: & conſequenter nõ eſt incapax, ſed ſolum humana diſpoſitione impedita. Reſpond. negando conſequentiam: *quia non eſt dictum Apoſtoli tamquam ſtatuentis*: (verba ſunt Scoti) *ſed non permitto; quia nec Chriſtus permiſit.* ¶ Obijcies ſecundo, quod in aliquibus textibus fit mentio Diaconiſſæ, & Presbyteriſſæ. Reſpondetur, Diaconiſſam ibi vocari illam, cuius vir, ſeparatione facta quoad thorum, tranſierat ad Diaconatum. Similiter vocabatur Preſbyteriſſa, Subdiaconiſſa, & Epiſcopiſſa: vt notat Gaſp. Hurt. *diſſ.* 20. *ſecutus Vazq. diſput.* 245. & *Laimanum cap.* 6. Reſpondetur ſecundò, cum Scoto *diſtinct.* 25. *quæſtione.*2. §. *Ad argumenta verſ. Ad ſecundum*, quod forte in Græcia vxor Presbyteri poteſt dici Presbyteriſſa, vbi Sacerdotes licite vtuntur matrimonio priùs cõtracto. Sed apud nos Latinos, vbi caſtitas, non coniugalis, ſed ſimpliciter, eſt Ordini annexa, Presbyteriſſa poteſt dici aliqua bona matrona vidua, vel perfecta inter alias mulieres. Vel fortè in collegio illa, quæ præeſt omnibus alijs, vt Abbatiſſa inter mo-

niales : ſed iſta non habet per hoc gradum altiorem Ordinis;immò nec præeminentiam reſpectu alicuius viri. Coſimiliter poteſt dici ad illud de Diaconiſſa, quod illa, cui cõpetit ex Ordinatione Abbatiſſæ, vel collegij legere homiliam in matutino, poteſt dici Diaconiſſa. Hucuſque Scotus.

¶ Obijcies tertio, quod *ad Galat.* 3. in Chriſto Ieſu non eſt diſtinctio, ſeu diſcrimen perſonarum. Reſpondetur, loqui quantum ad iuſtificationem, ſeu conſequutionem vitæ æternæ : non autem loquitur quantum ad gradus, & honores Eccleſiæ.

86 Infertur ex concluſione, fœminam non poſſe (etiam ex ſpeciali Papæ commiſsione) recipere Ordines minores. Quia iſti ſunt verum Sacramentum Ordinis: vt conſtat ex dictis *à num.* 22. Fœmina autem eſt incapax Sacramẽti Ordinis; ex numero precedenti. Ita *Vazq. Laimanus, & Ægidius apud G. Hurtado diſſ.* 20. & defendere tenentur quotquot affirmant, Ordines minores eſſe Sacramenta. Immò, & qui hoc negant, dummodo alias affirment, Ordines minores non fuiſſe inſtitutos ab Eccleſia, ſed a Chriſto Domino : ſi enim Eccleſia non ſentiret, fœminam iure diuino eſſe incapacẽ Ordinis, alicui ſanctiſsimæ fœminæ Ordinationem alicuius Ordinis minoris contuliſſet. Igitur, cùm nec Chriſtus Dominus matri ſuæ hoc conceſſerit; neque Eccleſia alicui alteri; apertè videtur inferri, fœminas omnino huius honoris eſſe incapaces. Quæ ratio etiam probat, fœminam non poſſe recipere primam tonſuram. Quod & docent *Vazquez, Laimanus, & Ochogavia apud Hurtado diſſ.* 20. quamvis oppoſitum ipſe defendat ſequutus Paludanum.

87 Infertur ſecundò, illum hermaphroditam, in quo ſexus fœmineus prævalet, eſſe incapacem Ordinis minoris. Secus autem, ſi in illo prævaleat ſexus virilis. (Suppono *ex tractatu de Irregularitate*, eſſe irregularem.) Quia prior eſt propriè fœmina; poſterior verò propriè eſt homo. Sin autem æquè inclinet in vtrumque ſexum, etiam eſt incapax Sacramenti Ordinis : quia non eſt propriè homo. Ita Villalobos *tract. de Sacrament. Ord. diff* 10. *num.* 2. *ſecutus Silveſtrum, Navarrum, & Suar.*

Dubium XXXIV.

88 Petes 34. an non baptizatus ſit capax recipiendi Ordines ? Reſpondetur negativè. Quia Baptiſmus eſt ianua Eccleſiæ, eiuſque Sacramentorum. Sed Ordo eſt Sacramentũ: ergo, qui nõ recepit baptiſmũ nõ eſt capax recipiendi Ordinem. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt indubitata : minor autem conſtat ex dictis *à num.* 22.

&

& loquendo ſaltèm de Sacerdotio eſt certa de fide: vt conſtat *ex num.* 9 loquendo autem de Ordinibus minoribus, immò & de Subdiaconatu, Diaconatu, non eſt ita certa. Sunt enim qui negent, eſſe Sacramentum. (Recolantur dicta *à num.* 23.) qui fortè poſſent conſequenter affirmare, poſſe ex diſpenſatione Papæ non baptizatum recipere omnes illos Ordines, qui non ſunt Sacramenta. Quod, quamvis nobis non probetur: cùm affirmemus *num.* 22. etiam Ordines minores eſſe Sacramenta; evidenter tamen illud non poſſumus impugnare, aut oppoſitum convincere.

Dvbivm XXXV.

89 PEtes 35. an baptizatus, qui non pervenit ad vſum rationis, ſit capax recipiendi Sacramentum Ordinis? Reſpondetur affirmativè. Quia ſicut validè baptizatur, & confirmatur; ita validè Ordinatur. Ita Scotus *diſtinctione* 25. *in fine*, *D. Thom. eadem diſtinct. quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 2. *Vazquez diſputatione* 246. *Gaſp. Hurtado diff.* 21. *& communiter Doctores.* Et loquendo de Ordinibus minoribus, & Subdiaconatu expreſsè ſupponitur *in cap vnico de Clero promoto per ſaltum* per hæc verba. *Puer minoribus Ordinibus Ordinatus non debet iterum Ordinari.* Eſtque eadem ratio de Ordinato in Sacerdotem; immò & in Epiſcopum; necnon & de initiato Ordinibus minoribus, nempè quod in ſuſceptione cuiuſcumque imprimitur character: (vt dixi *num.* 24) qui eſt poteſtas, ſeu ſignum poteſtatis adminiſtrandi in Ordine recepto. ¶ Dices: ad recipiendum Ordinem requiri vſum rationis, vt character iſte Ordinis imprimatur. Reſpondetur negando: eſtque difficillimum aſsignare rationem, quare character Baptiſmi, & Confirmationis non requirant vſum rationis; benè tamen character Ordinis. (ſecundùm adverſarios)

90 Sed *Durand. diſtinctione* 25. *quæſtione* 2. *& Petrus Sotus de Inſtitutione Sacerdotum lect.* 5. oppoſitum defendunt. Pro qua ſententia obijcies: nullum Sacramentum poteſt recipi ſine voluntate aliena, vel propria ſaltèm interpretativa recipientis. Sed ad recipiendum Ordines non ſufficit aliena: & aliàs propria non poteſt interpretari: cùm iſte iam adultus fortè non velit eſſe Eccleſiaſticus: ergo parvulus non eſt capax Ordinationis. Quòd autem non ſufficiat voluntas aliena probatur: quia congruum videtur ſufficere in Baptiſmo: quia eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem; & aliàs eſt Sacramentum deletivum peccati, quod aliena voluntate fuit contractum, ſed neutrum iſtorum

reperitur in Sacramento Ordinis: ergo nulla eſt congruentia, vt dicamus, ſufficere ad eius receptionem voluntatem alienam. Reſpondetur negando maiorē, cum Vazquez *ibi num.* 13. & videtur apertè colligi ex Scot. *in* 4. *diſt* 4. *q.* 2. §. *Ad quæſtionē verſ. Ad ſecundum*: vbi affirmat, parvulum non baptizari in fide parentum; immò neque Eccleſiæ, &c. ¶ Obijcies ſecundò, quòd ly *Accipe poteſtatem*, *&c.* denotat actionem, ſeu acceptationem recipientis: ergo requiritur conſenſus recipientis: quia ſine iſto non datur actio humana. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dico, quòd illa actio, ſeu tangentia materiæ facta à parvulo non erit moralis, aut humana, ſeu meritoria; erit tamen ſufficiens ad valorem Sacramenti.

91 Eodem modo, ac de parvulo, loquendum eſt de amēte, qui numquam vſus eſt ratione. De illo autem, qui aliquando vſus eſt ratione, exiſtimat Ægidius *diſputatione* 20. *num.* 100. non poſſe validè Ordinari: quia reputatur, eſſe in habituali voluntate non recipiendi Ordines. Quod verum iudico, ſi antequam incideret in dementiam, habuit voluntatem non recipiendi Ordines: in qua, dùm dementia perſeverat, merito reputatur permanere. Sin verò ante dementiam nullum actum circa non receptionem Ordinum elicuit, non video, cur non poſſit validè Ordinari: tunc enim reputandus eſt, ſicut parvulus, qui ad vſum rationis non pervenit: aut ſicut perpetuo amentes; in quibus nullus conſenſus requiritur: vt conſtat ex nupèr dictis. ¶ Hinc infertur, etiam parvulum, aut amentem poſſe validè conſecrari in Epiſcopum. Quia Epiſcopatio ſecundum id, quod addit ſupra Sacerdotium, eſt Ordo, & Sacramentum, ac imprimit characterem: qui eſt poteſtas vtendi tali munere in Eccleſia. Recolantur dicta *num.* 9. 14. *&* 30.) Sed parvulus, & amentes poſſunt recipere Sacramentum Ordinis, & eius characterem: (vt conſtat ex nuper dictis) ergo validè poſſunt conſecrari in Epiſcopos. ¶ Dices: parvulus (& amens) non poteſt validè contrahere matrimonium: ergo neque fieri Epiſcopus. Patet conſequentia: Epiſcopus enim contrahit matrimonium cum Eccleſia ſibi tradita. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dico, illud matrimonium non eſſe verum, ſed ſimilitudinarium.

De requiſitis ex parte Ordinandi.

DVBIVM XXXVI.

92 PEtes 36. an ex parte Ordinandi aliquid ab Eccleſia ad debitam, ſeu congruentem Ordinationem ſit requiſitum? Reſpondi affirmativè. Requiritur enim congrua ætas: item ſcientia; non habere interſtitia; beneficium, aut patrimonium, & quod Ordines certis temporibus conferantur. Quæ omnia ſingilatim ſunt declaranda.

De ætate.

93 TRidentinum *ſeſsione* 23. *cap.* 4. *de Reformatione* requirens certam ſcientiam in illo qui recepturus eſt primam tonſuram inſinuare videtur, in eo ætatem novem annorum eſſe illi neceſſariam: etenim ante novenum annum certa ſcientia regulariter non datur. Pro minoribus autem Ordinibus videtur inſinuari ætas duodecim annorum. Sed in his viui eſt ſtandum. ¶ In cap. autem duodecimo expreſsè determinatur, quod nullus ad Subdiaconatum ante vigeſimum ſecundum; ad Diaconatū ante vigeſimum tertium; & ad Præsbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur. ¶ Notant autem communiter ſufficere, primam diem vltimi anni attigiſſe. Tùm quia ſic verificatur, habere prædictum annum ſaltèm inchoativè. Tùm quia eſt materia odioſa: odia autem ſunt reſtringenda.

94 Nota, hoc decretum Tridentini etiam cōprehendere Regulares; vt declarat idem Concilium, non obſtantibus eorū privilegijs. Quare revocatum manet privilegium nobis Minoribus conceſſum ab Innocentio VIII. vt Generalis, & Provincialis poſſent diſpenſare; vt eorum ſubditi poſsint, completo anno vigeſimo ſecundo, ad Preſbyteratum promoveri. Et quamvis Pius V. voluerit, vt Mendicantes, non obſtante Tridentino, vterentur ſuis privilegijs, tamen Gregorius XIII. id revocavit per motum proprium. Et licèt ipſemet Gregorius XIII. reſtituerit Mendicantibus ſua privilegia; (vt Cardinales congregationis Tridentini referunt) tamen hoc ſolùm fuit ad forum conſcientiæ: & ob hoc non poſſunt vti d'cto privilegio diſpenſandi in ætate ad Præsbyteratum requiſita: quia hoc videtur ſpectare ad forum exterius, cùm ipſi non Ordinent ſuos ſubditos; ſed ipſos mittant cum ſuis dimiſſorijs ad Epiſcopos. Hæc omnia dicit Gaſp. Hurtado diffic. 21. ex Vazquez *diſputatione* 236. *à num.* 42.

¶ Ego autem exiſtimo, hac tem-

poſtrare nullo modo poſſe Regulares vti dicto privilegio, ſaltèm ex eo capite, quòd conceſsio Pij V. (qua concedit, Mendicantes poſſe in foro conſcientiæ vti ſuis privilegijs, etiam contra Tridẽtinum) eſt vivæ vocis oraculum, teſte noſtro Emanuele Rodriguez *in qq. Regul. tom. 1. q. 8. art. 9.*

¶ Exiſtimo, etiã eſſe vivæ vocis oraculum reſtitutionem privilegiorum Mendicantium factam à Gregorio XIII. Omnia autẽ vivæ vocis oracula annullaſſe Gregorium XV. & Vrbanum VIII. dictitant. Immò per conſtitutionem noſtri Sixti V. contra malè promotos (quæ incipit *Sanctum, & ſalutare*) revocata manet conceſsio Pij V. vt advertit noſter Villalobos *diff.* 11. *num.* 8. Et idẽ dicendũ eſt de conceſsione Gregorij XIII. & de quacumque alia antecedenti.

94 Notant communiter, eũ, qui mala fide, vel temerè Ordinatur ante legitimam ætatem à Tridentino præſcriptam, ipſo facto incurrere ſuſpenſionem poſitam à Pio II. quam Sixtus V. auxit, & cõfirmavit Clemens VIII. ¶ Dixi autem conſultò *mala fide, vel temerè*: hoc enim denotat ly *præſumpſerit* poſitum in prædicta conſtitutione. Quare AA. cõmuniter excuſant eum, qui bona fide Ordines ſuſcepit ante legitimam ætatem.

Dvbivm XXXVII.

95 PEtes 37. an, qui bona fide Ordinatus eſt ante legitimam ætatem, ſi poſteà id cognoſcat, poſsit ante legitimã ætatem ſine peccato celebrare? Reſpondetur affirmativè. Quia concilium ſolùm prohibet Ordinationem ante ætatem à ſe præſcriptam, non autem exercitium Ordinis, qui ſine peccato eſt receptus: ergo non eſt extendendũ. Patet conſequentia: quia odia nõ ſunt extendenda, ſed potiùs reſtringenda. Ita *Navarrus, cuius ſententiam probabilem reputat Ledeſma in ſumma tom. 1. de Sacrament. Ordinis cap. 7. concl. 1.*

¶ Sed oppoſitum defendit noſter Villalob. *tom. 1. tractatu 11. diffic. 11. num. 7. cuius ſententia communis eſt, & practicatur, teſte Diana 3. part. tract. 4. Reſolut.* 182. Pro qua ſententia obijcitur: in iure eſt prohibita Ordinatio ante legitimam ætatem: ergo & exercitium Ordinis. Reſpondetur negando conſequentiam: talis enim prohibitio eſt materia odioſa: (vtpotè tollens libertatẽ Ordinandi) & conſequenter potiùs reſtringenda, quàm extendenda. ¶ Obijcies ſecundò, qui bona fide ſuſcepit Ordines ante legitimam ætatem, poteſt ante illam celebrare ſine peccato etiam poſtquàm id cognoverit? ergo qui mala fide fuit Ordinatus poterit ſine culpa exer-

exercere ordines, ſi abſolutus fuit à ſuſpenſione. Reſpondetur negando conſequentiam: quia mala illa fides in radice, ſeu in Ordinatione impedit adhuc poſt abſolutionem. Alias, ſi nō impediret, daretur occaſio peccandi, ſeu recipiendi Ordines ante ætatem præſcriptam. Quod non ſequitur in noſtro caſu.

96 Ex noſtra concluſione infertur, eum, qui bona fide fuit ordinatus ante legitimam ætatem, non incurriſſe ſuſpenſionem impoſitam contra promotos ante legitimam ætatem. Neque incurrit irregularitatem (ſi poſteà celebret) impoſitam contra illū, qui celebrat exiſtens ſub aliqua cenſura. Quia vbi non eſt culpa, nulla ex his, aut alijs pœnis incurri poteſt. Ita *Portel, Miranda, Filliucius, Suarez, & G. Hurt. quos citat, & ſequitur Diana 3. p. tract. 4. Reſ. 182.*

De Scientia.

97 SVppono, illiteratum eſſe irrigularem, id eſt, inhabilem ad licitè ſuſcipiendum Ordines. Et ideo Tridentinum *ſeſ. 23. cap. 4 de Reformat.* dicit, quòd recepturus primam tonſuram ſciat legere, & ſcribere: recepturi autem Ordines minores *linguam Latinam intelligant.* Ita *cap. 14.* Et addit: *atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accreſcat.* Agendo autem de Subdiacono, & Diacono petit in eis ſcientiam ad ſuum miniſterium neceſſariam. ¶ Præcipit deniq̄, vt Præsbyteri ſint idonei *ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examinatione præcedenti, idonei comprobentur.* Quæ verba ſi ſtrictè forent accipienda, ſtrictiùs forent examinandi Sacerdotes. Sed iam fert vſus, vt ſufficiens reputetur etiam ad Sacerdotiū, qui mediocrem notitiam habet linguæ latinæ; necnon & materiarum, & formarum Sacramentorum. ¶ Immò notat noſter Villalobos *tom. 1. tract. 21. diff. 34. nu. 5.* minorem ſcientiæ notitiam requiri in religioſo, quàm in ſæculari. Tùm, quia degunt in cōmunitate, in qua nullus error incorrectus evadit. Tùm quia nō ordinantur in curam animarum. Quare dixit D. Hier. apud Villalobos ibi *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium.* Vbi multa ſcitu digna dicit prædictus Author: inter quæ affirmat, ſecurè poſſe Epiſcopum acquieſcere litteris Prælatorum, in quibus fidem faciunt, Ordinandum ſufficienti ſcientia pollere.

De Interſtitijs.

98 TRidentinum *ſeſ. 23. cap. 11.* aſsignat interſtitia, ſeu intervalla temporis decurrēda inter receptionem duorum Ordinum Maiorum: minores

enim ſimul iam conferuntur in Hiſpania, vt communis vſus Epiſcoporum manifeſtat. Igitur requirit Concilium, quòd integer annus mediet inter receptionem Diaconatus & Præsbyteratus. Idemque inter Subdiaconatus, & Diaconatus receptiones præſcribit. Relinquitur tamen Epiſcopi iudicio, vt in interſtitijs diſpenſet, prout neceſsitas, vel vtilitas Eccleſiæ poſtulaverit.

Dvbivm XXXVIII.

99 PEtes 38. an, annus, qui inter duos Ordines fluere debet, ſit Solaris? (qui continet 366. dies, & ſex horas: iſtæ autém in anno viſſextili non reperiuntur) an vero Eccleſiaſticus? Nempe qui fluit inter duas celebrationes eiuſdem feſti mobilis: v.g. inter Quadrageſimam huius, & præteriti anni. Reſp. ſufficere annum Eccleſiaſticum, quia odia ſunt reſtringenda. Secúdò, quia extat declaratio quædam, quam ex Farinacio affert noſter Villalobos *diff. 12. n. 6* & eſt huiuſmodi. *S. D. N. ex ſententia Congregationis dixit, attendendum eſſe curſum quatuor dictorum interſtitiorum; Non autem tempus duodecim menſium completorum.*

100 Benè notant *Villalobos ibi, n. 8. & F. oannes de la Cruz in Epitome lib. 2. c. 4. §. Secundo ſequitur*, quòd licèt Gregor. XIII. expreſſit, non eſſe communicandum ab alijs Religionibus privilegium diſpenſandi in interſtitijs, quod ipſemet conceſſerat Generali, & Provincialibus Societatis Ieſu. Hoc tamen non obſtante dictum privilegium participant aliæ Religiones. Quia Clemens VIII. ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis confirmat noſtra privilegia; qua confirmatione non ſolùm confirmat, ſed etiam innovat omnes conceſsiones, & Privilegia conceſſa a Sede Apoſtolica; etiam ſi ab aliquo Pontifice fuerint revocata. Præterea Gregorius XIIII. Bulla III. conceſsit Ordini Ciſtercienſium cómunicationem Privilegiorum Societatis Ieſu; etiam ſi ſpecialem, & individuam requirant mẽtionem, ac particularem inſertionem. Idem Pontifex idem conceſsit Ordini Crucifigerorum. Quare, cùm nos, & aliæ Religiones communicemus in privilegijs, in prædictis communicamus, & conſequenter communicamus, ſeu habemus participationem dicti privilegij Societatis: ac per conſequens noſtri Provinciales diſpẽſãt interſtitia.

De Beneficio, & Patrimonio.

101 TRidentinum *ſeſ. 21. c. 2 de reformatione* Statuit, *ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate ad ſacros ordines promoueatur, niſi prius* le-

legitimè conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſsidere. Id verò beneficium reſignare non poſsit, niſi facta mentione, quòd ad illius beneficij titulum ſit promotus, nec ea reſignatio admittatur, niſi conſtet, quod aliundè commodè vivere poſsit. Et infra *Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac, non poſsint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicaverit aſſumendos pro commoditate, vel neceſsitate Eccleſiarum ſuarum: eo que priùs perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri; taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſit, atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenùs poſsint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, vnde vivere poſsint. Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.*

102 Hinc inferunt AA. tàm ordinatum, quam Epiſcopum Ordinantem peccare, ſi contra formam huius decreti faciant; quod peccatum erit mortale, quia materia eſt gravis. Immò, Ordinatus Incurrit ſuſpēſionem poſitam in capite *Nemo d* 7. Nō tamen maneret ſuſpenſus, ſi diſtraheret patrimonium; quia ſuſpenſio ſolùm eſt poſita contra eum, qui ſe ordinat, ſine patrimonio, *vt cum Gutierrez, & Salcedo aſſerit Villalobos. diff.* 15. *num.* 7. ¶ Inferunt etiam, Religioſos profeſſos ſine alio titulo poſſe Ordines recipere: vt colligitur ex ly *Clericus ſæcularis*; & Ordinavit Pius V. in quacam conſtitutione anno 1568. Immò idem conceſsit Gregorius XIII. Religioſis Societatis Ieſu, qui tria vota emiſerunt.

Dvbivm XXXIX.

103 PEtes 39. an Ordinatus cū Patrimonio ficto (nempè dato, vt poſt Ordines, illud reſtituat danti) incurrat ſuſpenſionem? Reſpondetur negativè. Quia pactum illud de reſtituendo, vel reddendo patrimonium eſt nullum, vel ſaltèm reſcindibile: (iuxta diverſas ſententias) ergo eſt verè patrimonium: ergo, qui ad eius titulum Ordinatur, non Ordinatur ſine Patrimonio; & conſequentèr non incurrit ſuſpenſionem poſitā contra Ordinatum ſine Patrimonio. Ita *Ledeſma, & Villalobos*, *quos ſequitur Diana* 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 184. ¶ Sed oppoſitum detendūt *Avila, & Ioannes de la Cruz, qui citat Cordubam, & Lopez.* Pro qua ſententia obijcitur: illa donatio eſt conditionata; ergo Ordinatus tenetur illam reſtituere: ergo manebit Ordinatus ſine patrimonio. Reſpondetur negando conſequentias: primam, (inquam) quia eſt contra diſpoſitionem iuris; quare Ordinatus non poteſt in conſcientia talem redditionem facere, ſibique imputet, qui fraudulentèr ita donavit

Pa-

Patrimonium : ius enim meritò diſpoſuit, vt, in pœnam peccati, quo voluit fallere Epiſcopũ Miniſtrum Eccleſię, privaretur prædicta quantitate donata.

104 Notant AA. *ex cap. Cùm Secundò*, Epiſcopum teneri ad ſuſtentandum Ordinatum, qui ſine aliquo indecenti exercitio degere non poteſt. Si tamen aliquis carens beneficio, aut Patrimonio congruo (iudicium iſtius congruitatis, ſeu ſufficiẽtiæ pertinet ad Epiſcopum) faceret pactum cum Epiſcopo ſe nunquam alimenta ab ipſo petiturum, & hoc pacto ille Ordines maiores reciperet, talis Ordinum collatio eſſet Simoniaca; vt ex Salcedo, & Felino notat Villalobos *tract. 11. diff. 15. n. 9.*

De Temporibus conferendi Ordines.

105 Certum eſt primam tonſuram quovis anni tempore, quavis hora, & loco poſſe conferri. Atque minores Ordines quavis die Dominica. Immò vnam, aut alteram perſonã quovis die feſto poſſe ad minores Ordines promoveri, dicunt cõmuniter AA. ¶ Fert autem vſus in Hiſpania, quòd Ordines Minores cõferantur in ieiunio quatuor temporum ante Sabbathũ; quod introductum videtur, ne Ordines minores, & etiam Diaconatum aliquis reciperet in eodem die: quamvis (vt ex Vazquez notat Hurtado) hoc nullo iure ſit prohibitum: Quare aliquando Epiſcopus Ordines Minores, & ſimiliter Subdiaconatum eodem die confert. ¶ Agẽdo autem de Ordinibus maioribus *in cap. Dilectis, & in Trident. ſeſ. 23 cap. 13. de ref.* diſponitur, ne duo Ordines maiores in eodẽ die conferantur. Immo dies, in quo ſunt conferendi, debet eſſe Sabbathum quatuor temporum anni: atque Sabbathum ante Dominicam Paſsionis, & Reſurrectionis; vt dicitur *cap. De eo autẽ*, & fert vſus. ¶ Epiſcopatum demùm ſolùm poſſe conferri in die Dominica, conſtat ex antiqua praxi Eccleſiæ, & tradit Leo I. *Epiſt. 79. cap.* 1. vt dicit Hurtado. ¶ Denique pro complemento huius dubij videndus eſt tractatus de irregularitate; qui enim aliqua irregularitate afficitur, illicitè recipiet Ordines (licèt validè) ſicut & qui iam eſt Ordinatus, illicitè in ordine recepto adminiſtrabit, ſuperveniente irregularitate.

De Continentia adiuncta Ordinibus Maioribus.

Dubium XXXX.

106 Petes 40. an Ordinibus initiati aliqua ſpeciali lege teneantur ad continentiam? Reſpondetur, ſub diſtinctione. Etenim initiati Ordinibus minoribus nulla ſpeciali lege tenentur con-

continentiam ſervare. Quare validè, & licitè poſſint matrimonium ducere, & prædicto matrimonio vti: ſicut reliqui Chriſtiani. Nec committunt peccatum diſtinctum à fornicatione, ſi ante matrimonium ſe mulieribus immiſceant. ¶ Initiati autē maioribus ordinibus prohibiti ſunt matrimonium contrahere: Immò ad id ſunt inhabiles: vt conſtat ex Trident. *ſeſ.24. can.9.*

Dubium XXXXI.

107 Petes 41. an, iuſtè Eccleſia nullum admittat ad ordines maiores, niſi voveat omnimodam cōtinentiam? Reſpondetur affirmativè; *quia talis deputatur miniſterio ſacro*; (inquit Scotus *in 4.d.37.§.& verſ. Dico igitur*) *quod requirit munditiam mentis, & carnis, perſpicacitatem intellectus, fervorem affectus: ad quæ omnia diſponit continentia; & ad eorum oppoſita frequentia carnalis actus.* Eſt convenientia Catholicorum.

108 Sed hoc malè, & ægerrimè auditur ab Vviclepho, & alijs hæreticis: & contra illud obijciunt: quòd *primæ ad Timoth.3.* dicitur, Epiſcopum debere eſſe *vnius vxoris virum.* Reſpondetur ex Scoto *in 4.d.37.§.& verſ. ad argumenta*, nunquam fuiſſe licitum ordinato Ordine Sacro, contrahere matrimonium; quāvis in primitiva Eccleſia licitus fuerit Eccleſiaſticis, qui, antequā ordinarētur, matrimonium duxerant, vſus ipſius matrimonij. Apoſtolus autem ibi ſolùm prohibet, aſſumi ad Sacros Ordines bigamum, ſeu illum, qui plures vxores habuerat. ¶ Obi. ſecundò, quod Eccleſia per hanc diſpoſitionem præiudicat, ſeu iniuriam facit illis, qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti: cùm matrimonium pro omnibus ſit inſtitutum. Reſp. ex Scoto *ibi.§. & verſ. Dico igitur* negando; quia Eccleſia nullum cogit ad ſuſceptionem Ordinum; & aliàs ſatis publicavit, quod per talem Ordinem redditur quis inhabilis ad contrahendum: & ideo ipſemet ſuſcipiens Ordinem voluntariè incurrit talem inhabilitatem.

¶ Obi. tertiò, quòd Apoſtoli habuerunt vxores: ergo non dedecet Præsbyterum, &c. vſus matrimonij. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: ante Apoſtolatum, omitto: (de quo antiqui variè ſenſerunt) poſt Apoſtolatum illas duxerunt, aut matrimonio priùs contracto vſi ſunt, nego. Immo hoc argumentum maximè hæreticis nocet: etenim (vt advertit Ægidius *diſp. 20. n. 112.*) ex teſtimonio totius antiquitatis conſtat, omnes Apoſtolos poſt electionem in Apoſtolatum omnino continentèr ſine vllo vſu matrimonij vixiſſe: licèt fateantur aliqui AA. nonnullos ex Apoſtolis fuiſſe matrimonio adſtrictos ante Apoſtolatum: ergo; quia iudicarunt dedecere

Præsbyterum, &c. thorum matrimonialem. ¶ Obi. quarto, quòd *canon* 6. Apoſtolorum præcipit Epiſcopo, ne vxorem prætextu religionis abijciat. Reſpondetur ſolùm præcipere, ne vxori, quam ante Epiſcopatum duxerat neceſſaria ad victum ſubtrahat, iuxta illud. 1. *ad Timotheum* 4. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior eſt.*

109 Obi. quintò, quòd Concilium Grangrenſe *can.* 4. dicit: *Si quis diſcernit Præsbyterum coniugatum tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideò abſtinet, anathema ſit.* Reſpondetur, damnare quoſdam hæreticos, qui dicebãt nuptias eſſe malas, & conſequẽtèr dicebant eum, qui matrimonium duxerat, eſſe incapacem Præsbyterij, etiam ſi poſtea continenter viveret. ¶ Obi ſexto, quod Paphnutius in ſynodo nizæna perſuaſit omnibus Patribus volentibus prohibere Sacerdotibus vſum matrimonij, quod illis talem vſum permitterent. Reſpondetur, ſolùm probari non ſemper fuiſſe prohibitum in Eccleſia Presbytero, & alijs in Sacris ordinibus conſtitutis vſum matrimonij iam contracti; vt ex Scoto notabamus *numero præcedenti.* ¶ Reſpondetur ſecundò, apocrypham eſſe illam hiſtoriã, ſeu narrationem, aut (propriùs loquendo) merè fabulam: (vt notat Ægidius *diſp.* 20. *n.* 113.) ſicut & eſt confuta Epiſtola Vdalrici, in qua narratur, ſex millia capita infantium occiſorũ fuiſſe à piſcatoribus reperta in piſcina Papæ. Quod cum D. Gregorius intellexiſſet, habuiſſe ortum ex occultis Clericorum fornicationibus; eoquòd ipſis connubia intercixerat; valdè ſe hoc feciſſe doluit; & legem revocavit. Sed quam fictum, & apertis mendacijs hoc ſcateat, clare demonſtrat Ægidius ibi.

Dubium XXXXII.

110 PEtes 42. An Sacris Initiati ſint prohibiti ex iure divino poſitivo matrimonium ducere? Reſpondetur negative. Quia de illo non conſtat. Ita Scotus *in* 4. *d.* 37. §. *contra verſ. Dico igitur,* (verbis illis *ſed ex hoc, quod Eccleſia facit talem perſonam illegitimam*) *Vazquez, Pontius, Laiman, & Aegidius,* quos *ſequitur Hurtado diſp.* 24. ¶ Dices, quod ipſemet ordo Sacer reddit inhabilem ordinatum ad cõtrahendum ex Chriſti D. inſtitutione; licet hoc non legatur in Scriptura. ¶ Sed contra eſt, quod, cùm hoc non conſtet ex Scriptura, vel ſaltèm ex aliqua probata hiſtoria, voluntariè dicitur. Secundò, quia, ſi ipſemet ordo Sacer redderet hominem inhabilem ad contrahendum, nõ poſſet diſpenſare Papa, vt ſacris ordinibus initiatus contraheret:

cuius oppoſitum ſæpè feciſſe, dicunt AA. Tertio, quia multa Concilia, & Pontifices prohibent, in ſacris conſtitutos matrimonium ducere: (de quo Videndus eſt Vazquez à *diſp.* 247. *à n.* 50.) Quod omnino fuiſſet ſuperfluum, ſi diuino iure jam eſſet interdictum.

111 Sed Franciſcus Turrianus *lib de* 6.7. *&* 8. *Synodo generali, Clicltobeus, Maior, & Medina citati à Vazq. diſp.* 249. *n.* 1. *& ab Hurt. diſſ.* 24. dicunt, teneri ex iure diuino in maioribus ordinibus conſtitutos non ducere matrimonium. Et obi. quod Eccleſiæ tàm Græca, quàm Latina vniformiter abſtinet à matrimonio contrahendo poſt Sacros ordines: ergo, quia eſt de iure diuino, in hoc convenerunt Reſpõdetur negando conſequentiam: convenit enim vtraque Eccleſia in multis alijs, quæ non ſunt de iure diuino.

Dubium XXXXIII.

112 Petes 43. an Sacris Ordinibus initiati ſolo iure Eccleſiaſtico ſint prohibiti vti matrimonio ante Ordinationẽ contracto? Reſpondetur affirmatiue, quia non conſtat de aliquo iure diuino Secundo, quia Græci vtuntur matrimonio ante Ordines inito; ergo non eſt de iure diuino: ergo de Eccleſiaſtico. Ita *Scotus in* 4. *d.* 37. §. *& verſ. ad argumenta D. Thom. noſter Medina, Bellarminus, Vazquez, & cõmuniter Doctores, quos citat & ſequitur Hurt. diſſ.* 23. *& Ægidius diſp.* 20. *n.* 120. ¶ Franciſcus Turrianus *num. præcedenti citatus* oppoſitum defendit; & obijcit, quod Sixtus III. dicit, neceſſe eſſe Sacerdotes continentes eſſe non quomodocumque, ſed ſecundùm Scripturam: ergo eſt de iure diuino. Reſpondetur negando cõſequentiam; quia etiam ſecundum Scripturam bigamus nequit eſſe Sacerdos; & tamẽ præceptum de non admittendo bigamum ad Sacerdotium non eſt diuinum, ſed Apoſtolicum.

¶ Plura alia obijcit, ſed ſolutione facilia.

Dubium XXXXIIII.

113 Petes 44. quo tempore Eccleſia præceperit cõtinentiam Sacris Ordinibus initiatis Reſpondetur, quod à tempore Apoſtolorum, in quorum Canone 26. dicitur: *in nuptijs autem, qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt, ſi voluerint, vxores accipiant; ſed Lectores, cantoreſque tantummodo.* Vnde ſaltèm conſtat, nunquam licuiſſe prædictis matrimonium ducere.

114 Difficilius tamen eſt aſſignare tempus, quo cœpit prohibitio matrimonij ante Ordines contracti. Circa quod ſolùm illud eſt mihi certũ, nempè quod à Concilio Elibertino (quod celebratum eſt Hiſpaniæ circa tẽpora

pora D. Silveſtri Papæ, & Concilij Nicæni, & Conſtantini Magni Imperatoris circa annum 320. & cui præfuit Oſius Cordubenſis) id in Eccleſia Latina permãſerit. In Græca autem abijt in diſuetudinem; vt communiter dicunt AA. Quod autẽ hoc in prædicto Concilio fuerit ſtatutum, conſtat *ex cap.* 33. vbi ſic dicitur: *placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis poſitis in miniſterio abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios, quod quicumque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*

Dvbivm XXXXV.

115 PEtes 45. an Sacris initiati obligentur ad continentiam immediatè per legem Eccleſiaſticam? An mediante voto? Reſpondetur vtrimque teneri, nempè & ex lege Eccleſiaſtica immediatè hoc præcipiente; & ſimul ex voto Sacris Ordinibus ex lege Eccleſiaſtica annexo. Probatur cõcluſio quoad primam partem ex Concilio Elibertino nuper citato. Quoàd vltimam autem probatur ex capite *Nullus d.*28. vbi præcipitur, vt nullus deinceps Subdiaconus Ordinetur, niſi priùs caſtè victurus promittat; & etiam, vt votũ continentiæ ab Ordinandis Sacris ordinibus exigatur. Ita Ægidius *diſp.* 20. *num.* 129. *Rebellus lib.* 3. *de Matrimonij impedimentis quæſt.* 10. *& G. Hurtado diff.* 26.

116 Vnde conſtat, non eſſe admittendam ſententiam Paludani *in* 4. *diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 2. *Valentiæ q.* 5. *puncto* 5. *& plurium aliorum, quos citat Sanchez lib.* 7. *de Matrimonio diſp.* 27. *n.* 9. *qui dicunt*, ordinatos Sacris ordinibus ſolo præcepto Eccleſiaſtico teneri ad continentiam. Pro qua ſententia Ægid. *diſp.* 20. *n.* 125. *& Hurtado diff.* 26. citant Scotũ *in* 4. *d.* 37. *§ Dico igitur*, ſed immeritò tamen; quia ibi ſolùm quærit rationem, ob quam talis ſit impeditus ad contrahendum? (impeditus, inquam, taliter, vt validè contrahere non poſsit) & reſpondet, rationem eſſe, quod ab Eccleſia fuit inhabilitatus. Non tamen negat; immò apertiſsimè ſupponit, Ordinem ſacrum habere annexum votum continentiæ. Quod videntur negare AA. huius ſententiæ. ¶ Conſtat etiam non eſſe ſuſtinendam ſentẽtiam affirmantem, Sacris initiatos non teneri immediatè ad cõtinentiam ex lege Eccleſiæ, ſed ex voto Sacris ordinibus ex lege Eccleſiaſtica annexo. Quam ſententiam defendunt noſter *Medina lib.* 5. *de Continentia cap.* 2. *Caiet. t.* 1. *tract.* 27. *& Vazquez diſput.* 247. Igitur neutra ex his ſententijs eſt ſuſtinenda. Non prima: quia contra illam militat probatio poſterioris partis noſtræ concluſionis, ſeu caput illud *Nullus*, vbi præcipitur, nullum admitti ad

ſacros Ordines, quin emittat votum caſtitatis. Contra ſecundam autem ſententiam militat probatio prioris partis noſtræ concluſionis ſeu caput illud 33. Concilij Elibertini; in quo præcipitur prædictis coniugum abſtinentia.

117 Ex noſtra autem concluſione infertur, quòd, ſi quis, quando Ordines Sacros recepit, non emitteret votum continentiæ ſaltèm implicitum, (quod ſemper elicitur ab ordinato; eo ipſo quod voluntariè ſacrum Ordinem recipit, niſi aliàs oppoſitum affectum haberet) ſolùm ex lege Eccleſiaſtica teneretur ad continentiam. Et conſequenter non committeret ſpeciale peccatum diſtinctum à luxuria per internum actum, ſeu affectum libidinoſum: ſed ſolùm quando exteriùs luxuriaretur: etenim Eccleſia non poteſt præcipere actus merè internos. Eſſet tamen in continuo peccato mortali inobedientiæ: quia Eccleſiaſticum præceptum de emittendo votum obligat non ſolùm in ipſa receptione Ordinis; ſed etiam poſteà toto tempore vitæ. ¶ Dices, quòd eſt præceptum poſitivum: ergo non obligat pro ſemper. Reſpondetur, eſſe virtualiter negativum: ſicut eſt præceptum reſtituendi: cuius obligatio ſemper perſeverat. Itaque ſicut præceptum reſtituendi virtualiter, aut æquivalenter prohibet retinere alienum. Ita præceptum continentiæ ſacris ordinibus initiatis impoſitum, virtualiter, aut æquivalenter prohibet aſcendere ad ſtatum Sacrum, aut in illo permanere ſine voto continentiæ.

118 Infertur ſecundo, eum, qui ante vſum rationis ordinaretur, nullo modo teneri ad caſtitatem ratione voti. Quia neque emiſit votum explicitè; (vt de ſe patet) neque implicitè, aut interpretativè: nullum enim eſt caput ad interpretandum, illum voviſſe caſtitatem. Immò exiſtimarem ego, neque teneri ad caſtitatem ratione præcepti Eccleſiaſtici. Quia mihi ſatis difficile apparet, Eccleſiam velle obligare arduo continentiæ præcepto eum, qui nullo modo in ſuam ordinationem conſenſit. Quod clarè innuit Scotus *diſt. 37. §. Dico igitur*, dum affirmat, Eccleſiam non præiudicare alicui in ſuo iure, eo quòd *non cogit aliquem ad ſuſceptionem Ordinis Sacri: & ſatis* (expende) *publicavit, quòd poſt talem Ordinem ſuſceptum ſuſcipiens eſt inhabilis ad contrahendum.* Sentit ergo, quòd, ſi ab Eccleſiæ miniſtro Ordinaretur ſine proprio conſenſu, præiudicaretur in ſuo iure, ſi ad continentiam obligaretur: cum reſpectu iſtius non ſatis publicaſſet, quod ſuſcipiens eſt inhabilis ad contrahendum. In quo videtur conſentire Ægidius *diſput. 20. num.* 134. & 135.

Bb 119 Idem

119 Idem dicendum eſt de illo, qui inculpabiliter ignorabat, continentiæ votum, & Eccleſiaſticum præceptum coniunctum eſſe ſuſceptioni Ordinis Sacri. Quia reſpectu iſtius Eccleſia non ſatis publicavit, eum, qui recipit Ordinem Sacrum, manere inhabilem ad contrahendum. Ita tenent aliqui, quos ſuppreſſo nomine citat Ægidius *diſp.* 20. *num.* 139. Quam ſententiam ipſe ſequitur cum hac limitatione, quod procedat, quando Ordinatus habuit rationes probabiles pro ſua ignorantia; quia ſcilicet videbat, alios Ordinatos contrahere, neque Prælatos hoc prohibere. Quod olim in Subdiaconis Siciliæ eveniſſe, apertè conſtat ex quodam reſponſo D. Gregorij *lib.* 1. *Epiſt.* 42. *circa medium.* Ego tamen hanc limitationem non admitto: quia ratio D. Gregorij militat in quacumque ignorantia inculpabili: dicit enim, nimis durum eſſe prædictis Subdiaconis vſum matrimonij interdicere: quia, cùm fuerint Ordinati cum ignorantia obligationis continentiæ, non potuerant cenſeri, eam acceptaſſe. Quæ ratio currit de quacumque ignorantia inculpabili. Immo & de inadvertentia inculpabili. Et ob hoc excuſatur à fractione ieiunij, qui ex quocumque capite illud inculpabiliter ignoravit: vel non advertit currere præceptum illius: ergo à ſimili in noſtro caſu. Quare addo, quod, ſi dari poſſet caſus, in quo ille, qui Ordines ſuſcipit, in nullo inſtanti totius temporis, à quo determinavit Ordinem Sacrum recipere, vſque ad eius receptionem advertit, obligationem continentiæ illi ſtatui eſſe annexam, non maneret obligatus, licèt antecedenter ſciviſſet prædictam obligationem. Quia non minùs excuſat inculpabilis inadvertentia, quàm ignorantia. Eccleſia enim ſolùm præcipit actiones humanas; non verò naturales, ſeu involuntarias: qualis eſt, quæ fit cum inadvertentia inculpabili.

DVBIVM XXXXVI.

120. Peres 46. an, qui Ordinem Sacrum ſuſcipit ob metum cadentem in virum conſtantem. (v. g. ob metum mortis ſibi ab aliquo inferendæ; &c.) obligetur ad continentiam? Reſpondetur negativè. Quia votum ſic factum eſt irritum: vt conſtat *ex cap* 1. *&* 6. *de his, quæ vi, &c.* Meritò autem irritatur tale votum a iure, aut potiùs declaratur irritum: quia nullo modo cenſeri poteſt Deum acceptare prædictum votum. Ita *noſter Villalobos diffic.* 14. *num.* 4. *Roſela, Angelus, Navarrus, Sotus, Azor, & Sanch. quos citat, & quorum ſententiam magis probat*

Ægid.

Ægidius diſput. 20. *num.* 145. ¶ Dices: ſaltem tunc obligat præceptum Eccleſiæ. Reſpondetur, Eccleſiam non obligare cum tanto diſpendio: vt in præcepto ieiunij, auditionis miſſæ, &c. dictitatur. Et merito: eſt enim ſuave iugum Chriſti Domini.

121 Sed oppoſitum defendunt *Paludanus in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 4. *Sotus lib.* 7. *de Iuſtit. quæſt.* 2. *art.* 5. *ad vltim.* (quamvis alias *in* 4. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 3. ſit pro noſtra ſententia) *D. Antoninus*, *Abbas*, & *Armilla.* Pro qua ſententia objicitur: ſequi ex noſtra, eum, qui in naufragio poſitus, vel in gravi infirmitate vovit religionem, &c. non teneri. Patet, quia id vovit, vt fugiat mortem. Reſpondetur negando ſequelam. Ad probationem dico, metum cadentem in virum conſtantem vocari ab Authoribus illum, qui iniuſtè ponitur: de quo tantùm procedit noſtra concluſio. ¶ Obi. ſecundò: acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis; ſed Ordo tenet: ergo, & votum. Reſpondetur, cum Ægidio *diſp.* 20. *num.* 151. maiorem eſſe veram: quando in vtroque eſt par ratio: quæ non eſt in præſenti: nam ponuntur omnia eſſentialia Ordinis: voto autem deeſt acceptatio Dei (& ideò ab Eccleſia irritatur, ſeu declaratur eſſe irritum) eſſentialiter requiſita ad eius valorem. ¶ Objiciunt tertiò, quòd in Concilio *Toletano VIII. cap.* 7. dicitur invitè Ordinatos teneri, permanere in ſtatu Eccleſiaſtico. Reſpondetur, loqui de illis, qui poſtea per liberam in Ordine adminiſtrationem, ratum habuerunt Ordinem ſuſceptum. ¶ Objiciunt quartò, qui ob metum fit Chriſtianus, tenetur legem Chriſtianam obſervare: ergo à ſimili, qui ob metum vovet, tenetur voto. Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas autem eſt nota: iure enim divino omnes tenentur baptizari: quare ita compulſus ad nullum obligatur, ad quod antea non teneretur ſaltèm mediate. Ordinatus autem ſuſcipit obligationem, ad quam nullo modo tenebatur. Quare neceſſarium eſt, vt liberè hanc ſibi imponat obligationem, aut ſubeat ſtatum, cui illa obligatio eſt annexa.

122 Objiciunt ſecundò, Deus acceptat iuramentum promiſſorium iniuriosè extortum: ergo, & votum. Reſpondetur negando antecedens, aut eius ſuppoſitum, nempè quod Deus in iuramento aliquid propriè acceptet: cùm enim propriè loquendo nihil Deo offeratur per tale iuramentum, nihil propriè poteſt acceptare. ¶ Dices, hoc argumento ſolùm adverſarios probare, Deum velle, quòd illud votum impleatur: ſicut vult, quòd impleatur iuramentum promiſſorium

 rium

119 Idem dicendum eſt de illo, qui inculpabiliter ignorabat, continentiæ votum, & Eccleſiaſticum præceptum coniunctum eſſe ſuſceptioni Ordinis Sacri. Quia reſpectu iſtius Eccleſia non ſatis publicavit, eum, qui recipit Ordinem Sacrum, manere inhabilem ad contrahendum. Ita tenent aliqui, quos Saporello no nine citat Ægidius *diſp.* 20. *num.* 139. Quam ſententiam ipſe ſequitur cum hac limitatione, quod procedat, quando Ordinatus habuit rationes probabiles pro ſua ignorantia; quia ſcilicet videbat, alios Ordinatos contrahere, neque Prælatos hoc prohibere. Quod olim in Subdiaconis Siciliæ eveniſſe, apertè conſtat ex quodam reſponſo D. Gregorij *lib.* 1. *Epiſt.* 42. *circa medium.* Ego tamen hanc limitationem non admitto: quia ratio D. Gregorij militat in quacumque ignorantia inculpabili: dicit enim, nimis durum eſſe prædictis Subdiaconis uſum matrimonij interdicere: quia, cùm fuerint Ordinati cum ignorantia obligationis continentiæ, non potuerunt cenſeri eam acceptaſſe. Quæ ratio currit de quacumque ignorantia inculpabili. Immo & de inadvertentia inculpabili. Et ob hoc excuſatur à fractione ieiunij, qui ex quocumque capite illud inculpabiliter ignoravit: vel non advertit currere præceptum illius: ergo à ſimili in noſtro caſu. Quare addo, quod, ſi dari poſſet caſus, in quo ille, qui Ordines ſuſcipit, in nullo inſtanti totius temporis, à quo determinavit Ordinem Sacrum recipere, uſque ad eius receptionem advertit, obligationem continentiæ illi ſtatui eſſe annexam, non maneret obligatus, licèt antecedenter ſciviſſet prędictam obligationem. Quia non minùs excuſat inculpabilis inadvertentia, quàm ignorantia. Eccleſia enim ſolùm præcipit actiones humanas; non verò naturales, ſeu involuntarias: qualis eſt, quæ fit cum inadvertentia inculpabili.

DUBIUM XXXXVI.

120 PEtes 46. an, qui Ordinem Sacrum ſuſcipit ob metum cadentem in virum conſtantem. (v. g. ob metum mortis ſibi ab aliquo inferendæ; &c.), obligetur ad continentiam? Reſpondetur negativè. Quia votum ſic factum eſt irritum: vt conſtat *ex cap* 1. *&* 6. *de his, quæ vi, &c.* Meritò autem irritatur tale votum à iure, aut potiùs declaratur irritum: quia nullo modo cenſeri poteſt Deum acceptare prædictum votum. Ita *noſter Villalobos diffic.* 14. *num.* 4. *Roſela, Angelus, Navarrus, Sotus, Azor, & Sanch. quos citat, & quorum ſententiam magis probat* Ægi-

Ægidius diſput. 20. *num.* 145.
¶ Dices: ſaltem tunc obligat præceptum Eccleſiæ. Reſpondetur, Eccleſiam non obligare cum tanto diſpendio: vt in præcepto ieiunij, audiendæ Miſſæ, &c. dictitatur. Et meritò: eſt enim ſuave iugum Chriſti Domini.

121 Sed oppoſitum defendunt *Paludanus in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 4. *Sotus lib.* 7. *de Iuſtit. quæſt.* 2. *art.* 5. *ad vltim.* (quamvis alias *in* 4. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 3. ſit pro noſtra ſententia) *D. Antoninus*, *Abbas*, & *Armilla*. Pro qua ſententia obijcitur: ſequi ex noſtra, eum, qui in naufragio poſitus, vel in gravi infirmitate vovit religionem, &c. non teneri. Patet, quia id vovit, vt fugiat mortem. Reſpondetur negando ſequelam. Ad probationem dico, metum cadentem in virum conſtantem vocari ab Authoribus illum, qui iniuſtè ponitur: de quo tantùm procedit noſtra concluſio. ¶ Obi. ſecundò: acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis; ſed Ordo tenet: ergo, & votum. Reſpondetur, cum Ægidio *diſp.* 20. *num.* 151. maiorem eſſe veram: quando in vtroque eſt par ratio: quæ non eſt in præſenti: nam ponuntur omnia eſſentialia Ordinis: voto autem deeſt acceptatio Dei (& ideò ab Eccleſia irritatur, ſeu declaratur eſſe irritum) eſſentialiter requiſita ad eius valorem. ¶ Obijciunt tertiò, quòd in Concilio *Toletano VIII. cap.* 7. dicitur invitè Ordinatos teneri, permanere in ſtatu Eccleſiaſtico. Reſpondetur, loqui de illis, qui poſtea per liberam in Ordine adminiſtrationem, ratum habuerunt Ordinem ſuſceptum. ¶ Obijciunt quartò, qui ob metum fit Chriſtianus, tenetur legem Chriſtianam obſervare: ergo à ſimili, qui ob metum vovet, tenetur voto. Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas autem eſt nota: iure enim divino omnes tenentur baptizari: quare ita compulſus ad nullum obligatur, ad quod antea non teneretur ſaltèm mediate. Ordinatus autem ſuſcipit obligationem, ad quam nullo modo tenebatur. Quare neceſſarium eſt, vt liberè hanc ſibi imponat obligationem, aut ſubeat ſtatum, cui illa obligatio eſt annexa.

122 Obijciunt ſecundò, Deus acceptat iuramentum promiſſorium iniuriosè extortum: ergo, & votum. Reſpondetur negando antecedens, aut eius ſuppoſitum, nempe quod Deus in iuramento aliquid propriè acceptet: cùm enim propriè loquendo nihil Deo offeratur per tale iuramentum, nihil propriè poteſt acceptare. ¶ Dices, hoc argumento ſolùm adverſarios probare, Deum velle, quòd illud votum impleatur: ſicut vult, quòd impleatur iuramentum promiſſo-

rium iniurioſè extortum. Reſpondetur, velle quidem Deum, quod tale iuramentum adimpleatur; non tamen vult, quòd votum prædictum adimpleatur: ſeu propriùs loquendo obligatus manet quis ad implendum iuramentum iniurioſè extortum; non autem ſimile votum: quia valor, ſeu ſubſiſtentia voti dependet ab acceptatione: (quæ non eſt in Deo, quando votum iniuſtè extorquetur) iuramentum autem ſubſiſtit independẽter ab huiuſmodi acceptatione; non quidem ea parte, qua eſt promiſsio; ſed quatenùs adducitur Deus in teſtem adimpletionis. ¶ Inſtabis: ergo nequit Deus facere, quòd iuramentum promiſſorium non obliget iurantem. Reſpondetur diſtinguẽdo: immediatè, concedo: (Sicut enim non poteſt facere, quòd iurans non ſit obligatus ad teſtificandum verum: ita non poteſt facere immediatè, quòd non ſit obligatus ad implendum illud, in cuius adimpletionis teſtimonium Deum teſtem adduxit, ſeu quod ſe adimpleturum promiſit, teſte Deo.) mediatè, nego: quia poteſt, vt ſummus omnium Dominus, facere, vt promiſsio aut ab initio ſit irrita; aut poſtea deſinat obligare. Quo poſito, deſinit obligatio iuramenti, tamquam acceſſoria. Et hoc modo dicuntur Prælati diſpenſare in iuramento promiſſorio per metum extortum: vt benè notat Ægidius *diſputatione* 20. *num.* 148.

Dvbivm XXXXVII.

123 PEtes 47. an doli capaces, qui ante annos pubertatis ordinantur; teneantur ad continentiam? (Doli capaces dicuntur, qui habent ſufficientem vſum rationis. Anni pubertatis, ſeu anni nubiles ſunt in viris quatuordecim, & in fœminis duodecim: ante quorum impletionem ius prohibet connubia: quia præſumitur, nondum eſſe aptos generationi; necnon, & carere cognitione requiſita ad tantum negotium.) Reſpondetur negativè. Quia Tridentinum *ſeſsione* 25. *cap.* 15. irritat votum ſolemne Religionis ante prædictam ætatem: ergo idem eſt dicendum de voto adiuncto Ordini Sacro: militat enim eadem ratio, (quamvis diſparitatem conetur aſsignare Ægidius *diſputatione* 20. *num.* 136.) ſcilicèt gravitas negotij. Ita *magiſter Villalobos tomo* 1. *tractatu* 14. *difficult.* 14. *num.* 4. *qui citat Hoſtienſem, & Abbatem.* Immo addit cum illo, idem eſſe dicendum, ſi ordinetur ante adimpletionem annorum ſexdecim. Quia Trident. *ſeſ.* 25. *cap.*

cap. 15. irritat votum ſolemne religionis ante prædictam ætatem ſexdecim annorum.

134 Sed *Gloſſa in cap. Pueri* 1. *q.* 1. *Vega t.* 2. *Summæ cap.* 57. *caſu* 7. *Soto lib.* 7. *de Iuſtitia q.* 2. *art.* 5. *ad vlt.* & *alij, quos citat, & ſequitur Ægid. diſp.* 20. *n.* 136. affirmant, prædictos manere obligatos ex vi legis naturæ, ſeu ſpectato iure naturæ. (vt loquitur Ægidius) Et obijciunt: ſpectato iure naturæ doli capaces validè ſe poſſunt obligare Deo, & alicui ſtatui; ſed iura nullibi annullant obligationem, aut votum annexum Ordini Sacro in doli capace: ergo talis manet obligatus. Reſpondetur negando minorē: quia Tridentinum *ſeſ.* 25. *cap.* 15. irritans profeſsionem ſolemnē, ſeu votum ſolemne Religionis ante illam ætatem, irritat conſequenter votum ſolemne continentiæ annexum Ordini Sacro ſuſcepto ante illam ætatem: quia militat vtrobique eadem ratio. ¶ Contra: in rebus à iure diſpoſitis non valet argumentum à ſimili: ergo etiam ſi in ordinato currat eadem ratio, ac in profeſſione ſolemni, nō propterea debet eſſe eadem iuris diſpoſitio. Antecedens probatur ab inconvenienti: ex oppoſito enim ſequeretur, quod ſicut ieiunamus pridie nativitatis Baptiſtæ; ita pridiè Nativitatis B. Virginis eſſet ieiunandum: quia in iſta Nativitate currit eadem ratio, immò vrgētior: hæc enim ſanctior, ac venerabilior eſt. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: in odioſis, concedo: in favorabilibus, nego: iuxta illam regulam: *odia ſunt reſtringenda; favores ſunt ampliandi.* ¶ Obijciūt ſecundò, obligatio religioſi gravior eſt, quàm ordinati Ordine Sacro: ergo non militat vtrobique eadem ratio, vt dicamus, quod ſicut ibi irritatur votum factum ante ſextumdecimum annum à doli capace: ita irritetur ab Ordinato ante prædictam ætatem. Reſpōdetur diſtinguendo antecedens: etſi enim in alijs materijs hoc ſit verum; non autem in materia continentiæ: iſta enim æquè vtrumque obligat ſub voto ſolemni. Præterquam quòd parùm vrgeret, ſi in religioſo hæc obligatio eſſet gravior, dummodo in Ordinato eſſet gravis. Magis enim, & minus non variant materias. Negabit autem nemo, ſatis gravem eſſe obligationē ſervandi perpetuam continentiam, etiam coniugalem.

Dubium XXXXVIII.

125 PEtes 48. an, qui, inſcia, vel contradicente vxore, Ordinem Sacrum recipit, teneatur ad continentiam? Reſp. negativè. Quia, etſi non poſsit licitè petere debitum; tenetur tamen illud ſolvere: quia votum caſtitatis annexum Ordini Sacro non poteſt præiudicare vxori, cuius ius petendi eſt antiquius

voto. ¶ Pro ampliori autem intelligentia ſuppono, prædictum mortaliter peccaſſe contra legem Eccleſiaſticam. Recolantur dicta *num* 107. & 117. ¶ Suppono ſecundò, non poſſe petere debitum: obſtat enim votum, & Eccleſiaſticum præceptum. Immò accedendo ad vxorem (petendo) committit duplex peccatum; aliud ſacrilegij contra religionem frangendo votum; & aliud quaſi ſacrilegij contra duliam ſacram ratione legis Eccleſiaſticæ id prohibentis intuitu reverentiæ ſtatui Eccleſiaſtico debitæ: vt in ſimili docet Hurtado *diſſ* 26. *ſub finem*. ¶ Suppono tertio, in noſtro caſu poſſe maritum ab vxore revocari; (vt diffinit Ioannes XXII.) ſi matrimonium erat cōſumatum: & conſequenter maritus revocatus tenetur debitum reddere. Vnde aperta manet noſtra concluſio. Si enim vxor habet ius revocandi virum in noſtro caſu ordinatum ad priſtinum matrimonij; & ipſe revocatus tenetur ſoluere debitum, ex hac quidem parte non tenetur ad ſervandum continentiam.

Dubium XXXXIX.

126 PEtes 49. an, ſi matrimonium nondum erat cōſumatum, teneatur homo ingredi religionem, vt ſervetur votum continentiæ Ordinibus annexum? Reſpondetur negativè. Quia religio habet alias obligationes diſtinctas ab obſervantia caſtitatis: ergo non debet imponi tanta obligatio, vt prædictum votum ſervet. Quare ſufficit, quòd non petat debitum: poterit tamen illud ſolvere; quia votum non poteſt præiudicare mulieri, cuius ius petedi eſt antiquius voto. Ita *Lopez* 1. *p. inſtruc. cap.* 5 *Thomas Sanchez lib.* 7. *de Matrimon. diſp.* 38. *num.* 16. & *noſter Villal. tom.* 1. *tract.* 11. *diff.* 19. *n.* 3. *Quod probabile reputat Ledeſma de Matrim. quæſt.* 53. *art.* 4. *dub.* 2 ¶ Sed *Azor lib.* 13 *cap.* 14. *quæſt.* 2. & *Ledeſma ibi* oppoſitum defendunt, & obijciunt: qui poſt votum caſtitatis contrahit matrimonium, tenetur ingredi religionem ante conſumationem: ergo à ſimili. Reſpond. negando antecedens.

Dubium L.

127 PEtes 50. an, ante bimeſtre aſsignatum à iure, vt poſsit quis deliberare, an ſibi magis expediat, religionem ingredi, quam matrimonium conſumare, licitè poſsit prædictus Ordinatus reddere debitū? Reſpondetur negativè. Quia, dum nō obligatur ad reddendum debitum, tenetur ad ſervandam omnimodam cōtinentiam. Sed intra illud bimeſtre non tenetur ad ſolvendum: ergo nequit licitè ſolvere. ¶ Notat Petrus de Ledeſma *de Matrimon. cap.* 13. *concluſ.* 8. illum, qui in noſtro caſu

caſu ordinatur, manere irregularem. Pro quo citat Covarruviam dicentem, ſic diſpoſuiſſe Ioannem XXII. *in extrav. Antiquæ.*

DVBIVM LI.

128 PEtes 51. quid requiratur, vt vxoratus poſſit Ordines Sacros recipere? Reſpōdetur, requiri beneplacitum vxoris; & quod ipſa ſit in tali ætate, vt de eius incontinentia timeri non poſsit; & quod votum caſtitatis emiſerit. Si autem non ſit in tāta ætate, requiritur, quod in religione approbata ſit profeſſa: vt probatur *ex cap. Epiſcopus diſt. 77. & docet Villal. ibi n. 4. ſequtus Abbatem, Silveſtrum, Covar. & alios.* Qui dicunt, etiam requiri licentiam Epiſcopi: non quidem ad valorem, ſed vt debitè fiat.

DVBIVM LII.

129 PEtes 52. an vxoratus poſsit contra voluntatem vxoris adulteræ Ordinem ſacrum recipere? (loquimur in caſu, quo vir ſit innocens, id eſt, quod non etiam adulteraverit ante ſententiam iudicis: ſi enim etiam ipſe adulteravit, tunc fit compenſatio. Item loquimur in caſu, quòd adulteram non recōciliavit expreſſe, vel tacitè. De quo legendus eſt Villal. *tom. 1. tract. 15. diff. 4. à n. 1.*) Reſp. affirmativè. Quia adultera amiſit per adulterium ius circa corpus conſortis: ergo non fit ſibi iniuria, ſi innocens omnino damvoveat caſtitatem, ſaltem poſt ſententiam iudicis declaratoriā adulterij. Ita *Silveſter, Henriq. Navarr. Sanch. & c. quos citat, & ſequitur Villal. t. 1. tract. 15. diff. 6. n. 2.* ¶ Sed oppoſitum defendunt *Innocentius, Gutierrez, & c. apud Villal. ibi.* Qui obijciunt: in hoc præiudicatur vxori: etenim, etiam poſt mortem viri, qui religionem eſt profeſſus, maritari non poteſt: vt dicitur *in cap. Quia ſunt diſt. 28.* Reſpondetur negando aſſumptum: ad probationem dico, caput illud loqui in caſu, quo vxor votum caſtitatis emiſerat. ¶ Obi. ſecundo, quod in Eccleſia Latina naſceretur ſcandalum ex eo, quod vxoratus eſſet Sacerdos. Reſpond. negando: ſicut non naſcitur ex eo, quod vxoratus, cuius vxor religione eſt profeſſa, ſit Sacerdos. Et vtriuſque ratio eſt, quod eſt licitum. Immo, dato antecedenti, ſolum ſequeretur, eſſe illicitum extrinſecè, non pè ratione ſcandali.

130 Ex dictis numero præcedenti infertur, prædictum poſſe profiteri in religione propter eādem rationem; immò & a fortiori. Præterquàm quod id expreſsè definitur *in cap. Conſtitutus & alibi.*

131 Concluſionem poſitam *num. 129.* aliqualiter reſtrinxi dicens, licere ſuſcipere ordinē con-

tra voluntatem vxoris adulteræ *ſaltèm poſt ſententiam iudicis.* Addo modo, etiam licere ante prædictam ſententiam, dummodo duæ conditiones adſint, nempè, & quòd adulterium ſit notoriū, & quòd non pariatur ſcandalum, quod facilè generaretur, ſi ille nō poſſet probare vxori iniuriam ſibi per adulterium illatam: etenim tunc, ſi ab ipſa peteretur maritus, foret à iudice reſtituendus: quod in dedecus Religionis, aut ſtatus Clericalis reſultaret.

De exemptionibus ſtatus Clericalis.

Dubium LIII.

132 PEtes 53. an Clerici habeant aliquas exemptiones? & quales? Reſpondetur nihil certius apud AA. eſſe, quàm quòd Clerici habent privilegia, & exemptiones, quibus à iuriſdictione Principum ſæcularium eximuntur. Gaudent item quodam privilegio conceſſo in canone. *Si quis ſuadente diabolo*, in quo excommunicatio latæ ſententiæ Pontifici reſervata ponitur contra percutientem Clericum, vel Monachum. Quod privilegium extenditur ad illum, qui habet Ordines minores tantùm, vel ſolùm primam tonſuram (vt communiter dicunt AA.) Immò licèt ſit vxoratus; dummodo habeat conditiones requiſitas à iure, ſcilicèt, quòd geſtet coronam, & habitum Clericalem, & virginem duxerit in matrimonium; necnon & ex diſpoſitione Epiſcopi alicui miniſterio Eccleſiaſtico inſerviat; vel ex Epiſcopi facultate in aliqua Vniverſitate ſtudijs vaccet. Nomine autem *Monachi* comprehenduntur omnes religioſi, & religioſæ, etiam quando novitiatum agunt. Immò etiam æquites D. Ioannis; quia tria vota emittunt. Prædicta autem excommunicatio cōprehendit etiam conſulentes, necnon & ratificantes, quòd eorum nomine fuit factum. De quo videndus eſt tractatus de Excommunicatione.

Dubium LIIII.

133 PEtes 54. an Clerici ſint exempti à poteſtate Principum ſæcularium ipſo iure divino? An vero ex iure humano? Reſpondetur vtrimque eſſe exemptos. Quòd exemptio iſta ſit de iure divino, probatur ex eo, quod Chriſtus Dominus tradidit D. Petro (& in ipſo eius ſucceſſoribus) iuriſdictionem, ſeu poteſtatem Eccleſiaſticam: ergo ſaltē in cauſis merè Eccleſiaſticis exēpti fuerunt Clerici à poteſtate civili per ius divinum tunc datū D. Petro. Antecedens colligitur ex *Math.* 16. verbis illis *Tibi dabo claves regni cælorum; quodcumque ligaveris ſuper terrā, &c.* atque ex illis *Ioann. vltim.*

Paſce oves meas. Secũdò probatur ex eo, quod poteſtas Eccleſiaſtica eſt ſuperior civili: ergo ab illa dependere non poteſt. Antecedens probatur ex illo Pauli ad Hebr. 7. vbi habetur, quod Sacerdos Melchiſedec ſuperior fuit quàm Abraham propterea, quòd ille benedixit iſtum: (vt dicitur *Geneſ.* 14.) & ſine dubio maior eſt, qui benedicit, quam qui benedicitur. De quo legatur Dominic⁹ de Soto *in 4. diſtinct.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. *concluſ.* 2.

134 Quòd autem exemptio Clericorum ſit etiam de iure humano; nemo dubitat: cùm ius canonicum paſsim hoc privilegiũ & concedat, & ſupponat.

¶ Vnde conſtat, privilegium exemptionis Clericorum fuiſſe à iure divino immediatè conceſſum; & à iure Canonico poſteà ſtabilitum; immo & a iure civili fuit idem conceſſum, aut acceptatum: & primus omnium videtur acceptaſſe hoc privilegium Cõſtantinus Magnus. Verum tamen eſt, potuiſſe hoc privilegiũ à iure Canonico concedi, etiam ſecluſo iure divino immediato, ſeu immediatè illud concedente; necnon, & ſine adminiculo iuris civilis. Itaque ius Canonicum ſolùm attendendo, quod Clerici erant perſonæ Deo dicatæ (ſecluſo privilegio à Deo conceſſo, & à iure civili vel conceſſo, vel acceptato) potuit prædictum privilegium concedere. Hanc noſtram concluſionem defendunt communiter *Canoniſtæ; & ex Theologis Suar. contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 9. Laimam, Azor, Bonacina, Filliucius, & innumeri alij quos citat & ſequitur Diana* 1. *p. tract.* 2. *Reſol.* 1.

135 Vnde infertur, non poſſe Clericum aliquem (etiam ex facultate Epiſcopi) renuntiare hoc privilegium. Quia eſt conceſſum communitati. Privilegium autẽ communitatis nequit aliqua perſona particularis renuntiare.

136 Infertur etiam, non eſſe ſuſtinendam ſententiam, quæ docet, dictam exemptionem eſſe de iure humano, quamvìs aliàs multum conſonam divino. Quæ ſententia communis eſt Theologis, teſte Diana ibi, vbi pro ipſa citat *Salas, Molinam, Salon, Leſsiũ, Victoriã, Villalobos, &c.* Pro qua ſententia obijcitur: nullum ſufficiens teſtimonium adducitur ad probandum, hanc exemptionem eſſe de iure divino. ergo ſolùm eſt de iure humano. Reſpõdetur negando antecedens: verba enim Chriſti Domini *num.* 133. relata ſufficienter declarant hanc exẽptionem, præſertim adiuncta intelligentia tot Auctorum dicentium, ibi cocedi prædictã exemptionem. Et meritò: etenim verba illa *Ioan. vlt. paſce oves meas* ſatis declarant, oves, ſeu perſonas illas, quæ ob ſpecialem dicationis ſeu conſecrationis titulum dicũtur Chriſti Domini, & ipſe vocat ſpecialiter ſuas, ab omni alia iuriſdictione exemptas D. Petro, & eius

eius ſucceſſoribus ſubiecifſe.

¶ Nec obſtat, prædicta verba intelligi de ſpirituali profectu. Etenim extenduntur ad prædictam exemptionem, quæ multùm iuvat ad profectum ſpiritualem. Sicut quamvis verba illa *Matth.* 16. *tibi dabo claves Regni Cœlorum; Quodcumque ligaveris ſuper terrã, &c.* intelligantur de iuriſdictione ſpirituali circa peccata; extenduntur à Doctoribus ad cenſuras etiam in foro exteriori; & ad indulgentias.

De tonſura Clericorum.

DVBIVM LV.

137 PEtes 55. an ſacris initiati teneantur geſtare tonſuram Eccleſiaſticam? Reſpodetur affirmative. Quia in cap. *Siquis de vita, & honeſtate Clericorum* præcipitur, vt quicumque in ſacris Ordinibus cõſtitutus, tonſuram Eccleſiaſticam geſtet factam inſtar coronæ in ſummitate capitis. (quæ initium ſumpſit a D. Petro, teſte Beda, qui illam geſtavit in imitationem coronæ ſpineæ Salvatoris: aut quia ipſi in irriſionem fuit facta ab illis, quibus legem Evangelicam prædicabat; & Eccleſia voluit illam convertere in honorem:) Idem ipſis præcipitur in quodam motu proprio Pij V. in quo etiam ipſis iubetur, quod geſtent habitum Clericalem.

DVBIVM LVI.

138 PEtes 56. an prædictum præceptum obliget ſub mortali? Reſpondetur negativè. Quia lex iſta ſic eſt recepta a doctis, & timoratis. Et merito: quia id præcipitur Clericis in honorem ſtatus clericalis, nempè vt non vilipendatur: ſed regulariter parum vilipendij accreſcit ex hoc, quod non portet quis coronam, aut habitum Clericalem: ergo non obligat ſub mortali. Ita ſi[illegible] verbo *Clericus* 2. *num* 2. *Vazquez diſputat.* 250. *num.* 24. *Armilla, Reginaldus, & Laymanus, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diff.* 27. *Quibus adde Caietanum, quam*[illegible] *diverſo fundamento.* ¶ Sed oppoſitum defendunt *Navarrus* cap. 25. *num.* 100. *& Panormitanus (apud eumdem Hurtad.) loquentes de corona.* Et [illegible]; quod eſt omiſſio rei gravis præceptæ: ergo eſt mortale. Reſpondetur negando conſequentiam: quia, quamquam ſit de gravitate materiæ, hoc præceptum non eſt ſub tanta obligatione receptum. Quod autem humanarum legum obligatio (etiam Pontificis) pendeat ab acceptatione populi, oſtenditur (Deo dante) in tractatu de legibus. Interim legatur Diana 1. *part. tractatu* 10. *Reſol.* 1. Et interim hoc confirmo alio ſimili præcepto Concilij Tridentini, quod, etſi ſtrictiſsimum ſit, tamẽ non eſt ſub tanto rigore receptũ.

Igi-

Igitur Tridentinum *ſeſ. 25. cap. 2.* totaliter interdicit peculiū quarumcumque rerum religioſis vtriuſque ſexus: & tamen hoc prçceptum non obligare dictitant AA. Perſertim legatur P. Frater Ioannes à Cruce *in epit. lib. 1. cap. 3 dub. 2.* qui *cum Lopez, Navarro, & Rodriguez* ſic loquitur: *Intendit Concilium tollere à Religioſis dominium, & proprietatem: &, ſi aliud intendat, illud decretum non eſt cum tanto rigore receptum. Legatur etiam Sanchez tom. 2. ſummæ lib. 7. c. 22. num. 11. & Auſonius verb. Paupertas num. 7.*

139 Ex fundamento noſtræ concluſionis infertur, quòd, ſi ex omiſsione coronæ, aut habitus Clericalis aliquando oriretur vilipendium ſtatus Clericalis; tunc prædicta omiſsio eſſet grave peccatum. Quia ideò docti, & timorati exiſtimant, præceptum illud non obligare ſub mortali; quia iudicant ex illius materiæ omiſsione parum, aut nihil vilipendij accreſcere ſtatui Clericali: ergo quoties ex nimia omiſsione, aut ex alijs circumſtantijs oppoſitum eſſet iudicandum, dicendum foret, peccatum mortale tunc intercedere. Relinquitur autem prudētium iudicio, quādo hoc ſit iudicandum. Et hæc de tractatu Ordinis dixiſſe, ſufficiat.

(.·.)

LAVS DEO

TRA:

Igitur Tridentinum *ſeſ. 25. cap. 2.* totaliter interdicit peculiũ quarumcumque rerum religioſis vtriuſque ſexus: & tamen hoc præceptum non obligare dictitant AA. Perſertim legatur P. Frater Ioannes a Cruce *in epit. lib. 1. cap. 3 dub. 2.* qui *cum Lopez, Navarro, & Rodriguez* ſic loquitur: *Intendit Concilium tollere à Religioſis dominium, & proprietatem. &, ſi aliud intendat, illud decretum non eſt cum tanto rigore receptum. Legatur etiam Sanchez tom 2. ſummæ lib 7. c. 22. num. 11. & Auſonius verb. Paupertas num. 7.*

139 Ex fundamento noſtræ concluſionis infertur, quod, ſi ex omiſsione coronæ, aut habitus Clericalis aliquando oriretur vilipendium ſtatus Clericalis; tunc prædicta omiſsio eſſet grave peccatum. Quia ideò docti, & timorati exiſtimant, præceptum illud non obligare ſub mortali; quia iudicant ex illius materiæ omiſsione parum, aut nihil vilipendij accreſcere ſtatui Clericali: ergo quoties ex nimia omiſsione, aut ex alijs circumſtantijs oppoſitum eſſet iudicandum, dicendum foret, peccatum mortale tunc intercedere. Relinquitur autem prudẽtium iudicio, quãdo hoc ſit iudicandum. Et hæc de tractatu Ordinis dixiſſe, ſufficiat.

(.·.)

LAVS DEO

TRACTATVS
DE SACRAMENTO
EXTREMÆ VNCTIONIS
IVXTA MENTEM
Scoti.

PROOEMIVM.

De hoc Sacramento agunt Scholaſtici cũ Magiſtro *in 4. diſtinctione 23. vbi Scotus quæſt. vnica, & Scotiſtæ.* Immo & Angelicus Doctor ibidem: etenim morte præventus in Partibus de Extrema vnctione non diſputavit. Quare quæ in tertia parte D. Thom. de Extrema vnctione *in additionibus à quæſtione 29. vſque à 33.* reperiuntur, erunt fortaſsis conſentanea doctrinæ Angelici Doctoris; ab ipſo tamen non ſunt inibi elaborata. Igitur etiam D. Thom. agit de Extrema vnctione *in 4. diſtinctione 23.* Alij autem AA. in diverſis tractatibus. Præſertim legantur *noſter Fabro diſputatione de Extrema vnctione, Coninch diſputat. 19. & G. Hurtado tractatu de Extrema vnctione.*

Hoc vnum præmonendum duxi, quòd priùs tractant AA. de Pœnitentia, quàm de Extrema vnctione, & Ordine: Ego tamen vtrumque tractatum præmitto ad tractatum de Pœnitentia, & Euchariſtia, vt in præſenti tomo hos tractatus complectens à brevioribus iam expeditus ad fuſiores de Pœnitentia, & Euchariſtia diſputationes applicer commodiùs. ¶ Omnia vero, quæ de hoc Sacramento hac noſtra tempeſtate diſputant, vnico capite (ſicuti Scotus vnica quæſtione) perſtringemus; prædictum caput in dubia diſſecando.

CAP. VNIC.

De omnibus & ſingulis, quæ ad Sacramentũ Extremæ vnctionis qualitercumq; poſſunt ſpectare.

De ſpectantibus ad eſſentiam Extremæ vnctionis.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid ſit Extremavnctio? Reſpond. quòd *eſt vnctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium.* Ita Scotus citatus, vbi latè explicat ſingulas particulas huius definitionis. Nobis autem breviter ſic probatur, aut declaratur iſta definitio. Ly *vnctio* ponitur pro genere; in quo hoc Sacramentum cõvenit cum alijs vnctionibus tàm Sacris, quã non ſacris; quæ habent rationem ſigni ſenſibilis. ¶ Ly *hominis infirmi* ponitur pro differentia ſimul cum alijs: per quod denotatur, hoc Sacramentum non eſſe adminiſtrandũ homini ſano; neq; expoſito periculo mortis: immò neque cuicumque infirmo; ſed illi tantùm, cuius mors imminẽs probabiliter timetur: & cui neceſſe eſt non retardari ob peccata ſua ab ingreſſu regni cœleſtis. ¶ Ly *hominis pœnitentis* denotat, hoc Sacramentum requirere ſtatum gratiæ per pœnitẽtiam acquiſitæ. Quare qui ſunt incapaces pœnitentiæ, (vt parvuli, perpetuò amentes, & furioſi) ſunt etiam incapaces huius Sacramenti. ¶ Ly *in determinatis partibus corporis* denotat, infirmũ eſſe vngendum in organis, quibus anima peccatis inficitur: quia prædicta organa per peccatũ originale prona ad malum, & quaſi vulnerata remanſerunt: & cùm aliàs per Extremam vnctionem auferri intendantur reliquiæ peccatorum, congruè vnguntur prædicta organa, vt ipſis curatis, anima ad ampliùs peccandum non excitetur. ¶ Ly *cum oleo* denotat, in hac vnctione non requiri balſamũ; ſicut in confirmatione. ¶ Ly *conſecreto ab Epiſcopo* declarat, nõ cum quocumque oleo benedicto poſſe conferri hoc Sacramentum. ¶ Ly *miniſtrata à Sacerdote* denotat miniſtrum neceſſarium Extremæ vnctionis. ¶ Ly *ſimul verba certa proferente* denotat & formam huius Sacramenti, & ſimultatem, quã forma debet habere cum vnctione. ¶ Ly *cum debita intẽtione* denotat qualem intẽtionem debet habere miniſter.

2 Ver-

2 Verbis hucuſque explicatis declaratur Sacramentum vnctionis Extremæ quantum ad phyſicum, ſeu quantùm ad res, quibus conſtat, ſeu integratur.

¶ Per reliqua verò verba declaratur, ſeu definitur quantum ad eſſe metaphyſicum. Quarè metaphyſicè hoc Sacramentum eſt *vnctio* (ſeu ſignum ſenſibile) *ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialiũ.*

¶ Vnde coſtat, Scotum in præcitatis verbis tàm phyſicũ, quàm metaphyſicum Extremæ vnctionis comprehendiſſe.

3 Conſtat etiam, prædictam definitionem eſſe optimam; quia cõſtans genere, & differentia optimè declarat naturam Extremæ vnctionis; nullaque particula in ea aut deficit, aut ſuperfluit. Pro pleniori autem huius explicatione recolantur, quæ diximus *in tract. de Sacramentis in genere cap. 1. à num. 7.*

DVBIVM II.

4 PEtes ſecundò, quid nominis? ſeu quare hoc Sacramentum dicatur Extrema vnctio? Reſpõdetur, dici vnctionem: quia proxima materia illius conſiſtit in hoc, quod eſt vngere corpus infirmi cum prædicto oleo ſancto. Dicitur autem extrema. Tùm quia confertur homini exiſtenti in extremo termino vitæ. Tùm quia eſt vltima, & extrema, qua Sacramentaliter vngitur homo viator. Primò enim, quando baptizatur, vngitur in vertice: ſecundo, quando confirmatur vngitur in fronte: tertiò, quando ordinatur Sacerdos, vngitur in manibus; &, quando conſecratur Epiſcopus, vngitur in capite, & in manibus: & tandem, quãdo ipſi in extremis exiſtenti confertur Sacramentum Extremæ vnctionis, vngitur in pluribus partibus, nempe in organis, quibus anima poteſt inficipeccatis.

De ſpectantibus ad materiam remotam Extremæ vnctionis.

DVBIVM III.

5 PEtes tertiò, quæ ſit materia remota huius Sacramenti? Reſpond. eſſe oleum Quia *Iacobi 5. n. 14.* ſic exprimitur: *vngentes eum oleo in nomine Domini, &c.* ¶ Hoc autem oleum debet eſſe olivarum: quia ſolùm illud eſt ſimpliciter tale.

¶ Itèm debet eſſe ab Epiſcopo benedictum; ex cõvenientia Doctorum. ¶ Diſcordant autem in explicando neceſſitatem huius benedictionis: nam *Victoria in ſumma num. 216.* dicit ſolùm eſſe neceſſariam neceſsitate præcepti, quòd vnctio fiat oleo ab Epiſcopo benedicto. ¶ *Caietanus autem 3. part. quæſt. 72. art. 3. & Sotus in 4. diſt. 7. art. 3.* dicũt eſſe neceſſariũ neceſsitate Sacramenti, quòd oleum ſit benedictum.

Quod

Quòd autem hæc benedictio fiat ab Epiſcopo, ſolùm eſſe neceſſa rium neceſsitate præcepti.

¶ Nobis autem dicendum eſt, eſſe neceſſarium neceſsitate Sacramenti, quod oleum ſit benedictum, & quod ab Epiſcopo acceperit talem benedictione. Quia *Eugenius IIII. in Florentino, & Trident. ſeſ. 14. cap. 1. de Extrema vnctione*, dum dogmatice tradunt materiam huius Sacramenti, affirmant, *eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum*. Secundo, quia ſic fert Eccleſiæ antiquus vſus. Confirmatur ex dictis *in tract. de Confirmatione à num. 25* Ita noſter *Villalobos tract. 10. diff. 1. n 5 Coninch diſput. 19. num. 6. & communior ſententia.* ¶ Notat, aut Villal. *ibi* cum alijs, benedictionem ab Eccleſia in manuali præſcriptam ſolum eſſe neceſſariam neceſsitate præcepti Quia, poſita quaibet benedictione facta ex invocatione Dei, verificatur, oleum eſſe ab Epiſcopo benedictum.

DVBIVM IIII.

6 PEtes quartò, an extet præceptum renovandi oleum benedictum per ſingulos annos? Et conſequenter non vngendi cum oleo anni præteriti; aut cum oleo veteri? Reſpondetur negatiuè. Quia nō aſsignatur tale præceptum, ſeu vbi cōtineatur. Ita *Henriqu. lib. 3. cap. 8. & favet Ledeſma tomo 1. cap. 2 de Sacrament. Extremæ vnctionis in fine*, dum dicit, non eſſe certum, extare præceptum de renovatione olei. Vnde prędictus Henriq. *l b 2. cap. 29. num. 3.* determinat, quod non prohibetur, vngere infirmos veteri oleo. ¶ Dices, eſſe conſuetudinem quotannis renovādi oleum benedictū: ergo talis conſuetudo tranſit in legem obligatoriam. Reſp negando conſequentiam: vt enim aliqua conſuetudo tranſeat in legem obligatoriā, requiritur, quod fuerit introducta cum animo ſe obligandi; necnon & plura alia: vt (Deo dante) dicemus *in tracta. de legibus*. Igitur, cum non conſtet, conſuetudinem iſtam habere conditiones ad obligandum requiſitas; immeritò dicitur obligare. Inſupèr, cùm, etſi ab Eccleſia diſponatur, quod vnctio fiat cum oleo in illo anno benedicto; non conſtet, in hac diſpoſitione intervenire præceptum, abſque fundamento ponitur præceptum renovandi oleum; & nō vngendi cum veteri. ¶ Adde, oleum ſemel benedictum non poſſe amittere benedictionem, niſi in caſu, quo corrumpatur: ſed oleum anni præteriti non corrumpitur antiquitate; immo depuratur: ergo nullum eſt peccatum vngere cum oleo anni præteriti.

7 Ex quibus reijcio Zambranum *cap 5. dub 4. num. 14* dicentem, mortaliter peccare Sacerdotē, qui vnxit infirmum cum oleo veteri. Immo & Dianam *3 part. tractatu 4. Reſ lut. 176* qui affirmat, prædictum oleum vetus ſolùm

lùm eſſe adhibendũ, quãdo novũ non poteſt haberi. Per quod videtur affirmare peccare mortaliter Sacerdotem, qui vtitur oleo veteri, niſi inſtante neceſsitate, ſeu inopia novi. Mihi autem vtrumque diſplicet propter dicta. Quare abſolutè affirmo, ſolùm intervenire peccatum mortale in vſu olei veteri, quando hoc fit ex contemptu Eccleſiaſticæ cæremoniæ benedicendi oleum Extremæ vnctionis per ſingulos annos, & comburendi vetus, ſeu anni præteriti.

Dvbivm V.

8 PEtes quintò, an validè quis vngeret infirmum cum chriſmate confirmationis? Reſpondetur affirmativè. Quia materia chriſmatis eſt oleum ſimul cum balſamo ab Epiſcopo benedictum: immo maior pars huius materiæ eſt oleum, iuxta dicta *in tract. de Confirmat. num.* 23. ergo tunc verificatur, quòd infirmus vngitur oleo ab Epiſcopo benedicto. Confirmatur: vt enim notabamus *num.* 5. non requiritur determinata benedictio pro oleo cõfirmationis: ergo poſita benedictione chriſmatis, verificatur, infirmum vngi cum oleo ab Epiſcopo benedicto. Ita Laiman *in Theolog. mor. lib.* 5. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 3.

(.·.)

Dvbivm VI.

9 PEtes ſextò, an vna gutta olei ſit ſufficiens in vnaquaque vnctione ad cõferendum Sacramentum Extremæ vnctionis? Reſpondetur affirmativè. Quia vna gutta aquæ ſufficit ad validitatem Baptiſmi: ergo a ſimili. Antecedens cõſtat *ex tract. de Baptiſmo cap.* 2. *num.* 21. Et ratio eſt, quòd tunc verificatur miniſtrum Sacramentaliter abluere; & vngere. Ita *Reginaldus, Suarez, & Gaſp. Hurtado, quos citat, & ſequi videtur Diana* 3. *part. tractatu* 4. *Reſolutione* 177. *contra Filliucium.*

De ſpectantibus ad materiam proximam Extremæ vnctionis.

SVppoſito tamquam certo apud omnes, vnctionem ipſam eſſe materiam proximam Extremæ vnctionis: ſicut ablutionem baptiſmi; vnctionem cum oleo, & balſamo Confirmationis; &c. reſtant ſequentia dubia decidenda.

Dvbivm VII.

10 PEtes ſeptimò, quantus debeat eſſe numerus vnctionum? Reſpondetur, quod Florentinum requirit ſeptem vnctiones, nempè quinque in organis ſenſuum, & ſextã in pedibus,

in quibus ſpecialiter reſidet potentia locomotiva: & demùm ſeptimam in renibus, in quibus reſidet luxuria. Sic docuerat Scotus *diſtinct. 23. §. De ſecunda verſ. Quod additur, in determinatis.*

¶ Nota, quòd in aliquibus organis ſenſuum geminantur vnctiones, nempè in oculis, auribus, manibus, & pedibus. Vnde fit, vndecim vnctiones frequenter adhiberi. Notant tamen communiter Scotus, & alij, hanc geminationem non eſſe de neceſsitate Sacramenti; immò neque præcepti ita, vt tempore neceſsitatis non poſsit omitti.

Dvbivm VIII.

11 Petes octavò, an prædictæ ſeptem vnctiones ſint de neceſsitate Sacramēti? Reſpondetur negativè. Quia ad ſalvandum Florentinum ſufficit dicere, requiri omnes tamquā partes integrales: nihilque vrget, vt dicamus, illas requiſiviſſe tamquam partes eſſentiales. Patet aſſumptum à ſimili de Sacramento Euchariſtię: in quo, etſi ſint duę ſpecies, nempè panis, & vini; in qualibet tamen ſalvatur eſſentia Euchariſtiæ; & ideò neutra determinatè ſpectat ac eſſentiam, ſed ad integritatem illius. Idem patet in Sacramento Ordinis, quod integratur, ſeu perficitur in Sacerdotio; Diaconatus verò Subdiaconatus, & ipſum Sacerdotium (& fortè Ordines minores) ſunt partes integrantes illius Sacramenti. Probatur ſecundò: quia poſita vnica vnctione cum forma ſibi correſpondente, verificatur, quòd homo eſt Sacramentaliter vnctus, immò & totaliter: ſicut lota vna parte corporis per Baptiſmum, verificatur, quòd homo totaliter manet baptizatus. Ita innuit Scotus *diſtinctione 23. §. Ad primum verſ. Ad ſecundum* (vbi ſic proſequitur) *dico, quòd eſt vnum Sacramentum vnitate integritatis; non vnitate indiviſibilitatis.* Pro hac ſententia citat Coninch *Palud. & Ioannem de Medina*; immò affirmat, quòd ei aliquomodo favet D. Thom. *in ſupplemento quæſt. 29. artic. 2.* quatenùs comparat hoc Sacramentum, quoàd vnitatem attinet, cum Euchariſtia. Et addit, quod huius ſententiæ fuit tota vniverſitas Lovanienſis anno 1588 quæ vnà cum Archiepiſcopo probavit Paſtorale Mecliníenſe; in quo *can. 9.* de Extrema vnctione dicitur, in morbis contagioſis ſufficere vngere organum ſenſuum magis obvium dicendo: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piſsimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.*

12 Sed *Sotus, Bellarm. Valentia, Henriq. Suarez & ferè communiter*, teſte pręcitato Coninch, dicunt, quinque illas vnctiones organorū ſenſuum eſſe de eſſentia Sacramenti. ¶ Immò Fa-

non renes debet vngi. Reſpondetur negando conſequentiam: quod enim ſit in vmbilico fœminæ comcupiſcentia, non prohibet, etiam reſidere in renibus: vt benè notat Fabro ibi. Potiùs autem vngendi ſunt renes, quàm vmbillicus: quia in illis reſidet potētia generativa. Necnō & propter decentiam.

De ſpectantibus ad formam Extremæ vnctionis.

Dubium IX.

15 PEtes nonò, quę ſit forma huius Sacramenti? Reſpondetur, eſſe illam: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum. Amen.* Quando vnctio applicatur oculo, vel oculis: & quando applicatur auribus per *auditum*: & quando applicatur pedibus, per *inceſſum*: & in cæteris ſimili modo. Repetitur autem tota forma dicendo: *Per iſtam ſanctam vnctionem, &c.* quoties diverſo organo applicatur vnctio; non verò quando applicatur alteri organo eiuſdem ſenſus. Itaque vterque oculus vngitur ſub vna forma. Idem eſt de vtraque manu; vtroque pede; vtraque aure. Quando verò poſt oculorum vnctiones vnguntur aures, v. g. forma repetitur. Prædictam formam aſsignāt Eugenius Quartus, & Trident. *ſeſ.* 14. *cap.* 1.

Dubium X.

16 PEtes decimò, an ad valorem huius Sacramenti ſit neceſſaria forma modo deprecativo collata? Reſpondetur affirmativè. Quia Divus Iacobus (qui fuit promulgator huius Sacramenti) *cap.* 5. *à num.* 13. id ſatis declarat dicens, quod Presbyteri conferentes hoc Sacramentum infirmo *orent ſuper eum, &c.* & paucis interiectis, *& oratio fidei ſalvabit infirmum, &c.* oratio autem neceſſario ſecum fert modum deprecativum. Conſtatque ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ. ¶ Si tamen dicas, ex his ſolùm probari factum; non autem neceſsitatem. Contra eſt, quòd, ſi forma deprecativa eſt ſufficiens ad valorem huius Sacramenti; abſoluta, ſeu indicativa non ſufficit: (Hæc v. g. *vngo te in indulgentiam illius, quod deliquiſti per viſum. Amen.*) quia in nullo Sacramento ſunt duæ formæ non æquivalentes quoàd ſenſum: quales ſunt indicativa, (quæ ſignificat auctoritativè) & deprecativa; quæ habet modum contrarium. Ita *Suar. diſp.* 40. *ſect.* 3. *Ægid. diſp.* 19. *n.* 14. *& Sotus in* 4. *d.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *quos citat, & ſequitur G. Hurt. diſſ.* 7. *dicens, ſic communiter ſentire DD. His adde Nugnum, Silvium, Ledeſmam, & Bonacinam, quos citat Dian.* 3. *part. tract.* 4. *Reſol.* 175. *dicens, quod ſic ſentiunt alij communiter.*

17 Sed oppoſitum defendunt *Noſter Richardus in 4. diſt. 23. art. 1. quaeſt. 4. Palud. Albertus Durandus, & Adamus Tannerus citati à prædicto Hurtado. His adde Becanum, quem citat Diana ibi dicens, quòd Suar. & Filliucius putant, hanc ſententiam eſſe probabilem.* Et obijciunt: In alijs Sacramentis forma data modo indicativo ſufficit: ergo & in iſto. Reſpondetur negando conſequentiam: quia in alijs Sacramentis inſtituit Chriſtus Dominus formam indicativam; in iſto autem deprecativã: vt conſtat ex Scriptura, concilijs, & vſu Eccleſiæ; & expendebamus *n.* 10. Congruentia vero huius diſcriminis eſt, quòd miniſter huius Sacramenti inſtitutus eſt partim inſtar medici, qui vnctione ſanat ſpiritualiter, & corporaliter; & partim inſtar Sacerdotis, qui oratione impertitur vtramque ſalutem, ſcilicet animæ, (auferendo directè venialia, & peccatorum reliquias) & corporis ſub conditione, quòd expediat. In alijs verò Sacramentis longè aliter ſe habet miniſter: quia in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine ſe gerit, tamquam ſuperior; in pœnitentia tamquam iudex; in matrimonio tamquam contrahens, & paſciſcens; & demùm in Euchariſtia tamquam, qui imitatur factum Chriſtum D. ad quæ omnia congruentior eſt modus indicativus.

18 Obijcies ſecundò, quòd Eccleſia Mediolanenſis tempore Divi Ambroſij, & olim apud Venetos forma Extremæ vnctionis proferebatur modo indicativo, nempè *vngo te*, &c. nulla deprecatione facta: ergo hæc forma eſt ſufficiens. Reſpondetur, cum præcitatis Hurtado, & Coninch, difficilè credendum eſſe, Mediolanenſes, & Venetos aliquando vſos fuiſſe forma indicativa non addendo aliqua verba æquivalentia noſtræ formæ deprecativæ. Quod ſi ita non fiebat, (Poteſt enim Eccleſia aliqua particularis errare. Sicut Eccleſia Carthaginenſis temporibus Aggrippini, & Divi Cypriani videtur erraſſe rebaptizando illos, qui ab hæreticis, & chiſmaticis fuerant baptizati. Recolantur dicta *in tractatu de Sacramentis in genere cap. 3. num.* 31.) id debuit corrigi: & prædictæ Eccleſiæ debuerunt Romanæ Eccleſiæ accommodari; vt nunc fit.

Dubium XI.

19 Petes vndecimò, an omnia illa verba, *Per iſtam ſanctam vnctionem, &c. num.* 15. relata ſint de neceſsitate formæ? Reſpondetur negativè. Quia totum requiſitum ex parte cauſæ principalis actionis, & effectus continetur in his verbis: *Per iſtam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti. Amen*: ſecundò quia totus integer

ger ſenſus habetur in prædictis verbis. Ita innuunt *G. Hurt. diſſ. 7. Coninch diſp. 19. n. 15. & Diana 3. part. tract. 4. Reſol. 175. & Reſ.* 180. Et ideò affirmant, verba iſta *ſanctam, & ſuam pyſsimam miſericordiam* non eſſe de neceſsitate formæ: quamvis (addunt) ſint de neceſsitate præcepti. Immò exiſtimat Hurt. eſſe peccatum mortale illa omittere, quando recipiens non admonetur de periculo nullitatis. Hoc tamen mihi nō ſatis probatur: cùm hoc Sacramentum non ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. ¶ Noſtram concluſionē etiam innuunt *Ægidius, Reginaldus, Bonacina, & Tannerus apud prædictum Hurt.* quatenus affirmant, non eſſe de ſubſtantia formæ verba illa, *per viſum, per auditum, &c.* quæ correſpondent ſenſibus, aut potentijs, quæ vnguntur.

Dubium XII.

20 PEtes 12. an in forma Extremæ vnctionis addēda ſint iſta verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?* Reſpōd. eſſe addēda ſub peccato, vbi viget cōſuetudo; ſecùs autē vbi talis conſuetudo non eſt. Quia ſuppoſito, quod prædicta verba non ſunt de neceſsitate formæ ex ſua inſtitutione: aliàs nullo modo omitterentur, ſciente, & permittente Eccleſia: & ex alia parte non aſsignetur præceptum proferendi talia verba, ſi aliqua extet obligatio, reducenda eſt in cōſuetudinē: ergo vbi iſta no eſt, ſine culpa omittuntur: ſecùs autē vbi adeſt. Ita *Ægidius diſ. 19. n. 15. & G. Hurt. diſſ. 7. contra Palud. & Angelum; qui abſolutè affirmant, prædicta verba eſſe neceſſaria neceſsitate præcepti: & contra Ledeſmam, & Suarez oppoſitum affirmantes.*

Dubium XIII.

21 PEtes 13. an hæc forma ſufficiat, *per iſtas ſanctas vnctiones,* (vngendo omnes, & ſingulas partes) *& ſuam piiſsimā miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c.* Reſp. affirmativè. Quia tenet baptiſmus multorū ſub hac forma, *Ego vos baptizo, &c.* ergo à ſimili. Præterea à prædicta forma æquivalet repetitioni omniū formarum, quæ ex diſpoſitione Eccleſiæ pluribus partibus diſtribuūtur. Ita *G. Hurt. diſſ. 7. in fine.* Cōfirmatur ex dictione 11. *in fine*: vbi diximus, tenere Extremā vnctionem vngendo vnicū organū ſenſuum, & dicendo: *Per iſtam ſanctā vnctionē, & ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratū, guſtū, tactū, & greſſum.* (Addendū exiſtimo, atque per *ardorē libidinis.*) Vnde à fortiori dicendum eſt, etiam tenere Extremā vnctionē per hanc formam de numero plurali, *per iſtas ſanctas vnctiones, &c.* quia in re eſt eadem forma repetita; vel fortè eſt eadem omnino.

De ſpectantibus ad miniſtrum Extremæ vnctionis.

DVBIVM XIV.

22 PEtes decimo quartò, quis ſit miniſter Extremæ vnctionis? Reſpondetur, eſſe Sacerdotem. Quia *Iacobi* 5. *inducat Presbyteros Eccleſiæ* : vbi per *Presbyteros Eccleſiæ* non intelligũtur ſeniores ; ſed verè Sacerdotes: vt definit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 4 *de Extrema vnctione.* Et fert vſus Eccleſiæ ; in qua nullus, niſi Sacerdos, hoc Sacramentum adminiſtrat , etiam ſi infirmus deceſſurus ſit abſque Extrema vnctione, quia deficit Sacerdos.

¶ Dices , quòd Innocentius Primus *epiſt.* 1. *ad Decentium cap.* 8. dicit, *non tantùm Sacerdotibus, ſed etiam omnibus Chriſtianis in ſua , & ſuorum neceſsitate licere vti oleo Sancto ab Epiſcopo conſecrato.* Reſpõdetur, præcipuè cum Gaſp. Hurtado *diff.* 12. loqui de vſu dicti olei, non ad conficiendum Sacramentum ; ſed ad ſanandum corpora. Itaque, ſi alicubi vngebantur corpora infirmorum cum oleo Extremæ vnctionis corporalis ſanitatis gratia; ſicut antiquiſsima conſuetudo fert, hoc fine vngi corpora infirmorum cum oleo lãpadis huius, vel illius imaginis, aut Sancti; hæc vnctio fieri poterat à non Sacerdote. Reſpondetur ſecundò, cum eodem, quod, ſi loquitur de vſu olei ad conficiendum Sacramentum , non loquitur de vſu activo, ſed de paſsivo : quaſi diceret, omnibus licere vngi ; ſed non niſi à Presbyteris: vt deducitur ex verbis antecedentibus.

23 Notant communiter, nullum Sacerdotem (niſi ſit proprius Paſtor, aut de illius licentia) poſſe adminiſtrare Extremam vnctionem. Quia hoc eſt proprium officium Paſtoris. Et Religioſi non Religioſis adminiſtrantes hoc Sacramentum abſque Parochi licẽtia ipſo facto excommunicantur *in Clementina* 1. *de Privilegijs.* In neceſsitate tamen, quando alias ægrotus moriturus eſſet ſine Extrema vnctione , quilibet Sacerdos (etiam ſi Parochus ægrè ferat) licitè poteſt illam adminiſtrare Quia licentiam rationabiliter præſumptam habet , ſaltèm ab Eccleſia. Ita *Suarez , Valentia, Ægidius, & Reginaldus, quos citat & ſequitur Gaſp. Hurtado diff.* 12. *contra Toletum.* ¶ Circa prædictam excommunicationem impoſitam Religioſis miniſtrantibus hoc Sacramẽtum extra neceſsitatem ſine licentia Parochi, eſt aliqua controverſia. Quia Fernandez exiſtimat, etiam incurri à Sacerdote ſæculari. Victorellus tamen (cui ſubſcribo) oppoſitum defendit. Quia pœnæ ſunt reſtringendæ. De quo videatur Auſonius verbo *Extrema vnctio num.* 23.

(.·.)

DV-

Dubium XV.

24 Petes decimo quintò, an plures Sacerdotes poſſint validè diverſas vnctiones eiuſdē infirmi adminiſtrare? Reſpondetur affirmativè. Quia quælibet vnctio cum ſua forma independens eſt ab alia: ergo poteſt à diverſo miniſtro conferri. Ita *Gaſp. Hurtado diſſ.* 12. dicens, quod ſic communiter advertunt Doctores. Ipſeque, & communiter notant, vnum tantùm debere miniſtrare, niſi aliàs neceſsitas (qualis foret mors infirmi ſine omnibus vnctionibus) aliud exigeret. Quia extra neceſsitatem vſus Eccleſiæ fert, omnes, & ſingulas vnctiones ab vnico miniſtrari.

Dubium XVI.

25 Petes decimo ſextò, an Parochus teneatur tēpore peſtis miniſtrare Extremam vnctionem cum periculo vitæ? Reſpondetur negativè. Quia hoc Sacramentum non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem: neque de illo recipiendo extat præceptum: vt dicemus à *num.* 47. Ita *Gaſp. Hurtado, Villalobos, Armilla, Suarez, & Molfeſius, quos citat, & ſequitur Diana 3. p. tract.* 4. *Reſolut.* 174. *contra Silvium, & Nugnum.* ¶ Quando autem Parocho non imminet periculum prædictum, tenetur ex iuſtitia, aut ſaltē ex fidelitate vnctionem conferre ægroto indigēti, & eam ſaltèm interpretativè petēti. Quia ex officio tenetur, conferre propriæ ovi nō ſolùm neceſſaria, ſed etiam vtilia, præſertim in articulo mortis. De quo redibit ſermo *num.* 50. ¶ Immò addunt multi, quòd in caſu neceſsitatis, ſi non adeſt Paſtor, vel non poſſet, aut nollet iniuſtè hoc Sacramentum infirmo miniſtrare, quilibet alius Sacerdos, qui ſine notabili incommodo poſſet, tenetetur hoc Sacramentum infirmo miniſtrare, ſub veniali. Immò, & ſub mortali in aliquo ſpeciali caſu (addit Laiman apud Auſonium *verbo Extrema vnctio num.* 23.) videlicèt ſi infirmus non potuiſſet Sacramentum confeſsionis, aut aliud recipere. Quia tunc fortè infirmus habet tantùm attritionem: cum qua adiunctum hoc Sacramentum fortaſsis fit contritus: eſt enim ſub opinione poſitum, an Sacramenta vivorum conferant primam gratiam aliquando? Recolantur dicta *in tract. de Sacrament. in genere cap.* 4. *à num.* 8. Cum ergo fortè ſalvari poſsit ex adhibitione Extremæ vnctionis; videtur graviter obligari quemlibet Sacerdotem licitè potentem miniſtrare hoc Sacramentum in prædicto caſu.

(.·.)

De ſpectantibus ad ſubiectum recipiens Extremam vnctionem.

Dvbivm XVII.

26 PEtes 17. an nō baptizatus ſit incapax recipiendi Extremam vnctionem? Reſp. affirmativè. Quia, Baptiſmus eſt ianua Eccleſiæ. Quare qui per ianuam non intravit, Eccleſiæ Sacramenta participare nequit. In hanc concluſionem conſpirant omnes.

Dvbivm XVIII.

27 PEtes 18. an infantes, & perpetuò amentes ſint incapaces recipiendi Extremam vnctionem? Affirmāt cōmuniſsimè DD. Quia id inſinuatur Iacobi *cap.* 5. verbis illis; *inducat Presbyteros Eccleſiæ*: quibus conſtat, habere delectum vocandi Presbyteros. Secundò, quia prædicti ſunt omninò immunes à peccato perſonali: ergo falso diceretur; *indulgeat Deus quidquid peccaſti per viſum*; v.g.

28 Ego tamen huic communiſsimo placito non ſatis acquieſco. Tūm quia verba D. Iacobi non omninò premunt: poſſent enim explicari de communi, & regulari modo operandi, hoc eſt, quando hoc Sacramentum confertur adulto, qui non amiſit vſum rationis: non autem quando recipitur ab adulto ſenſibus deſtituto; aut ab amente, qui numquam habuit rationem; aut ab infante. In his enim caſibus verba Iacobi accipienda ſunt de voluntate rationabiliter præſumpta, vel interpretativa: prudenter enim præſumimus, aut interpretamur, eum, qui in Chriſtianitate vixit, habere voluntatem recipiendi tempore opportuno opportuna ſpiritualium infirmitatū remedia, aut Sacramēta. Nec alia ratione ducta Eccleſia adminiſtrat hoc Sacramentum adulto repentè ſenſibus deſtituto; necnon & amenti morituro, qui aliquando habuit vſum rationis. ¶ Tūm etiam prædicto placito non ſatis acquieſco: quia ſi non fuerunt incapaces Sacramenti Baptiſmi Chriſtus Dominus, & eius Sanctiſsima parens; etiam ſi aliàs fuerunt immunes ab originali; (vt diximus *in tract. de Baptiſmo cap.* 7. *à num.* 12.) cur dicemus, eſſe incapacem Extremæ vnctionis, qui numquam peccavit defectu vſus rationis. Inſuper, ſi poteſt adminiſtrari hoc Sacramentum in oculis illi, qui à nativitate eſt cæcus; verbi gratia, (vt conſtabit ex his, quæ dicam *à num.* 30.) cur non adminiſtrari poterit illi, qui ob defectum vſus rationis numquam peccavit? Vnde timeo, minùs conſequenter loqui hos AA.

29 Nec vrget illud de falſificatione formæ: quia forma iſta, *indulgeat*

geat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum v.g. nō reddit hunc ſenſū: *indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti actualiter*: ſed iſtum: *conferat tibi Deus gratiā remiſsivā peccatorū, quæ per viſum cōmiſiſti, ſi aliqua ſunt*. Sicut loquēdo de Baptiſmo diximꝰ, quod hæc forma: *Ego te baptizo, &c.* nō reddit hūc ſenſum: *ego te abluo à peccato*; ſed iſtum: *ego confero tibi gratiam remiſsivam peccati*. Et ideo, quando baptizatur ille, qui eſt immunis ab Originali (vt fuit Chriſtus Dominus, quem recepiſſe Sacramentum Baptiſmi, docuit Damaſc. *lib. 4 de Fide cap.* 10. Item fuit Beatiſsima Virgo: quam fuiſſe baptizatam, docent *Eutymius, Suarez, Vazquez, & G. Hurtado* vt notabamus *in tract. de Baptiſmo cap. 7. n. 13.*) non propterea falſificatur forma: *Ego te Baptizo, &c.* quia, etſi ſit abſoluta, quātum ad receptionem gratiæ; & eius primarij effectus; (qui eſt reddere hominem filium Dei adoptivum, heredem gloriæ, &c.) tamen quantum ad effectum ſecundarium (qui eſt expulſio peccati) eſt conditionata; hoc eſt, expellit peccatū, *ſi ineſt*: vt contigit in Beatiſsima Virgine, (ſi aliàs, quando recepit baptiſmum, non habebat ſummam plenitudinem gratiæ) & in omnibus, qui in lege gratiæ fuerunt ſanctificati in vtero materno. (Recolantur dicta *in tract. Baptiſmi cap. 7. num 21.*) Adde, idem contingere, quando baptizatur adultus, qui per præcedentem contritionem, aut ſupernaturalem dilectionem Dei, iuſtificatus eſt tàm ab originali, quàm à perſonali peccato. Igitur ſicut prædicta forma Baptiſmi. *Ego te Baptizo, &c.* eſt vera, etiam ſi baptizatus nullum habeat peccatum, quia quantum ad actualem expulſionem peccati eſt cōditionata, *ſi peccatum inſit*: ita in præſenti vera eſt hæc forma: *indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum* v.g. quia ly *quidquid peccaſti* ſumitur conditionatè: vt notat G. Hurt. *diſſ. illa* 10. addens, ſic inſinuari verbis illis Iacobi, *ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Dubium XIX.

30 **P**Etes 19. an adultus, qui numquam peccavit adhuc venialiter, ſit capax Extremæ vnctionis? Reſpondetur affirmativè. Quia hoc Sacramentum eſt remiſsivum peccatorū, ſi ſint in ſubiecto: vt colligitur ex illis verbis: *&, ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: *Iacobi* 5. Secundò, quia non requiritur, quòd infirmus peccaverit per determinatum ſenſum, (olfatum v.g.) vt illi applicetur illa partialis forma: *indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per odoratum*: ergo neque requiritur, quòd peccaverit aliquo ſenſu, vt omnibus illis applicetur totalis forma. Tertiò, quia Beatiſsima Virgo potuit baptizari, & de facto fuit baptizata

zata, etiam ſi non habuerit originale: (vt dixi *in tract. de Baptiſmo cap. 7. à num.* 12. *& à num.* 16.) ergo à ſimili capax erit Extremæ vnctionis, qui non habuit actuale. Ita *D Bonavent. Suarez, & Ægidius, quos citat, & ſequitur G. Hurt. diffic* 10. & ſatis cōfirmatur iſta concluſio ex dictis à *num.* 28.

33 Sed *Vazquez diſp.* 119. *cap.* 8. *& Nugnus citati à prædicto Hurt. Item Albiz, & Fabro* oppoſitum defendunt: & obijciunt Tridentinum *ſeſ.* 14. *in proœmio ad Extremam vnctionem* dicens, hanc eſſe conſumativam pœnitentiæ: ſed qui non peccavit actualiter non eſt capax pœnitentiæ Sacramenti: ergo neque Extremæ vnctionis. Reſpondetur negando conſequentiam: Concilium enim Extremam vnctionem vocat conſumativam pœnitentiæ; quia Sacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum ad delendum peccata; at Extrema vnctio ad tollendum peccata, (venialia ex primaria intentione) necnon, & reliquias peccatorum. ¶ Obijciunt ſecundò Scotum *diſtinct.* 23. §. *De ſecunda concluſione verſ. Quod additur* dicentem, quòd perfectè innocentes ſunt incapaces huius Sacramenti. Præmiſerat autem quaſi pro principio, ex quo illud intulit, quòd Sacramentum hoc debet conferri homini pœnitenti. Quare, qui non habet pœnitentiam ſaltèm de venialibus, (Inquit Scotus) non eſt capax Extremæ vnctionis. Planè ergo adverſatur Scotus, & noſtræ concluſioni; necnon & dictis *à num.* 28. Reſpondetur negando conſequentiam: quia Scotus ibi vocat Incapax recipiendi Extremā vnctionem ſubiectum, quod ipſam recipit inf ructuoſè quoàd effectum remittendi venialia. Sic enim loquitur: *Quod additur pœnitentis, patet; quia nullus eſt capax iſtius Sacramenti dignè, niſi ſit in gratia* (Expendo ly *dignè*) Igitur, ſicut loquendo de illo, qui non eſt in gratia, illum vocat incapacem iſtius Sacramenti, non quidem abſolutè, (Ille enim, qui cum cōſciētia peccati mortalis accederet ad Extremam vnctionem, validè illam reciperet, etſi peccaminosè; non ſecùs ac ſi accederet ad Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium) ſed dignè. Ita loquendo de perfectè innocente, illum vocat incapacem, recipiendi Extremam vnctionē, non quidem abſolutè, ſed fructuosè: etenim ille non reciperet remiſſionem venialium: cum ſupponamus, illa non habere.

34 Obijciunt tertio, quòd, ſi omninò innocenti conferretur hoc Sacramentum, falſa eſſet illa poſterior pars formæ: *indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti.* Reſpōd. negando: quia ſenſus eſt: cōferat tibi Deus gratiam remiſſivam;

vam: vt conſtat ex dictis à *num.* 29. Videatur Aulonius verb. Extrema vnctio à *num.* 17.

DVBIVM XX.

35 PEtes 20 an, hoc Sacramentum ſit conferendũ adulto morienti poſt Baptiſmu ſtatim taliter, vt nullum peccatũ commiſerit. Reſpondetur affirmativè. Quia, etſi non deſerviat ei ad delendum peccata venialia, confert gratiæ augmentum; & auxilia ad reſiſtendum; & ſanitatem corporis, ſi expediat. Sicque fuiſſe practicatum Madriti anno 1620. ex Ioanne Sanciu teſtatur *Auſonius ibi; citatque Præpoſitum contra Nugnum.*

DVBIVM XXI.

36 PEtes 21. an eidem infirmo in eadem infirmitate poſsit pluriès conferri Extrema vnctio? Reſpondetur affirmativè, ſi infirmus liberatus eſt à periculo; & in novum iterum incidit: ſecùs autem ſi in eodem periculo perſeverat. Ita ex *Trid. ſeſ. 14. cap. 3 de Extrema vnctione* fatentur omnes.

De ſpectantibus ad effectus Extremæ vnctionis.

DVBIVM XXII.

37 PEtes 22. effectus huius Sacramenti. Reſpondetur, à Tridentino *ſeſ. 14. cap. 2. de Extrema vnctione* ſic declarari. *Huius Sacramenti res eſt gratia Spiritus Sancti; cuius vnctio delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit; ac ægroti animum alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* ¶ Vnde conſtat, tres eſſe effectus huius Sacramenti, nempè gratiam ſanctificantem, quatenùs habet adiunctam gratiam Sacramentalem propriam huius Sacramenti; vi cuius animus infirmi vi morbi infirmatus, ac torpore quodã depreſſus roboratur, ſeu alleviatur, & excitatur ad ſpem, & fervorem ſpiritualem, ſeu præparatur ad fortiter ſuſtinendũm diaboli inſultus; qui tunc temporis maximè impugnat. Quem effectum aſsignat Tridēt. præallegatis verbis, per illa, *res eſt gratia Spiritus Sanctus.* Secundus effectus eſt remiſsio peccatorũ, (ſaltèm venialium) necnon & reliquiarum peccatorum. Qui effectus eſt expreſſus in præallegatis verbis. Tertius effectus eſt ſanitas corporis non abſolutè, & ſemper, ſed ſub conditione, quod expediat ſaluti animæ ſecundùm divinam providentiam. Qui effectus etiam eſt expreſſus in præallegatis Concilij verbis

DV.

Dvbivm XXIII.

38 PEtes 23. quid per ly *reliquias peccati* veniat intelligendum? Reſpondetur, diviſos eſſe AA. Quidam enim dicunt, concilium per reliquias peccatorum ſignificare peccata, quæ poſt alia Sacramenta ſuſcepta reſtant remittenda; maximè, quæ moribundus propter invincibilem ignorantiam, ſeu oblivionem, aut propter ſenſuum deſtitutionem per confeſsionem delere non poteſt. ¶ Alij volunt, per reliquias peccatorum intelligi infirmitatem quamdam animi; & pœnas temporales; quæ ex peccatis remiſsis reliquuntur. ¶ Ægidius tamen *diſp.* 19. *n.* 17. *ſecutus Bellarminum* exiſtimat, (quibus ſubſcribo) vtramque ſententiam eſſe veram. Quia tam peccata, quæ per Sacramenta expiari non poſſunt (vt manet explicatum) quâm prædicta infirmitas animi, aliæque pœnæ temporales poſſunt propriè vocari reliquiæ peccati: cùm ab illo duxerint originem.

Dvbivm XXIIII.

39 PEtes 24. quiſnam ex effectibus à Concilio aſsignatis ſit primarius, ad quem primò, & per ſe inſtitutum eſt Sacramentum iſtud? Reſpondetur, omnes prædictos effectus à Concilio enumeratos eſſe de primaria intentione Chriſti Domini inſtituentis hoc Sacramentum. Quia ſine congruenti ratione præferretur vnus alij. Itaque Chriſtus Dominus inſtituens hoc Sacramentum voluit indifferenter, æquè primò, aut ſine ſubordinatione vnius ad alium omnes illos effectus a Concilio enumeratos. Et ratio eſt, quod inter illos nulla eſt depēdentia, aut ſubordinatio ex natura rei, aut ex diſpoſitione divina. Quapropter dignè recipienti hoc Sacramentum confertur gratia Sacramentalis, ſeu ius, vi cuius Deus manet obligatus operari omnes, & ſingulos illos effectus a Concilio enumeratos, ſine aliqua dependentia, aut ſubordinatione, vnius ad alium. Quare aliquando omnes illos ſimul operatur; aliquando autem vnum tantùm, aut alium iuxta diſpoſitionem ſubiecti. ¶ Nota, gratiam Sacramentalem eſſe ipſam gratiam ſanctificantem, non præcisè, ſed quatenùs ei annexuit Deus divinam acceptationem habentem ſe per modum legis, & pacti quo Deus ſe obligat conferre ſubiecto habenti talem gratiam collationem ſpecialium auxiliorum in Ordine ad prædictos effectus tempore opportuno operandos. (Recolantur dicta *in tract. de Sacram. in genere cap.* 4. *à num* 43.) Dicimus ergo, quòd dignè recipienti Extremam vnctionē confertur gratia ſanctificans, & ius ad collationem ſpecialium auxilio-

xiliorum, quæ neceſſaria fuerint ad omnes illos effectus à Concilio enumeratos operandos tempore opportuno. Nullamque agnoſco prioritatem, aut poſterioritatem in prædicto iure ad operandum priùs vnum effectum, quàm alium. Benè quidem poteſt eſſe, & de facto erit ſæpiſsimè inter prædictos effectus prioritas, & poſterioritas; non tamen in iure ad illos operandum. Sicuti habenti gratiam ſanctificantē priùs remittitur mortale, quàm conferatur gloria; tamen in iure fundato in prædicta gratia nulla prioritas eſt diſtinguenda.

40 Inſuper noto, inter prædictos effectus nullam eſſe ſubordinationem. Quia, etſi hanc neceſſariò debeamus concedere inter effectus alicuius cauſæ phyſicæ; (v.g. inter expulſionem frigiditatis, & introductionem caloris) nihil tamen cogit ad ſic philoſophandum in cauſis moralibus (quales ſunt Sacramenta reſpectu ſuorum effectuū: *ex tract. de Sacram. in genere cap. 5. à num. 1.*) Et ratio eſt, quòd cauſa naturalis ſine electione, aut libertate producit ſuos effectus; cauſa autem moralis principalis (qualis in præſenti eſt Chriſtus Dominus) liberrimè inſtituit Sacramenta: & conſequenter potuit velle, inter prædictos effectus nullam eſſe ſubordinationem. Quòd autem de facto ſic inſtituerit, conſtat ex eo, quòd contingere poteſt (ſicque fortè paſſim contingit) quòd vi huius Sacramenti conferatur vnus effectus, quia reſpectu illius homo eſt diſpoſitus; & non conferantur alij; quia caret diſpoſitione ad illos requiſita. Ægrè enim mihi ſuadebunt, quòd illi, cui expedit ſalus corporalis, denegetur vi huius Sacramenti; eoquòd habeat complacētiam alicuius peccati venialis; & ob hoc ei non remittatur virtute Extremæ Vnctionis; vel è contra, quòd non remittatur veniale; ſi aliàs ad hoc habet ſufficientem diſpoſitionē; eoquòd non eſt conferenda illi ſalus corporalis.

41 Ex quibus conſtat, in quo ſenſu poſsit ſuſtineri; aut refutēda veniat ſententia affirmans, hoc Sacramentum primò fuiſſe inſtitutum ad remittendum venialia. Pro qua ſententia Ægidius *diſp. 19. n. 16.* citat *Durandum, & Navarrum affirmantem, eſſe communem ſententiam Iuriſtarum. Citat etiam noſtros D. Bonavent. Ricardum, & Scotum.* Sed, quidquid ſit de alijs, Scotus ſolùm affirmat, hoc Sacramentum nō fuiſſe inſtitutum ad acquirendum gratiam, (puta primam; putaque ex primaria intentione) Et fortè nihil aliud docent reliqui citati pro hac ſententia. Quod & nos fatemur: eſt tamen longè aliud ab hoc, quòd intendit Ægidius. Benè enim ſtat, hoc Sacramentum non fuiſſe inſtitutum ex primaria intentione ad dandum primam gratiam ſanctificantē: &

& tamen, quòd in augmẽto gratiæ, quæ per ipſum recipitur, funde|tur æquè primò ius ad remittendum venialia; ad reſiſtendum tentationibus; & ad acquirendũ ſanitatem corporis, ſi expediat: vt nos affirmamus Igitur, ſi hæc ſententia affirmet, remiſsionem venialium ſimul cum alijs effectibus eſſe de prima intentione huius Sacramenti, poteſt ſuſtineri. Secùs autem, ſi loquatur excludendo alios effectus à Concilio aſsignatos.

42 Conſtat etiam ex dictis, in quo ſenſu ſit ſuſtinenda, aut refutanda ſententia aſſerentium, hoc Sacramẽtum eſſe primò inſtitutum ad tollendum reliquias peccati. Pro qua ſententia Ægidius *ibi num.* 17. citat D. Thom. dicitque ipſum ſequi communiter diſcipulos Quibus facilè ſubſcribemus, ſi intendant, reliquias peccatorum ſimul cum alijs effectibus a concilio relatos eſſe de primaria intentione Chriſti Domini inſtituentis hoc Sacramentum. Secùs autem, ſi loquantur in ſenſu excluſivo; intendantque ablationem reliquiarum peccatorum eſſe primarium effectum huius Sacramenti, taliter, vt nihil aliud ſit de primaria intentione Chriſti Domini inſtituentis illud.

Dubium XXV.

43 PEtes 25. an hoc Sacramẽtum poſsit conferre primam gratiam, ſeu remittere mortalia? Reſpondetur affirmativè. Quia Sacramenta mortuorum (baptiſmus, & Pœnitentia) conferunt aliquando ſecundam gratiam: ergo Sacramenta vivorum (de quorum numero eſt Extremæ vnctionis Sacramentum) poterunt conferre primam. Patet conſequentia à paritate Recolantur dicta *in tract. de Sacram. in genere cap. 4. à num. 11.* vbi dubium iſtud late reſolvimus: duoſque modos defendendi hanc cõcluſionem, tamquam probabiles & adduximus, & propugnavimus.

Dubium XXVI.

44 PEtes 26. an tota gratia huius Sacramenti conferatur in vltima vnctione? Reſpondetur negativè. Quia quælibet vnctio cum forma ſibi correſpondente conſtituit vnum Sacramentum eſſentialiter integrum, & completum: ergo vi illius debet conferri gratia aliqua: ergo tota gratia collata vi huius Sacramenti non confertur in vltima vnctione. Ita Scotus *diſt. 23. § Ad primum verſ. Ad ſecundum*, (quatenùs affirmat, quòd effectus huius Sacramenti non eſt vnus vnitate indiviſibilitatis, ſed vnitate plenariæ remiſsionis omnium venialium) *Paludanus quæſt. 1. art. 5. Medina Cod. de Confeſsione q. 11. Quod & probabile reputant Suar. diſp. 41. ſect. 2. & Ægid. diſp. 19. num. 21.*

45 Sed

45 Sed *D. Thom. Suar. & Ægidius, quos citat, & ſequitur, G. Hurt. diff.* 11. (*addens, ſic communiter ſentire DD.*) affirmant, nihil gratiæ conferri per Extremam vnctionem quoàdvſque perficiatur vltima vnctio, & forma illi correſpondens: & obijciunt: cômune eſt omnibus Sacramentis, non cauſare quoadvſque completa, & perfecta ſint: ſed ante vltimam vnctionem hoc Sacramentum non eſt completum, & perfectum: ergo ante vltimam Vnctionem nullam gratiam cauſat. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: in ſuo eſſe eſſentiali, concedo: in integrali, nego. Vt enim nuper dicebamus, quælibet Vnctio cum ſua forma correſpondente conſtituit vnum Sacramentum eſſentialiter completum, integrum, & perfectum: quamvis aliàs in eſſe integrali nô ſit completum, & perfectum hoc Sacramentum, quoadvſque ponatur vltima Vnctio. Cuius ſimile habemus in Sacramento Ordinis: Subdiaconatus enim (idem eſt de Diaconatu) licèt non ſit Sacramentum perfectum in eſſe integrali, ſtatim confert gratiam. Idem patet in Euchariſtia; quæ integratur ex ſpeciebus panis, & ex ſpeciebus vini: & tamen quælibet harum ſpecierum ſtatim ac ſumitur, confert gratiam.

***

Dvbivm XXVII.

46 PEtes 27. quo infirmitatis tempore ſit adminiſtrandum hoc Sacramentum, vt convenienter ſalutem corporis (ſi expediat) operetur? Reſpondetur ſuſceptionem huius Sacramenti non eſſe differendam ad vltimum, ſeu extremum vitæ. Quia Sacramenta non operantur virtute miraculoſa, ſed ordinaria. (etſi ſupernaturali) Et ideò non eſt expectandum, quòd corpus ſit ita viribus deſtitutum, vt ſit manifeſtum miraculum ad ſanitatem redire. Hoc enim eſt quodam modo tentare Deum: vt ex noſtro Pitigiano notant Diana 3. *p. tract.* 4. *Reſol.* 173. & *Auſonius verbo Extremæ vnctionis vtilitas num.* 4 Igitur in quocumque tempore infirmitatis ita periculoſæ, vt prudenti iudicio timeatur periculum mortis, (vt ex Eugenio IIII. & Tridentino expendit G. Hurt. *diff.* 10.) licitè poteſt adhiberi hoc Sacramentum: conſulendumque eſt, ne multum differatur. Tùm, propter periculum moriendi ſine illo. Tùm, quia vſus rationis multum excitat devotionem, vt effectus ſpirituales huius Sacracramenti vberiores habeantur.

(.·.)

De ſpectantibus ad obligationem recipiendi Extremam vnctionem.

Dvbivm XXVIII.

47 Petes 28. an extet præceptum recipiendi Extremã Vnctionem? Reſpondetur negativè. Quia nullibi aſsignatur. Ita Scotus *diſt.* 17. §. *In iſta quæſtione verſ. Si dicatur, noſter Villalobos G. Hurt. & Coninch, quos citat, & ſequitur Diana* 3. *p. tract.* 4. *Reſol.* 170. & 5. *p. tract.* 3. *Reſol.* 97.

48 Sed *Petrus de Soto lect.* 2. *de Sacramento Extremæ vnctionis* oppoſitum affirmat. Pro qua ſententia obijcies: tenemur, non contemnere Sacramẽta: ſed qui, oblata omnimoda occaſione recipiendi hoc Sacramentum, non illud reciperet, diceretur illud contemnere: ergo ſaltèm, quando adeſt talis opportunitas, eſt obligatio illud recipiendi. Maior eſt certa; & conſequentia legitima. Minorem autem docere videntur multi, præſertim Scotus *in* 4. *d.* 7. *q.* 2. Reſpondetur negãdo minorem. Scotus autem ibi loquitur in caſu, quo quis teneatur de per accidens recipere hoc Sacramentum, nempè quando ex non receptione oriretur ſcandalum, aut contemptus huius Sacramenti: vt latè probavimus *in tractatu de Confirmatione à num.* 15.

49 Obijciunt ſecundò, hoc Sacramentum eſt vtiliſsimum ad ſalutem: ergo debemus illud recipere. Reſpondetur negando conſequentiam: quia eo ipſo ac non eſt ſimpliciter neceſſarium neceſsitate medij, aut præcepti, nulla eſt obligatio rigoroſa illud recipiendi. ¶ Dices: poteſt contingere quòd aliquando quis ſalvetur recipiendo primam gratiã vi huius Sacramenti: (iuxta dicta *n.* 47.) ergo ſaltèm tunc tenetur homo illud recipere. Reſpondetur negando conſequentiam: quia etiam tunc ſolùm tenetur ponere medium ſimpliciter neceſſarium: quale eſt contritio ſupernaturalis; aut dilectio Dei ſuper omnia. ¶ Inſtabis: ergo in caſu quòd quis in articulo mortis conſtitutus ſentiret, ſe indiſpoſitum ad eliciendum contritionem, aut dilectionem Dei; & aliàs non haberet opportunitatẽ confitendi, teneretur recipere hoc Sacramentum. Patet: quia tenetur curare de propria ſalute ſpirituali, & tunc non ſuppetit aliud medium. Reſpondetur concedendo totum, notando tamen quòd obligatio tunc recipiendi hoc Sacramentum, non oritur per ſe ex aliquo præcepto recipiendi Extremam vnctionem; ſed ex præcepto naturali curandi de propria ſalute ſpirituali. Quare ſemper ſubſiſtit noſtra concluſio affirmans, nullum dari præceptum per ſe obligans recipere hoc Sacramentum: quamvis aliàs de per accidens poſsit homo

eſſe obligatus ad receptionem illius.

50 Obijciunt tertiò, ex charitate tenemur adminiſtrare hoc Sacramentum proximo: ergo & tenemur, nos illud recipere. Reſpondetur negando antecedens: charitas enim non ex præcepto, ſed ex conſilio impellit tàm circa ſe, quâm circa alios ad id, quod non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. ¶ Dices: ſaltem Parochus tenetur illud recipere. Antecedēs probatur ex eo, quòd tenetur ſubvenire ovibus nō ſolum in neceſſarijs, ſed etiam in vtiliſsimis. Conſequentia autem probatur: non enim tenetur, arctiori præcepto ſubvenire alijs, quàm ſibi. Reſpondetur negando antecedens; & eius probationem: ſolùm enim tenetur vi officij adminiſtrare illa, quæ ad ſalutem ſunt ſimpliciter neceſſaria. In alijs autem hæc obligatio oritur ex Charitate: in Parocho vero ex iuſtitia. Reſpondetur ſecūdò negando conſequentiam: ad probationem dico, maiori obligatione teneri circa alios, quàm circa ſe ipſum; non quidem per ſe, ſed ratione pacti, quod implicitè pepigit cum Parochianis adminiſtrandi illis non ſolùm neceſſaria, ſed etiam vtiliſsima. Sed hoc non eſt ad rem: in præſenti enim loquimur de præcepto, quod directè reſpiciat receptionem huius Sacramenti: (quam negamus) non autem de obligatione per accidens adiuncta. Hoc enim modo poſſe obligare receptionem Extremæ vnctionis, non eſt dubium: vt ſi omitteretur cū ſcandalo; vel ex contemptu, &c.

Dubium XXIX.

51 Petes 2ò an ſaltem ſub veniali ſit obligatio recipiēdi Extremam vnctionem? Reſpondetur negativè. Quia vbi non eſt præceptum, nulla eſt obligatio. Ita videtur ſentire Villalob. *tom. 1. tract. 10. diff. 5 num. 1. &* *G. Hurt. diff. 11.* quatenus affirmant, in omiſsione huius Sacramenti non intervenire peccatū: & in hoc inclinat Suarez, *vt ex Nugno notat Diana 3. p. tract. 4. Reſol. 70.* ¶ Sed Coninch *diſp. 19. num. 30. & Nugnus in 3. p. t. 2. q. 23. art. 2. diff. 1.* oppoſitum affirmant: & obijciunt: in non receptione huius Sacramenti, opportunitate oblata, intervenit ſpiritualis prodigalitatis: ergo & peccatum veniale. Reſpondetur negando antecedens, ſeu ſuppoſitum illius: propria enim prodigalitas ſolùm circa corporalia verſatur: aliàs peccaret peccato prodigalitatis ſpiritualis, qui omitteret lucrationem indulgentiarum, receptionem Euchariſtiæ, pœnitentiæ, &c. oblata opportunitate aliquid huiuſmodi efficiendi. Adde, prodigalitatem propriè reperiri circa prudentem conſervationem bonorum corporalium poſſeſſorum; non autē circa acquiſitionem poſsidendorum.

Dd rum,

rum. Quare etſi peccet peccatũ prodigalitatis ille, qui indebitè derogat bona ſua; nõ tamen ille, qui ob ſegnitiem nova bona non acquirit.

DVBIVM XXX.

51 PEtes 30. an ſit obligatio exiſtendi in ſtatu gratiæ ad dignam receptionem huius Sacramenti? Reſpondetur affirmativè. Quia eſt vnum ex Sacramentis vivorum, ſeu quæ recipi per ſe debent à ſubiecto vivificato per gratiam ſanctificantem. Recolantur dicta *in tract. de Sacram. in genere cap. 4. præſertim num. 3.* ¶ Notant communiter, ad dignam ſuſceptionem Extremæ vnctionis non eſſe neceſſariam confeſsionem, aut receptionem alicuius alterius Sacramenti. Quia, etſi requiratur ſtatus gratiæ; poteſt tamen hæc haberi per contritionem ſupernaturalem, aut dilectionem Dei ſuper omnia: & aliàs ad dignam receptionem huius Sacramenti non extat aliquod præceptum de receptione alterius Sacramenti. Quare ille, qui in extremis poſitus committit aliquod mortale poſt receptionem pœnitentiæ, & Euchariſtiæ per modum viatici, nõ tenetur ex vi receptionis Extremævnctionis aliquod aliud Sacramentum præviè recipere; ſed ad dignam illius receptionem ſatis eſt, quòd eliciat contritionẽ, aut ſupernaturalẽ Dei dilectionem ſuper omnia. Et hæc de Extremævnctionis Sacramento dixiſſe ſufficiat.

(∴)

LAVS DEO, ET MARIAE
Matri eius.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... EM...

INDEX

INDEX

RERVM NOTABILIVM,

quæ in hoc volumine continentur. Littera p. Paginam; n. numerum paginæ indigitat.

A.

Accidens eſt ens non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid ſecundũ Philoſophũ 7. Metaph. cap 4. explicatur: p. 4. num. 5. Duo accidentia ſolùm numero diſtincta, quomodo poſsũt ſimul eſſe in eodem ſubiecto: p. 152. n. 83.

Actus contritionis, & charitatis non ſunt Sacramentum de facto, & quare? bene tamen de poſsibili, non ſolùm pro Angelis; ſed etiam pro hominibus: p. 8. n. 11.

Adulterium habet quandam recompenſationem: p. 391. n. 129.

Amicus. Inter amicum poſsitivè, & inimicum poſsitivè datur medium, nempè ſubiectũ abſtrahens ab vtroque. p. 39. n. 17.

Angelus non eſt proximè capax recipiendi noſtra Sacramenta: p. 181. n. 1. Si aliquis eſſet baptizatus à bono Angelo non eſſet rebaptizandus: & quid ſi à malo? p. 69. n. 38.

Annus ſolaris, & Eccleſiaſticus quomodo differant: p. 378. n. 99. Qui ſint anni pubertatis, ſeu nubiles? p. 388. n. 123.

Aqua benedicta delet venialia ex opere operato: p. 189. n. 5. Vide verb. Sacramentalia. Voluntaria receptio aquæ benedictæ præter remiſsionem venialium meretur ex opere operantis aliquid aliud apud Deum: p. 192. n. 9.

Authoritates. Quomodo ſint intelligendæ, quibus dicitur; fidem iuſtificare? p. 12. n. 18. & 19. Et illæ, quibus iuſtificatio tribuitur verbo: ibi n. 19.

Attritio cognita, vt tal is eſt ſufficiens diſpoſitio in Baptiſmo, & pœnitentia. p. 115. n. 5. & p. 116. n. 7.

B.

In Baptiſmo ablutio tantùm eſt fun-

fundamentum relationis ſigni ad gratiam ablutivam animæ: p.19.n.31. Validè baptizaret Arianus ex vna parte firmiter credens, non eſſe Trinitatem, & ex alia volens facere, quòd facit Eccleſia Catholicorum: p.29 n.54. Baptiſmi Miniſter quis ſit in caſu neceſsitatis? p. 69.n.40 Et quis extra neceſsitatem? p.70.n.41. In quo ſenſu in Baptiſmo ſemper recipiatur Spiritus Sãctus? p.73.n. 47 Baptiſmus, quo Athanaſius puer pueros baptizavit, fuit vt verus iudicatus: & quare? p. 79. n. 62 Fuit item validus baptiſmus S. Gineſij: ibidem. Quare Baptiſmus dicatur Sacramentum mortuorum? p. 116.n.6. Baptiſmus aliquando appellatur character, ſigillum, & ſignaculum. p. 147. n. 75. Baptiſmus eſt vnum ex ſeptē Eccleſiæ Sacramentis: p. 193. Eius neceſsitas declaratur verbis illis Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire regnum Dei. ibi. Quibus nominibus inſigniatur Sacramentum Baptiſmi? p.194. n.1. Quid ſit baptiſmus? p.195.n.3. Eius definitio à Scoto tradita declaratur à num. 3. Quare Scotus poſsuerit duplicem definitionem baptiſmi? p.196. n. 6. An probabile ſit, relationem ſigni fundari non ſolùm in ablutione, ſed etiam in verbis? p.197.n.7. An ſit probabile relationem ſigni ad gratiam fundari in ſola ablutione? p. 199. n.11. Sacramentum Baptiſmi fuit inſtitutum ante mortem Chriſti Domini. p.200. n. 13. Quo tempore ante paſsionem fuerit inſtitutum Sacramentũ baptiſmi? p.201.num.15. Nõ fuit inſtitutũ antequam Chriſtus Dominus baptizaretur à Ioanne: ibidem. Neque quando fuit baptizatus a Ioanne. ibi.n.16. De hora inſtitutionis Baptiſmi nihil certum affirmari poteſt: p.202.n.17. Chriſtus Dominus immediatè per ſe ipſum Baptizavit Beatiſsimam Virginem, & Beatum Petrum. p. 204. num. 21. Inſtitutio Baptiſmi evacuavit circumciſionem. ibi n.22.

Materia remota Baptiſmi eſt aqua vera, & naturalis: p. 205. n. 1. Quam admixtionem poteſt admittere? pag. 206. n.2. Aqua calida, vel frigida; lexiviũ aqua luctoſa, & quæ defluit ex gelu, & alia huiuſmodi ſunt materia Baptiſmi 206.n. 3. Non autem humores naturaliter reſoluti per digeſtionē, vt ſaliva, vrina, &c. neque liquores hervarum, & aliarum rerum, quæ per diſtilationem extrahuntur. ibidem. Referuntur diverſi errores contra materiam Baptiſmi. p.209 n. 5. Proxima materia Baptiſmi cõſiſtit in ablutione. p 208.n. 6. In ablutione paſsiva: ibi n.7. Qualis debeat eſſe ablutio Bap-

tiſmalis.pap.211. n.14 Trina immerſio non eſt de neceſsitate Baptiſmi.ibi n.15. Valide baptizatur puer, quem cum diſpendio vitæ miniſter eijcit in puteum, vel flumen (licèt in hoc graviter peccaverit) p. 212.n.16. In quo caſu hoc poſſit licere? p.213.n. 18. Quælibet ablutio ſufficit pro materia Baptiſmi: p. 214. n.19. Et in quacumque minima quantitate aquæ: p.215. n.21. Datur verus Baptiſmus, quando ſolùm capilli, aut vngues aſperguntur.pag. 216.num. 22. Et quando puer natus ſub tella quæ dicitur ſecundina; etiā ſi non extrahatur ex illa valide poteſt baptizari; ibi num 23. Item eſt validus baptiſmus factus in vmbilico, ibi num.24. Item valide baptizatur infans, ſi exiſtens in vtero materno pedē, manum, vel aliam partem corporis exarat, etiam ſi poſtea retrahat illam. ibi num. 25. Inſuper ſi infans exiſtens in vtero poſſet immediatè attingi aqua in aliqua parte ſui corporis: (ſivè tunc mater eſſet viva, ſivè mortua) ibi n.26.

Baptiſmi forma Quæ ſit? pag. 217. num. 1. Referuntur diverſi errores, qui circa formam baptiſmi extiterunt. pag. 218. num. 2 Quæ verba ſint de neceſsitate formæ Baptiſmi.p.219.n.4. Ad eſſentiam formæ Baptiſmi ſpectat exprimere actionem miniſtri. p.221.n. 8. Immo, & quòd eſt phyſica actio illius miniſtri, qui baptizat.ibi. n. 9. Item eſt de neceſsitate formę explicita invocatio trium perſonarū Trinitatis.p.224.n.11. Baptiſmus datus ſub nomine Chriſti fuit aliquando validus. p. 225.n. 13. An poſt tempora Apoſtolorum etiam fuerit validus? Eſt problema.pag.228.n.18. Propugnatur ſententia affirmativa.ibi.n.19. Propugnatur ſententia negans.p.230. n.22. Explicantur authoritates vtriuſque ſententiæ.pag. 232. num. 24. Quid ſit obſervandum in praxi? p.234.n.27. Non eſt validus Baptiſmus collatus ſub hac forma; ego te Baptizo in nomine Trinitatis. ibi. num. 28. Eſt de neceſsitate formæ, Baptiſmi, quod in ea exprimatur vnitas eſſentiæ p. 235. n. 30. Item invocare tres Divinas perſonas ſub conſuetis nominibus p.236.n. 32. Non eſt validus Baptiſmus collatus ſub hac (vel ſimili) forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ, (vel omnium Sanctorum.) p.238. n.35. Forma ſimul proferri debet, quando adhibetur ablutio.p.240.n.40

Qualem vnitatem habeat Baptiſmus.p.242.n.1. Baptiſmus iterari non poteſt.p.243.num. 2. Bene tamen, quando dubitatur de eius valore. ibi n. 3. Iteratio iſta debet eſſe ſub cōditio-

ditione.ibidem. Pueri expoſiti, ſeu qui reperiuntur ad valvas Eccleſiæ, aut alicuius domus ſunt ſub conditione Baptizandi.p.245.num. 7. Immò etiam ſi infantulus ſchedulam Baptiſmi ſecum habeat appenſam. ibi.n. 8. Et ille quem obſtetrix domi baptizavit. ibi n. 9. Peccat, qui baptiſmum ſub conditione præſtat non baptizato, quem certò ſcit non eſſe Baptizatum, p. 246. n. 11. Tamen hoc peccatum ſolum eſt veniale. ibidem. Aliquando eſt obligatio iterandi Baptiſmum.pag.248. num. 14. Ab eodem miniſtro proferenda ſunt verba, & ponenda ablutio.pag.249. num. 15. Quando plures ſimul concurrunt integrè baptizantes, ſeu quorum quilibet, & profert verba,& ſimul abluit eundem hominem, verum conficitur Sacramentum Baptiſmi, ibi. num. 16. Sivè vnus illorum priùs finiat verba formæ, ſivè omnes ſimul abluant, & proferant verba, ita vt vnus non finiat priùs alio.pag.250.num. 27. Tunc Deus acceptabit baptizationem huius, vel illius; congruit tamen, quod acceptet Baptiſmum illius miniſtri, qui, vel Sanctitate, vel Eccleſiæ dignitate eſſet dignior.pag.250.num.27. In hoc caſu ſolùm fit vnum Sacramentum Baptiſmi. ibi. num. 29. Si plures eũdem baptizarent dicendo: Nos te Baptizamus, verum conficerent Sacramentum, ſi vnuſquiſque intendat totaliter conficere; ſecùs autem ſi intendat partialiter concurrere. pag. 25[illegible]. n. 31. Illicitum eſt plures ſimul eumdem baptizare. ibi n. 30. Si idem plures ſimul baptizaret ſub hac forma: Ego vos baptizo, &c. & teneret baptiſmus,& plura Sacramẽta conficeret. pag. 252. n.32. An ſit peccatum, & quale vti hac forma: Nos te baptizamus, &c? p.253. n. 33. & 34.

Cuicumque perſonæ humanæ viatori competit valide Baptizare.pag.254.num. 1. Quare Angelus ſolum de potẽtia abſoluta valide baptizaret. pag. 255.num.3. Ex officio ſoli Sacerdoti congruit baptizare. p. 256. num. 5. Ex commiſſione autem Epiſcopi, vel Sacerdotis, Diaconus licitè baptizat. ibi num. 7. Præsbyter tamen licitè poteſt baptizare independenter à Parocho. p. 257.num. 8. Non tamen Diaconus, adhuc extrema neceſsitate, & in abſentia Sacerdotis. pag.258.num.9. Interveniente iuſta cauſa poteſt cõmitti Diacono munus ſolemniter baptizandi. ibi num. 10. Baptizans debet perſonaliter diſtingui à Baptizato.p.259.n. 12. In baptizãte requiritur intẽtio. & qualis. p. 260. n. 14.

Baptiſmus eſt neceſſarius ad cõſe-

ſequendam vitam æternam. pag 260. num. 1. Re ipſa ſuſceptus (extra caſum martyrij) eſt infantibus neceſſarius. ibi. num. 2. Poſſunt ſalvari parvuli morte pro Chriſto Domino perpeſſa abſque baptiſmo re ſuſcepto. pag. 264. n. 10. Nec propterea mors pro Chriſto Domino perpeſſa eſt Sacramentum pag. 266. n. 13. Bene tamen eſt verum martyrium. ibi. num. 14 Adulti poſſunt ſalvari abſque Baptiſmo in re ſuſcepto, & abſque martyrio. pag. 263. num. 8. Baptiſmus non cœpit obligare, ſeu eſſe neceſſarius vſque ad authenticam, & vniverſalem promulgationẽ legis Evangelicæ, quæ facta eſt in Hieruſalem in die Pentecoſtes. pag. 267. num. 16. Ex tunc tamen non cœpit eſſe neceſſarius vbique terrarum. pag. 268. num. 9. Adultus tenetur baptizari; cùm primùm poſſit. pag. 270. num. 12. Hæc obligatio poteſt differri ex rationabili cauſa: ibidem. Quare non ſit aptius præcipere Baptiſmum in fine vitæ. pag. 271. num. 13. Nequit Eccleſia determinare tempus præcepti divini, ſuſcipiendi Baptiſmum ante finem vitæ. pag. 272. n. 14 Neque obligare adultum ad recipiendum Baptiſmum hoc, vel illo tempore. ibidem.

Omnes, & ſoli homines viatores ſunt capaces ſuſcipiendi Baptiſmum. pag. 273. n. 1. Infans exiſtens in vtero materno eſt capax ſuſcipiendi Baptiſmum. ibi. num. 2. Validè Baptizantur infantes non baptizatorum, invitis parentibus. pag. 274. num. 3. Quando, id licitè fiat? ibi. num. 5. Qui, amentes ſint baptizandi? pag. 278. num. 11. Chriſtus Dominus, & Beata Virgo non fuerunt incapaces recipiendi Baptiſmum, eo quòd immunes fuerint ab Originali. pag. 278. num. 12. Non eſt contra veritatem formæ Baptiſmi affirmare, aliquos, in lege gratiæ, in vtero materno fuiſſe ſanctificatos. pag. 281. num. 18. Enumerantur multi, qui in lege gratiæ fuerunt ſanctificati in vtero materno pag. 282. à num. 20. Enumerantur effectus Baptiſmi. pag 283. à num. 1. Enumerantur effectus Baptiſmo ab Hereticis falso tributi. pag. 283. à num. 6.

Ad validè recipiendum Baptiſmum requiritur voluntas recipiendi illum. pag. 286. num. 1. Qualis debeat eſſe iſta voluntas? ibidem. Ad recipiendum characterem Baptiſmi requiritur, & ſufficit velle recipere Baptimum. ibi. num. 2. Quæ diſpoſitio requiratur in adulto ad recipiendum effectum Baptiſmi, qui dicitur gratia baptiſmalis? pag. 287. à num. 3. Attritio de peccato

mortali perſonali ſufficit pro diſpoſitione, vt Baptiſmus cauſet gratiam. pag. 288. num. 5. Immò ſufficit iſta attritio cognita, vt talis. p. 289. num. 7. Iſta attritio debet eſſe ex motivo aliquomodo reſpiciente æternitatem pag. 290. n. 9. Debet item ſe extendere ad omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt. ibi num. 10. Inſuper debet eſſe ſupernaturalis. pag. 291. num. 11. Baptiſmus fictè ſuſceptus, non confert gratiam ſanctificantem, recedente fictione. ibi n. 12.

Cœremoniæ, quibus Baptiſmus ſolemnis celebratur ſunt convenientes, & laudabiles. pag. 292. num. 1. Quotuplex cœremoniarum genus in Baptiſmo ſit adhibendum? p. 292. à n. 2. Iſtæ cœremoniæ habent aliquos effectus: & quales ſint. p. 293. num. 5. Iſtæ cœremoniæ cauſant aliquos effectus ex opere operato. pag. 294. num. 6 Vna es his cœremonijs eſt, in Baptiſmo adhibendum eſſe Patrinum. ibi. num. 7. Tempore neceſsitatis non eſt neceſſarius Patrinus : ibidem. Tunc non contrahitur cognatio ſpiritualis : pag. 295. num. 8. Sacerdoti ex officio competit catechizare, & exorcizare: ibi. num. 9.

Baptiſmus dividitur in Baptiſmum aquæ, ſeu fluminis, flaminis. & ſanguinis : pag. 295. num. 1. Baptiſmus ſanguinis ſufficit infantibus abſque Baptiſmo aquæ : pag. 296. num. 2. Item adultis non baptizatis: ibi num. 3. In adulto exiſtenti ſub mortali perſonali, requiritur pro diſpoſitione ad martyrium dolor de peccatis à ſe commiſsis. pagina 298. num. 7. Iſte dolor ſufficit, quod ſit attritio : pag. 299. num. 8. Quæ conditiones ſint neceſſariæ ad conſiſtentiam veri martyrij? pag. 301. à n. 13.

C.

Calviniſtæ admittunt duo tantũ Sacramenta, nempè Baptiſmum, & Euchariſtiam: p. 23. num. 40.

Catholici non debent benè inſtituta deſerere eo, quod Diabolus ea imitatur: p. 25. num. 43.

Cauſarũ multiplicatio non colligitur ex multiplicatione effectuum pag. 15. num. 24. Cauſa ſtricta principalis debet in virtute continere effectum : pag. 64. num. 28. & pag. 76. num. 53. non autem inſtrumentalis: ibidem.

Cauſa phyſica quæ ſit? pag. 171. num. 1. Dividitur in principalem, & inſtrumentalem : ibidem. Item dividitur in phyſicam, & moralem: ibidem.

Cauſare. Quomodo Sacramenta cauſent gratiã, & characterẽ? vide verb. Sacramenta. Et ſi ad

cau-

cauſandum gratiam inſtrumẽtaliter concurrant tàm miniſter, quàm Sacramentum; non tamen ſunt duo, ſed vnicum inſtrumentum: pag. 64. num. 29. Minùs proprie dicitur cauſare, qui ſolùm applicat cauſam: p. 64. n. 28.

Characteres Baptiſmi, confirmationis, & ordinis ſunt adeò diverſi, vt vnus nequeat conferri virtute alterius Sacramẽti, quam proprij: pag. 117. num. 10. Quid ſit character? pag. 139. num. 54. Quid ſignificet ibidem. Quas proprietates habeat? pag. 140. n. 55. Realis character eſt admittendus. ibi n. 56. Et quare? ibidem. Quæ contra realem charactrerem obijcit Scotus ſibi, ex ipſo ſolvuntur: ibi à n. 57.

Character reducitur ad gratiam gratum facientem; necnon, & ad gratiã gratis datam; & quare? pag. 144. n. 64. A nulla creatura poteſt deſtrui phyſicè, aut demeritoriè, pag. 145. n. 65. Quid de reali charactere ſenſerit Scotus? pag. 145. num. 66. Character dicitur indelebilis reſpectu cuiuſcumque creaturæ; immò, & reſpectu potẽtiæ ordinariæ Dei p. 145. num. 65. & p. 167. num. 116. Solùm authoritate Eccleſiæ tenendũ eſt, characterem eſſe entitatẽ realem: pag. 146. num. 69. Solvuntur omnnia, quæ contra hanc ſententiam cõgerunt diverſi authores: ibi à num. 70. Character imprimitur in Baptiſmo, confirmatione, & ordine. pag. 149. n. 77. Character eſt diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem, ſeu quæ confertur virtute Sacramenti, nõ ex natura rei, ſed diſpoſitione divina; p. 150. num. 79. Character imprimebatur in Circumciſſione. ibi n. 80. Et in lege naturæ. p. 151. n. 82. Character eſt relatio extrinſecus adveniens; aut qualitas: p. 153. n. 84. & p. 156. n. 89. Specialiter defenditur probabiliter, quod character ſit qualitas. ibi. num. 90. Quæ contra hanc ſententiam militant ſolvuntur à num. 91. Eſt qualitas ſupernaturalis: pag. 158. n. 93. Spectat ad primam ſpeciem qualitatis, vel ad ſecundam. ibi: num 94. Vtraque ſententia defenditur. ibi à n. 95. Character probabiliter eſt relatio extrinſecùs adveniens: p. 160. num. 101. Argumenta contra hanc ſententiam adducuntur, & ſolvuntur: pag. 161. à n. 102. Fundamentum proximum characteris eſt ipſa nuda anima. pag. 163. num. 105. Per characterem refertur charactizatus ad Chriſtum Dominum; & etiam ad omnes alios habentes eũdem characterẽ; necnon, & ad omnes alios, nõ habentes talem characterem: & cum qua differentia: p. 162. num. 104. Quomodo differre poſsint characteres diverſorũ Sacramentorum, ſi ſint relatio-

tiones:pag.164.num. 106. Ad quod prædicamẽtum ſpectet, ſi ſit relatio extrinſecùs adveniens? ibi.num. 107. Character eſt æqualis in omnibus: ibi.n. 108. Character non intenditur de facto, ſivè ſit relatio, ſivè qualitas: ibi. num. 109. Subiectatur immediatè tàm in anima, quàm in voluntate: & quomodo: pag. 165. n. 110 Perſeverat pro alia vita. pag. 167. n. 117. In charactere diſtinguendum eſt aliquid phyſicum, & aliquid morale. p. 168 n. 119. In alia vita perſeverat phyſicũ characteris, ſine morali: ibi. n. 118.

Charitas: ex charitate teneor, ſi commodè poſſum, vitare peccatum alienum. p. 106. num. 115. Non tamen teneor, cum incommodo: ibidem. Debeo præſumere proximum, non peccare in adminiſtratione Sacramẽti; niſi oppoſitum mihi certum conſtet: ibidem.

Chriſtus Dominus de facto fuit Baptizatus baptiſmo à ſe inſtituto: p. 49. n. 43. Et pag. 280. n. 17. Chriſtus Dominus inſtituit omnia Sacramenta legis gratiæ. pag. 51. num. 1. & immediatè: pag. 52. n. 2. Hoc tamen non eſt de fide: pag. 54. num. 6. An illa inſtituerit quaten⁹ De⁹? an quatenus homo? p. 54. n. 7. Vt homo meruit collationem gratiæ vi Sacramentorum. p. 55. num. 8. Non tamen habuit aliquam cauſalitatem phyſicã in gratia: ibi n. 9. Habuit poteſtatem faciendi miracula: & quid in ipſo, & in Sanctis ſit hæc poteſtas? pag. 56. num. 11. Eius humanitas dicebatur organum reſpectu miraculorũ. Ibidem. Quatenus homo habuit poteſtatem determinandi ſigna, ad quorum poſitionẽ Deus ponat infallibiliter gratiã ſanctificantem: pag. 57. n. 12. In eius opera derivabatur infinitus valor ex perſona verbi: pag. 60. n. 18. Quatenus homo fuit propriè inſtitutor Sacramentorum: pag. 62. num. 23. Non fuit inſignitus Charactere aliquo: & quare? pag. 142. n. 62. Immediatè per ſe ipſum baptizavit Beatiſſimam Virginem & Beatum Petrum. p. 204. n. 21. Non fuit incapax recipiendi baptiſmum eo, quod immunis fuerit ab originali peccato. p. 278. n. 12. Probabile eſt recepiſſe Sacramentum Baptiſmi. p. 280. n. 17.

Circumciſio fuit proprium Sacramentum: pag. 35. num. 10. & p. 31. n. 58. Non conſtabat rebus, & verbis ibi. Fuit data anno 400. ante legem ſcriptã: pag. 35. n. 9. Non aperiebat ianuam cœli; & quare? pag 40. n. 22. Ex hac non apertione non infertur, circumciſionem non contuliſſe gratiam. ibidem.

D. Cyprianus explicatur, dum affirmare videtur, Chriſtum Dominum, ſolùm Euchariſtiæ Sacramentũ inſtituiſſe: p. 58 n. 5.

Cy-

Cypriano immeritò tribuitur ſermo de ablutione pedum: ibidem.

Clerici habent aliquas exceptiones, & quales? pag. 392. n. 132. Sunt exempti à poteſtate Principum ſæcularium; & iure humano; & divino: ibi. num. 133. Hoc prævilegium non poteſt Clericus renuntiare; etiam ex facultate Epiſcopi. pag. 393. num. 135.

Cœremonia, quid ſignificet? Eſt nomen Latinum: & vnde ortum habuerit: p. 188. n. 2.

Conceptus formamus de rebus, quas ſenſibus experimur involventes plura, quæ non ſunt de illorum eſſentia: pag. 8. n. 11.

Concilia, quomodo ſint intelligenda, quando negant, Sacramentis legis antiquæ collationem, aut effectionem gratiæ. pag. 11. n. 17. Concilium Carthaginenſ. IIII. fuit celebratum anno de 436. tempore Pontificis Sixti III. & Imperatoris Valentiniani III. p. 345. num. 28. Concilium Florentinũ fuit celebratum ſub Eugenio IIII. qui vixit ad annum 1431. Concilium Trident. cœpit ad annũ 1545. p. 145. n. 68.

Concionari ſub mortali nullum eſt peccatum, p. 100. n. 183. & p. 371. n. 84.

Conditio de præterito, aut de præſenti appoſita in effectione Sacramenti non irritat illud, ſi, in re eſt adimpleta; ſecùs autẽ ſi non: p. 92. n. 85. Neque conditio, quæ apud nos non eſt certa; ſed tantùm apud Deũ. ibi n. 86. Non eſt licitum, conditionem, ſivè mentaliter, ſivè externè apponere, ſine neceſſitate, pag. 93. n. 87. & p. 246. à num. 11. Conditio de futuro cotingenti invalidat Sacramẽtum: p. 93. n. 87.

Confeſſor dubitans de ſua Ordinatione, vtrum poſsit adminiſtrare pœnitentiam? p. 101. n. 106. Quid de illo, qui habet iudicium probabile: pag. 103. n. 110. Quid de illo, qui eſt certus de ſua ordinatione; habet tamen iudicium ſolùm probabile de iuriſdictione: p. 104. num. 112.

Confirmatio. Quid ſit. pag. 303. num. 1. Quæ de confirmatione ſint certa inter Catholicos? p. 304. num. 4. Quo tempore fuerit inſtituta, p. 305. n. 5. Nõ eſt neceſſaria ad ſalutem, pag. 308. n. 10. Ille, qui opportunitate ſibi oblata non recipit cõfirmationem; non dicitur illã contemnere, pag. 310. n. 14. Nec ſub peccato veniali eſt obligatio recipiendi confirmationem: p. 311. n. 16. Nullum eſt peccatum ſuſcipere ordines ante cõfirmationem: ibi n. 17. Eſt de neceſsitate cõfirmationis, quod fiat chriſmate mixto ex oleo olivæ, & Balſamo: p. 312. n. 19. Item & quòd chriſma ſit ab Epiſcopo benedictũ: pag. 315. num. 25. Et quod vnctio fiat in fronte: p. 317. n. 28.

Et

Et quod fiat in forma crucis: ibi. n. 29. Et quod fiat immediatè per manum Epiſcopi, vel miniſtri: ibi num. 30. Non eſt tamen neceſſarium, quod fiat pollice dextro: ibi. n. 31. Apoſtoli in adminiſtratione confirmationis nō ſemper vſi fuerūt chriſmate; ibi. num. 32. Quę ſit forma confirmationis? p. 319. n. 35. Apoſtoli in confirmatione ſemper vſi ſunt aliqua forma: pag. 320. n. 37. Subiectum capax confirmationis eſt homo viator baptizatus: pag. 321. n. 39. Congruum eſt expectare vſum rationis ad miniſtrandum confirmationem: pag. 321. n. 40. Adulto in articulo mortis poteſt adminiſtrari confirmatio: pag. 323. n. 42. Et perpetuò amētibus: pag. 324. n. 44. Effectus confirmationis numerantur: p. 325. n. 45. Character cōfirmationis, ita neceſſario pręrequirit characterem baptiſmi, vt invalidè recipiat confirmationem, qui baptiſmum aquæ non recepit: p. 326. num. 46. Ex eo quod in confirmatione imprimitur character, infertur, hoc Sacramentum eſſe initerabile: ibi. n. 47. Confirmatio confert gratiam ſanctificātem, & Sacramentalem dignè eam recipienti: pag. 327. n. 48. Patrinus confirmationis debet eſſe baptizatus, & non religioſus: ibi. n. 49. Non debet eſſe alius a Patrino baptiſmi. p. 328. num. 51. Si non confirmatus ſit Patrinus in confirmatione non cōtrahit cognationem ſpiritualem cum confirmato: p. 329. num. 52. Epiſcopus eſt miniſter Ordinarius confirmationis; non autem ſimplex Sacerdos: ibi. num. 53. Poteſt tamen ſimplex Sacerdos eſſe miniſter confirmationis ex commiſsione Papæ: pag. 330. n. 54. Nequit tamē Epiſcopus committere hanc poteſtatem ſimplici Sacerdoti: pag. 331. num. 55. Quomodo ſit intelligēdū, quod confirmatio eſt nobilior baptiſmo? ibi. num. 56. Poteſt confirmatio cōferri extra Eccleſiam, & poſt prandium ibi. n. 57. Cæremoniæ confirmationis enumerantur: ibi à n. 58.

D.

Deus vt pręcognoſcat peccatum debet habere decretū de permiſsione, & de cooperatione, aut non cooperatione ad ſubſtantiam actus peccaminoſi: p. 122. num. 19. Non eſt alligatus Sacramentis, ita vt ſine illis nō poſsit iuſtificare quotquot voluerit: p. 263. n. 6.

Differentia inter Sacramenta antiquæ, & novæ legis quantum ad cauſandum gratiam: pag. 11. num. 17. & pag. 39. à num. 20.

Diffinitio purè quidditativa, & non purè quidditativa explicatur. p. 4. n. 4.

Debet eſſe brevis, circunſcriptaque

que rei explicatio: pag. 6. n. 8.
Diaconus, & Subdiaconus in mortali exiſtentes, non peccant adhuc venialiter cantando Epiſtolam, & Evangelium: pag. 98. num. 99. & pag. 370. num. 81.
Diabolus more Simiæ imitatur, quæ Deus inſtituit, vt ſic ſimilis Deo habeatur: pag. 25. n. 43.
Diſpoſitio diverſa requiritur ad gratiam ſanctificantem, ac ad gratiam Sacramentalem: pag. 137. num. 48. Vtraque declaratur. ibidem. Quis dicatur ponere obicem gratiæ Sacramentali? pag. 138. n. 49. Æqualem gratiam Sacramentalem conferunt duo Sacramenta eiuſdem rationis diverſis ſubiectis æqualiter diſpoſitis? ibi n. 50. vide verb. Gratia. p. 126. num. 27.
Dubitans ſe eſſe miniſtrum alicuius Sacramenti indigne illud adminiſtrat. pag. 101. à n. 106.
Doli capaces, qui dicãtur? p. 388. num. 123.
Durandi ſententia dicentis; characterem non eſſe entitatem realem, ſed denominationem extrinſecam; non eſt ab Eccleſia damnata: p. 153. num. 86. & pag. 155. num. 88.

E.

Ebrius nequit cõficere Sacramẽta: pag. 78. n. 57.
Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi Sacramenta: p. 52. n. 2. Non mutavit materiam matrimonij: pag. 26. num. 47. Longè latior eſt Eccleſiã triũphans quam militans: pag. 111. num. 125.
Effectus. Ex multiplicatione effectuum non colligitur multiplicatio cauſarum: pag. 15. num. 24.
Epiſcopus exiſtens ſub mortali non peccat mortaliter exercẽdo Sacramẽtalia: p. 99. n. 101. Quod etiam eſt verum, etiam ſi prædictas actiones longo tẽpore exerceret: pag. 100. num. 102. Cum ſolo iudicio probabili de hoc, quod eſt, ſe eſſe Sacerdotem, aut Epiſcopum nequit licitè ordinare alium in Sacerdotem: pag. 103. n. 109. Poteſt tamen cum ſolo illo iudicio adminiſtrare confirmationem: p. 105 n. 113. Exiſtens ſub mortali peccat mortaliter, dum celebrat ordines; dũ confirmat: pag. 368. n. 78. & 79. Non tamen peccat conferendo primam tonſuram, neque conſecrando chriſma ad confirmationem, & ordinem, aut oleum ad Extremam vnctionem: p. 369. num. 80. Epiſcopus tenetur ad ſuſtentandum ordinatum, qui ſine indecenti exercitio degere non poteſt: p. 380. num. 104. Poteſt conferre primam tonſuram quovis anni tempore, hora, & loco: ibi num. 105. Et ordines minores quavis die Dominica in vnam, aut alteram perſonam

poteſt

poteſt ordinare quovis die feſto ibidem. Quid ferat vſus, & quid de ordinibus maioribus, & de Epiſcopatu, Epiſcopis diſponatur à iure? ibidem. Epiſcopi vocantur à Scriptura Angeli: pag. 69. num. 37. Epiſcopatio eſt Sacramentum : pag. 346. num. 30.

Æquivocatio. Ex æquivocatione ſignatorum non colligitur æquivocatio ſignorum: pag. 15. num. 24.

Errores circa miniſtros Sacramẽtorum recenſentur : pag. 65. à num. 31. Quid contra prædictos errores ſit tenendum? p. 67. à num. 34. Errores diverſi contra materiam baptiſmi referuntur: p. 207. n. 5.

Excommunicatus . A non tolerato illicitè petitur, & recipitur Sacramentum. pag. 107. n. 117. Licitè tamen in articulo mortis recipiuntur Sacramẽta Baptiſmi, & Pœnitentiæ : ibi. num. 118. Etiam ſi articulus iſte ſolùm ſit prudentialiter præſumptus : ibi. numero 119. Et etiam in periculo mortis, pag. 108. num. 120. Et quis toleratus? p. 112. n. 127. Quis dicatur excommunicatus nõ toleratus? pag. 107. n. 117. Ab iſto licitè recipiuntur alia Sacramenta à baptiſmo, & pœnitentia in articulo, & periculo mortis: pag. 110. num. 123. Ab excommunicato tolerato ſine aliqua cauſa licitè poſſum petere, & recipere Sacramenta, pag. 112 num. 127. Et tunc ipſemet excõmunicatus, nec venialiter peccat adminiſtrando, ibidem. Epiſcopo exiſtenti ſub mortali licitè inſervio dum ordines exercet. p. 113. num. 128.

Extrema vnctio. Quid ſit Extrema vnctio? pag. 397. num. 1. Quare hoc Sacramentum dicatur Extrema vnctio? p. 398. num. 4. Materia remota huius Sacramenti debet eſſe oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum : ibi. num. 5. Non extat præceptum renovandi oleum benedictũ per ſingulos annos, & cõſequenter poteſt fieri vnctio cum oleo anni præteriti. pag. 399. num. 6. Validè vngeretur infirmus cum chriſmate confirmationis : pag. 400. n. 8. Ad ſingulas vnctiones ſufficit vnica gutta olei : ibi. num. 9. Quantus debeat eſſe numerus vnctionũ? ibi. num. 10. Omnes ſeptem vnctiones non ſunt de neceſsitate Sacramenti, pag. 401. num. 11. forma huius Sacramenti aſsignatur. pag. 403. num. 5. Ad valorem huius Sacramenti neceſſaria eſt forma collata modo deprecativo: ibi. num. 16. Non omnia illa verba quæ aſsignatur pro forma ſunt de neceſsitate formæ. p. 404. num. 19. An prædictæ formæ addenda ſint verba iſta in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? pag. 405. num. 20. Hęc forma ſufficit: Per iſtas Sanctas vnctio-

vnctiones, &c. ibi. n. 21. Sacerdos eſt miniſter huius Sacramenti. pag. 406. n. 22. Immò debet eſſe paſtor infirmi. Valide poſſunt plures Sacerdotes diverſas vnctiones eiuſdem infirmi adminiſtrare. pag. 407. n. 24. Parochus non tenetur tempore peſtis miniſtrare Extremã vnctionem cum periculo vitę. ibi. num. 25. Non baptizatus eſt incapax recipiendi Extremã vnctionem. pag 408. num. 26. Non autem infantes, & perpetuò amentes: ibi à n. 28. Adultus, qui nunquam peccavit adhuc venialiter, eſt capax Extremæ vnctionis. p. 409. num. 30. Adminiſtrãdum eſt hoc Sacramentum adulto morienti poſt Baptiſmum ſtatim taliter, vt nullum peccatum commiſſerit, pag. 411. n. 35. Quando in eadem infirmitate poſsit pluries conferri Extrema vnctio? ibi num. 36. Enumerãtur effectus huius Sacramẽti. ibi. n. 37. Quid per reliquias peccati veniat intelligendum? pag. 412. n. 38. Quis nam ex effectibus à Concilio aſsignatis ſit primarius? ibi. num. 39. Hoc Sacramentum poteſt conferre primam gratiam, ſeu remittere mortalia. pag. 414. n. 43. Tota gratia huius Sacramenti non confertur in vltima vnctione. ibi n. 44. Quo tẽpore infirmitatis ſit adminiſtrandũ hoc Sacramentum, vt convenienter ſalutem corporis (ſi expediat) operetur? pag. 415. num. 46. Non extat præceptũ recipiendi Extremam vnctionem. pag. 416 n. 47. Neque eſt obligatio adhuc ſub veniali. pag. 417. n. 51. Eſt obligatio exiſtẽdi in ſtatu gratiæ ad dignam receptionem huius Sacramenti. p. 418. num. 52. Non tamen eſt neceſſaria cõfeſsio, vel receptio alicuius alterius Sacramenti. ibidem. Poteſt adminiſtrari à Sacerdote, qui tantùm habet iudicium probabile de ſua ordinatione: pag. 105. num. 113. Non tamen in caſu, quòd moribundus non recepiſſet pœnitentiam: ibidem.

Euchariſtia. Ea parte qua eſt Sacramentum cõfert gratiã ſanctificantem; & ea parte qua eſt myſterium, figurat convivium beatitudinis: pag. 14. num. 22.

In Euchariſtia dicũtur verba permanere moraliter, quia permanent in ſuo effectu, ſeu in Sacramento per ipſa effecto: p. 18. num. 29. Tota ratio Sacramenti Euchariſtiæ phyſicè ſalvatur in ſolis ſpeciebus: pag. 19. num. 31. Euchariſtia in ſtatu innocentiæ nõ eſſet memoriale paſsionis: p. 46. n. 34.

F.

Fictio alia opponitur Sacramẽto; alia eius effectui, qui eſt gratia ſanctificans: pag. 128. num. 32. Aliqua eſt quaſi negativa: p. 130. num.

num. 35. Qualiter tollenda ſit vt Sacramētum, ſive in noſtra ſivè in aliorum ſententia cauſet gratiam: p. 132. n. 39.

Fides. Quomodo ſit intelligendum, hominem iuſtificari per fidem? p. 12. n. 18. In quo differant Catholici, & hæretici dicentes, fidem iuſtificare? ibi. Quomodo ſit intelligēdus Auguſtinus inſinuans, fidem promiſsionis de iuſtificatione à Deo facienda mundare nos? p. 24. num. 43.

Forma iſta Baptiſmi, baptizetur ſervus Chriſti, &c. & iſta: ego te baptizo, &c. ſolùm accidētaliter differunt: pag. 25. n. 46. Tàm Latinus, quàm Græcus validè baptizat ſub qualibet illarum: ibi.

G.

Gratia. Quomodo ſit intelligendum gratiam conferri ex opere operato; & ex opere operātis? pag. 8. num. 12. Gratia ſignata per Sacramenta eſt ſanctificans: pag. 13. n. 20. Sine gratia ſanctificante non remittitur peccatum de potentia ordinaria. p. 39. n. 19.

Gratia collata in circumciſione non apperiebat ianuam cœli, & quare? pag. 40. n. 22. Gratiæ collatæ vi Sacramenti accidit quod ſit vel non ſit medicinalis. pag. 44. n. 30. Gratiæ baptiſmali accidit quòd actu abluat: pag. 50. num. 44. & 45. Gratia à nulla creatura poteſt produci phyſicè: pag. 57. n. 13. Quid ſit gratia ſanctificans? pag. 114. n. 1. Quotuplex ſit? ibi. num. 2. Quale Sacramentū cauſet primam gratiam, & quale ſecundam? ibidem, & num. 3. Accidentarium eſt gratiæ eſſe primam, vel ſecundam. pag. 118. num. 12. Gratia collata propter affectum recipiendi Sacramentum non eſt ex opere operato, ſed ex opere operantis. p. 125. num. 25. Non eſt certum conferri gratiam ſtatim propter quodcumque opus meritorium de condigno: ibidem. Propter remiſſiſsimam realem ſuſceptionem Sacramenti ſtatim confertur gratia ibidem. Quare gratia collata recipienti Sacramentum ſolùm in voto non ſit ex opere operato? pag. 126. num. 27. Gratia collata vi Sacramenti ponitur in vltimo inſtanti terminativo totius temporis, in quo ſucceſſive fit Sacramētum. pag. 127. n. 29. Gratia collata vi Sacramenti pœnitentiæ aliqualiter æquivalet gratiæ Baptiſmali, & aliqualiter non: pag. 131. num. 37. Diverſimode aligavit Deus ſuum pactum gratiæ habituali ad ſanctificandum; ac ad conferendum auxilia neceſſaria ad ſacramentorū fines conſequendos: pag. 135. n. 46. Ad gratiam ſanctificātem reducitur character; & quare? p. 144. num. 64. Ipſamet gratia

tia poteſt dici character. pag. 147. num. 72.

Gratia Sacramentalis an ſit diſtincta à ſanctificante? pag. 134 num. 43. Fundatur in gratia ſanctificante. pag. 135. num. 44. Conſiſtit in iure habendi auxilia ad tempore oportuno habendum auxilia neceſſaria ad conſequendum proprium finem cuiuſcumque Sacramẽti: ibidem. Hæc auxilia ſolùm confert Deus in præparatione animi: ibi. num. 45. Sunt efficacia. ibi. n. 46.

Gratia gratis data: eius diviſio ab Apoſtolo numerata 1. ad Corinth. cap 12. non eſt adæquata. pag. 144. num. 64.

Græcus validè baptizat ſub hac forma: Ego te baptizo, &c. Item validè conficit Euchariſtiam in azymo. pag. 26. num. 46. Validè conſecraret firmiter exiſtimãdo verba illa *quod pro vobis tradetur*) eſſe eſſentialia formæ conſecrationis. pag. 30. n. 55.

H.

Hæretici noſtri temporis affirmant, Sacramenta perfici rebus determinatis: pag. 25. n. 45. Aliqui abſolute negarunt exiſtentiam Sacramentorum: & illorum fundamenta: pag. 32. num. 2 Aliqui damnant, ſacramenta novæ legis, & illorum fundamentum: ibidem.

Homo. Si vnus tantum peccaſſet, pro reparatione illius Deus incarnaſſet, mortem ſubiturus: pag. 48. n. 39.

I.

Ieiunium, licitè tranſire poteſt quis ad locum, vbi hodie v. g. non ſervatur ieiunium, vt effugiat obligationem ieiunandi: p. 108. n. 121.

Innocentius affirmat, Græcos invalidè conſecrare in azymo, & Latinos in fermẽtato. Item invalidè baptizare Græcos ſub forma Latinorũ, Latinoſquè ſub forma Græcorum: p. 26. n. 46. Reijcitur. ibidem.

Intentio, ſeu volitio proferendi verba, ſeu faciẽdi illam actionem exteriorem (lavandi v. g. aut [illegible]gendi) non ſufficit in [illegible] vt faciat Sacramentum: p. [illegible] Intentio conferendi [illegible] Sacramenti, non requiritur neceſſario ad illius valorem: pag. 79. n. 59. Ad valorem Sacramenti requiritur intẽtio faciendi quod facit Eccleſia, aut aliud æquivalens. pag. 79. num. 60. Intẽtio mala extrinſecè, ſeu propter finem pravum (quæ tamẽ ſecum compatitur intentionem conficiendi Sacramentum) ſufficit ad validè illud conficiẽdum, etiam ſi ſit peccaminoſa. pag. 80. num. 64. Quid fieret de illo, cui miniſtri ignorãtia, vel malitia ſubtraheret intentionem in baptiſmo?

tiſmo' p. 82: num. 66. Qui intẽderet facere, quod fecit Chriſtus Dominus, faceret Sacramentum, adhuc ſi ſimul haberet intentionem poſitivam nõ faciendi quod facit Eccleſia. p. 83, n. 69. Intentio contrahendi matrimonium poteſt validè ſtare ſine intentione conficiendi Sacramentum: non tamẽ èconverſo. pag. 84 a n. 70. Intentio habitualis, (conſuetudo v.g. celebrandi) non ſufficit ad conficiendum Sacramentum pag. 86. num. 73. Bene tamen intentio actualis: ibi n. 74. Quæ actualis intentio non requiritur neceſſario, pag. 87. n. 75. Item ſufficit intentio virtualis: ibi num. 76. Et etiam intentio præterita non retractata: ibi n. 77. non autẽ ſufficit intentio virtualis interpretativa, licèt benè ſufficiat ad recipiendum aliqua Sacramenta. pag 8 num. 78. ad conficiendum Sacramẽtum, & ad illud pro aliqua perſona offerendum requiritur duplex intentio; minor autem intentio ſufficit ad offerendum ſacrificium, quàm ad Sacramẽtum conficiendum: pag. 88. n. 79. Intentio conferendi Sacramentum alicui determinatæ perſonæ, cum poſitiva excluſione alterius, irritat Sacramentum ſi conferatur perſonæ non exiſtimatæ pag. 89 n. 81. Eſt autem grave peccatū talis excluſio excepto tamen matrimonio. ibidem. Si verò in miniſtro non ſit intẽtio excluſiua, quantumcumque perſona ſit falſò exiſtimata eo ſit irritum Sacramentum pag. 90. num 82. Intentio conditionata efficiendi Sacramentum eſt valida, quando conditio eſt de præterito aut præſenti, & eſt in re adimpleta, ſecus ſi ſecus: pag. 92. num. 85. Similiter eſt valida intentio, quando conditio appoſita, eſt certa apud Deum non tamen apud nos. ibi. num. 86. Non autem eſt licitum conditionem, ſiue mentaliter, ſiue externè apponere, niſi in caſu neceſſitatis pag. 93. n. 87. Sacramentum datum ſub conditione de futuro contingenti eſt nullum defectu intentionis. ibi. n. 88.

Iudæi Non ſunt mancipia Principum, in quorum terris habitant: p, 177. n. 10.

L.

Latinus validè baptizat ſub forma Græcorum, & validè conficit in fermentato: pag. 36. num. 46

Lex antiqua dividitur in legem naturæ, & in legem Scriptam, ſeu Moyſaicam: pag. 30. n. 36. Lex naturæ duravit à conditione Adami uſque ad tempus, in quo data fuit lex ſcripta. Iſta autem uſque ad ſolemnem promulgationem legis Evan-

vangelicæ: pag. 30. num. 57. Per quot annos duravit lex naturæ; & per quot Moyſaica, libatur. ibi. In lege antiqua fuerunt aliqua propria Sacramēta p. 30. num. 58. & p. 34. n. 8. In lege naturæ Sacramentum contra originale fuit aliqua exterior proteſtatio fidei Chriſti Domini venturi: p. 31. num. 58. Tale Sacramentum non conſtabat rebus, & verbis: ibi. In lege ſcripta Sacramentum contra originale fuit circumciſio: quæ non conſtabat rebus & verbis: ibi. In lege naturæ fuit aliquod proprium Sacramentum: pag. 32. n. 3. Quod inſtitutum eſt pro omnibus tam viris, quam fœminis. pag. 33. num. 5. Quale fuerit hoc Sacramentum? ibi. Non ſufficiebat oblatio interna facta ex fide mediatoris venturi ad iuſtificationem parvulorum; ſed neceſſariū erat ſimul aliquod ſignum externum expreſsivū oblationis internæ: pag. 33. n. 6 De qualitate huius ſigni diſcrepant AA. ibi. In lege ſcripta fuit aliquod proprium Sacramentum. pag. 34. n. 8. Hoc Sacramentum fuit circumciſio? pag. 35. num. 9. Contra originale mulierum fuit etiam Sacramentum, & quale? ibi n. 10 Sacramēta tam legis ſcriptæ, quam naturalis fuerūt immediate inſtituta ab ipſo Deo: p. 62. num. 24 Non ideò ſunt melioris conditionis, quàm Sacramenta legis gratiæ: ibi. n. 25. In lege naturæ fides parentum, vel Eccleſiæ applicata pro parvulis illis ſufficiebat ad ſalutem, immo, & in lege ſcripta. pag. 263. num. 7. Lex antiqua quomodo fuit abrogata in toto Orbe in die Pentecoſtes pag. 269. num. 10. An alicubi terrarum nunc temporis lex antiqua, ſit abſolute derogata, & Evangelica introducta? ibi n. 11.

Lutherani agentes de Baptiſmo conveniunt cum Calviniſtis, & diſcrepant agentes de Euchariſtia. pag. 23. n. 40.

M.

Magiſter ſententiarum aſſeruit, circumciſionem deleviſſe peccatum originale ſine infuſione gratiæ: pag. 40. num. 21. Quid de hoc ſit ſentiendum? ibid.

Mater aliquando licite ſecatur, vt baptizetur proles. pag. 217. n. 17.

Matrimonium, in ſtatu Innocentiæ non fuit Sacramentum; p. 42. num. 26 Quid de hoc ſenſerit Scotus? ibi. num. 27. Miniſtri Sacramenti matrimonij ſunt ipſi contrahentes. pag. 70. num. 42. In lege gratiæ aliquando contractus matrimonialis non eſt Sacramentum: p. 71. num. 43. Ex vtroque cōtrahente fit vnus miniſter Sacramenti matrimonij, & quomodo? p. 72. n. 44.

Meritum, ſine fundamento dicitur, purum hominem alteri mereri de condigno gratiam ſanctificantem: pag. 122. num. 21.

Modus aſsimilandi, & diſtinguēdi per aliquid intrinſecum perfectior eſt, quam per aliquid extrinſecum: p. 141. num. 59.

Miniſter Sacramenti eſt cauſa gratiæ ipſius Sacramenti: pag. 66. num. 26. Immò, & cauſat propriè, & proximè. pag. 64. num. 27. Miniſter Baptiſmi quis ſit in caſu neceſsitatis? pag. 69. num. 40. Et quis extra neceſsitatem? pag. 70. num. 41. Miniſtri matrimonij ſunt ipſi contrahentes. ibi. n. 42. Ex vtroque fit vnus Miniſter. pag. 72. num. 44. Miniſtri aliorum Sacramentorum, qui ſint? ibi. 46. Malus Chriſtianus, immò & Hæreticus validè, & fructuosè conficere poſſunt Sacramēta illa, quorum ſunt miniſtri: pag. 75. num. 51. Explicantur aliquot Patrum teſtimonia, quibus probari videtur oppoſitum: ibi a num. 52. Lutherus erroneè exiſtimavit, omnes homines baptizatos eſſe miniſtros omnium Sacramentorum: pag. 73. num. 47. Solvuntur illius ſophiſmata: ibi a num. 47. Miniſter debet habere intentionē aliquā: pag 87. n. 76. & qualis? ibi a n. 76. Solvuntur, obiecta in contrarium. ibi a num. 61. Miniſtri fides, aut ſanctitas non requiritur neceſſario ad valorem Sacramenti pag. 94. num. 90. bene tamē adhoc vt licitè adminiſtret: pag. 95. num. 91. Sive ſit miniſter ſpecialiter deputatus adhoc miniſterium, ſive nō: p. 96. n. 94. Miniſter, vt licitè adminiſtret Sacramentum, debet ſe diſponere, aut per confeſsionem, aut per contritionē ſupernaturalē, aut per dilectionem Dei ſuper omnia: pag. 97. num. 96. nullum autē iſtorum requiritur neceſſario, quia quodlibet ſufficit. ibid. Non autem ſufficit ſola attritio etiam ſupernaturalis. ibid. Miniſtri actiones, quibus non confertur gratia ſanctificans, non ſunt illicitæ: pag. 99. vſque ad 100. Miniſtri matrimonij exiſtentes ſub mortali peccat mortaliter. pag. 101. n. 104. Vnde duo peccata committunt, aliud quia indignè adminiſtrant, & aliud quia recipiūt indignè. ibi. num. 105. Miniſter qui dubitat ſe eſſe miniſtrum peccat mortaliter adminiſtrans Sacramentum. ibi. num. 106. Si verò haberet iudicium probabile de hoc quod ſit miniſter, & ex adminiſtratione non ſequatur aliud incōmodum quam quod irritetur Sacramentum licitè poteſt illud adminiſtrare: Si autem ſimul cum nullitate Sacramenti ſequatur aliquod grave dānum proximo illicitè illud adminiſtrat. pag. 102. a n. 107. Et

ſe.

ſequentibus excipiuntur tamen tres caſus primus quando non eſſet alius miniſter, & vrgeret proximi neceſsitas. Secundus quando recipiens Sacramentum ſciret miniſtrum ſolum probabiliter eſſe miniſtrum. Tertius, quando confeſsio v.g. facienda eſſet de venialibus, vel de mortalibus iã ritè confeſsis. pag. 103. num. 110. Miniſter pœnitentiæ habens tantùm iudicium probabile de ſua iuriſdictione licitè adminiſtrat, quia hunc defectũ ſupplet Eccleſia? pag. 104. n. 112. Quod idem dicendum eſt de Epiſcopo probabiliter tantùm iudicans ſe eſſe Epiſcopum, poterit, inquã, licitè adminiſtrare Cõfirmationem tantum: pag. 105. num. 113. A miniſtro in miniſtrando peccaturo licitè poteſt accipi Sacramentum, quoties aliqua vtilitas ex hac ſequitur recipiẽti: pag. 106. num. 116. Non peccat miniſter miniſtrando ordines minores ſub mortali, neque conficiendo Sacramẽtalia. pag. 370. num. 82. & 83.

Myſterium ſolùm dicit myſticè ſignificare, ſeu aliquod occultum mentibus miniſtrare: p. 10. num. 16. Quomodo myſterium comparetur cum remedio, & cum Sacramento? ibidem.

Mulieres quando ex neceſsitate baptizant, melius faciunt proferendo formam lingua vernacula: pag. 27. num. 50.

O.

Originale peccatum poteſt remitti ſine gratia ſanctificante per meram condonationem extrinſecam: pag. 36 num. 12. Originale peccatum non conſiſtit in privatione iuſtitiæ originalis, aut gratiæ ſanctificantis. pag. 36 num. 13. Conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ in eſſe actui Adæ, & ad nos transfuſa: cui adiuncta eſt (nõ ex natura rei, ſed ex pacto Dei) privatio iuſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis. ibidem. Si Deus remitteret originale ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, vel alterius doni poſitivi, (ſcilicet ſine reſtitutione iuſtitiæ originalis) ſed per meram condonationem offenſæ, anima diceretur mũda negative; non tamen poſitivè. pag. 37. n. 14.

Ordo. Quid ſit? Et qui dicantur eſſe ordinati in Eccleſia Dei? pag. 333. num. 1. Quid ſit ordinatio? pag. 335. num. 5. Quæ ſint certa apud Catholicos de Sacramento Ordinis, ſeu ordinationis? pag. 337. num. 9. Quotuplex ſit Ordo? ibi. n. 11. Propria ordinum Mineſteria referuntur. ibi num. 12 Prima tonſura non eſt Ordo. pag. 338. num. 13. Epiſcopatus provt à Sacerdotio ſimplici diſtinctus, & ipſi ſuper addi-

tus eſt Ordo Eccleſiaſticus. p. 339.num.14. Epiſcopatus ſuper ſimplex Sacerdotium aliquid addit. pag.340.num. 16. Epiſcopatus iure diuino eſt diſtinctus a ſimplici ſacerdotio: ibi num.17 Qui ordines ſunt maiores? pag. 341. num. 20. Ordo eſt Sacramentum nouæ legis: pag.342.num.21. Præter Sacerdotium alius ordo eſt verum Sacramentum: ibi n. 22. Immo omnes ſeptem ordinationes ſunt vere, & proprie Sacramenta. ibidem. Epiſcopatio, ſeu ordinatio alicuius in Epiſcopum eſt verum Sacramentum.pag. 346 num. 30. Aſsignantur materia, & forma Epiſcopationis. p 347. num.32 Sufficit, quod forma ab vno ſolo Epiſcopo proferatur. pag.348. num.33. Aſsignantur materia, & forma Sacerdotij. pag. 350. num. 38. Aſsignantur materia, & forma Diaconi pag.352.num.42. Et Subdiaconi. pag 355.n.47. Et ordinum minorum.ibi a n. 49. Ad valorem Ordinationis requiritur, quod ordinatus phyſice tangat rem ipſam, quæ eſt materia remota, ſeu calicis traditio eſt materia proxima ordinationis: pag. 357 num. 52. Sufficit phyſicus contactus calicis in ordinatione in qua pro materia aſſignatur cal x cum patena pag. 358.num.55. Eodem modo eſt [illegible] dum de illo, qui in ordinatione Sacerdotis ſolum attingeret patenam, non autem [illegible] calicem. pag.359 num. 56. Epiſcopus ordinans neceſſario debet phyſice attingere materiam, quam tradit ordinato. p 359 num.57 [illegible] Sacramenti [illegible] p. 360.num.58. Character ordinis neceſſario prærequirit characterem baptiſmi. ibi. num. 59. Non autem character poſterioris ordinis characterem prioris.ibi num. 60. In Ordinatione Sacerdotis duplex character eſt admittendus: pag. 361 num.62. Quædam certa de miniſtro Ordinis referuntur: pag.363 num.65. Sacerdoti non Epiſcopo non poteſt committi conferre Ordines maiores: ibi num. 66 Tres Epiſcopi requiruntur ad Ordinationem Epiſcopi pag. 364. num.69. Non tamen ſunt eſſentialiter requiſiti. pag. 365. num.70. Epiſcopus hæreticus, excommunicatus, aut degradatus valide ordines confert. pag 367.n.73. Peccat tamen, ſicut & qui ab ipſo ordinatur. ibi num.74. Peccat mortaliter miniſter, qui ſub mortali exiſtens miniſtrat ordinem receptum.ibi num.75. Fœmina eſt incapax recipiendi Sacramentum ordinis: pag. [illegible] n. 81. Et Hermaphrodi [illegible] ſexus [illegible] p. 374. num. 87. Et non baptizatus: ibi num. 88. Et tamen capax

capax puer baptizatus, qui nō pervenit ad vſum rationis. p. 373.num.89. Sicut & amens, qui nunquam vſus eſt ratione. p. 374. num.91. Quid de illo, qui aliquando habuit vſum rationis? ibidem. In ordinando requiritur ætas, & quanta? pag.375.n.93. & 94. Qui mala fide vel temerè ordinatur ante legitimam ætatem incurrit ſuſpenſionem pag. 376.n. 94. Qui bona fide ordinatus eſt ante legitimam ætatem, ſi poſtea id cognoſcat, poteſt licite celebrare ante prædictam ætatem. ibi. n.95. Nec in ordinatione incurrit ſuſpenſionem. pag.377. num.96. In recepturo ordines requiritur ſcientia. ibi. num. 97. Minor autem requiritur in religioſis, & quare? ibidem. Interſtitia ſunt obſervanda ad recipiendum ordines.ibi.n.98. Annus, qui inter duos ordines fluere debet non eſt ſolaris, ſed Eccleſiaſticus.pag.378. n.99. In recepturo ordines requiritur congruum beneficium Eccleſiaſticum, vel ſufficiens Patrimonium:ibi.n.101. Peccant, tàm Epiſcopus, quam ordines ſuſcepturus deficiente beneficio, aut Patrimonio. pagina. 379.num. 102. Ordinatus cū patrimonio ficto, non incurrit ſuſpenſionem.ibi.n. 103. Initiati ordinibus minoribus nulla ſpeciali lege tenentur ſervare continentiam; bene tamen initiati ordinibus maioribus. pag.380.num. 106. Iſte Eccleſia nullum admittit ad ordines maiores, niſi voveat omnimodam continentiam.pag. 381.n.107. Sacris initiati non ſunt prohibiti iure divino poſſitivo matrimonium ducere: pag.382. num. 110. Sunt tamen prohibiti ſolo iure Eccleſiaſtico vti matrimonio ante ordinationem contracto. pag. 383.num 112. Quo tempore Eccleſia præceperit continentiam ſacris ordinibus initiatis? ibi num.113. Tenentur ad cōtinentiam immediatè per legem Eccleſiaſticam, & etiam mediante voto. pag. 284. n. 115. Qui ante vſum rationis ordinaretur non teneretur ad caſtitatem ratione voti. pag. 385.num. 118. Neque ratione præcepti Eccleſiaſtici; ibid. Idem dicendum eſt de illo, qui inculpabiliter ignorabat continentiæ votum, & Eccleſiaſticum præceptum continentiā eſſe ſusceptioni ordinis ſacri: pag 386. num. 119. Qui ordinem ſacrum ſuſcipit ob metum cadentem in virum conſtantem non obligatur ad cōtinentiam.ibi.num.120. Neque doli capaces, qui ante annos pubertatis ordinantur: p. 388. num. 123. Neque, qui, inſcia vel contradicente vxore ordinem ſacrum recipit: p. 389.num.125. Tenetur tamē non petere debitum. ibidem.

Iſte non tenetur ingredi religionem, vt ſervetur votum continentiæ, ſi matrimonium nondum erat conſumatum: pag. 390. num. 126. Tenetur non ſolvere debitum ante bimeſtre. ibi: num. 127. Quid requiratur, vt vxoratus poſſit Ordines ſacros recipere? p. 391. num. 128. Poteſt vxoratus recipere Ordinem ſacrum contra voluntatem vxoris adulteræ: ibi num. 129. Poteſt item profiteri in religione: ibi num. 130. Sacris initiati tenentur geſtare tonſuram Eccleſiaſticam, & habitum Clericalem. p. 394. num. 137. Hoc præceptum non obligat ſub mortali communiter. ibi. n. 138 Bene tamen aliquando. p. 395. num. 139.

P.

Pactum, ſeu promiſsionem antecedentem tribuere valorem operibus eſt conforme Scoto: p. 60. num. 19.

Panis azymus; & fermẽtatus ſolum accidentaliter differunt in ordine ad Euchariſtiam cõficiendam: p. 25. n. 46. In vtroque validè cõſecrant tàm Latinus, quàm Græcus: ibidem.

Parochus nõ eſt miniſter Sacramenti matrimonij. p. 71. n. 42.

Patres quomodo ſunt intelligendi, quando dicunt, homines fuiſſe prædeſtinatos ad reparãdum ruinam Angelorũ? p. 121. à n. 19. Et quando negant antiquis Sacramẽtis collationem, aut effectionẽ gratię: p. 11. n. 17

Pauliciani hæretici affirmant, Sacramenta perfici verbis determinatis; non vero determinatis rebus. pag. 25. n. 45.

Peccatum, & peccare. Ad remiſſionem peccati originalis non eſt neceſſaria gratia ſanctificãs loquendo de potentia abſoluta. p. 36. n. 12. Peccatũ mortale habituale nõ eſt carẽtia habitus gratiæ ſanctificãtis: p. 38. n. 15. Eſt aliquid morale: & cõſequẽter tolli poteſt per aliquã moralitatẽ; & qualis iſta ſit? p. 38. n. 16. Si remitteretur ſine infuſione gratiæ, homo maneret non inimicus, neq; amicus poſitivè: ibi n. 17. De potẽtia ordinaria non remittitur ſine gratia ſanctificante: p. 39. n. 19. Peccatũ mortale in miniſtro non reddit peccaminoſas omnes eius actiones; ſed illas tãtũ, quibus confertur gratia ſanctificans: p. 98. & deinceps. Sine peccato poſſum petere, & accipere Sacramẽtũ ab illo, quẽ certo ſcio peccaturũ in adminiſtratione, ſi mea neceſsitas, aut vtilitas id exigit; ſive ſit Parochus, ſive non, ſive paratus, ſivè nõ: p. 106. n. 116. Sine peccato poſſum aliquando fugere obligationẽ ieiunij: p. 108. n. 121. Peccatũ nõ tã præexiſtẽs, quàm cõmiſſũ in receptione Sacramenti impedit collationẽ gratiæ ſanctificantis: p. 131. n. 36. Nõ peccãt Prædicatores & lectores dũ prædicãt, & legunt

gunt exiſtētes ſub mortali. p. 371.n.84. Vide verb. Miniſter, Epiſcopus, & Sacerdos.

Peccata venialia delentur per Sacramentalia ex opere operato: pag 189 num.5. Ad hanc deletionem non requiritur infuſio gratiæ ſanctificantis? p. 191. num. 8.

Periculum mortis duplex aſsignatur: p. 108 n. 120.

Pœnitentia. Sacramento pœnitentiæ non ſufficit macula originalis: & quare? pag. 51. n. 45. Pœnitentia quare dicatur Sacramentum mortuorum: pag. 116. n. 6. Pœnitentiæ tota ratio ſita eſt in verbis abſolutionis: autùm; cōfeſsione, & alijs actibus pœnitentis ſe habentibus tamquam conditione omnino neceſſario petita: pag 19. num. 31.

Poteſtas faciēdi miracula in Chriſto Domino, & in ſanctis declaratur: pag. 56. num. 11. An puræ creaturæ poſsit communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta? pag. 59. num. 17. & deinceps. An ſimplici Sacerdoti poteſt concedi poteſtas confirmandi? p. 330. n 54.

Prælatus poteſt diſpenſare cum recepturo Ordines in interſtitijs? p. 378. n. 100.

Propoſitio iſta (Sacramētum ſolum cauſat quod ſignificat) explicatur: pag 41. n. 23. Propoſitio iſta (Sacramenta ſunt medicina contra morbos animæ) explicatur. pag. 44. n. 30. Propoſitio iſta (humanitas Chriſti D. erat organum, per quod Deus operabatur miracula) explicatur. pag 56. n. 11. Propoſitio iſta (Sacramenta antiquæ legis non cauſabant gratiā) explicatur. pag, 11. n. 17. Propoſitio iſta (ſolæ ſubſtantiæ poſſunt definiri ex 4. Metaph. cap. 4) explicatur: pag. 4. n. 5. Propoſitio iſta (ſola ſubſtantia eſt ens ſimpliciter) explicatur: ibidē.

R.

Relatio ſigni, quam Sacramentū dicit ad ſuum ſignatū, neceſſario requirit tàm res, quam verba propria, vel ſaltem per æquivalentiam: pag. 19. n. 30. Tamen non ſimul fundatur in rebus, & verbis: ibi. n. 31.

Relativa definiuntur definitione non purè quidditativa: pag. 4. num. 4.

Religioſi vocantur à ſcriptura Filij Dei: pag. 68. num 36. Religioſi adminiſtrantes Sacramētum Extremæ vnctionis ſine licentia Parochi ipſo facto excommunicatur. p. 406. num. 23. Quando præſumitur licentia Parochi? ibidem. Prædicta excommunicatio non extenditur ad Sacerdotem ſęcularē. Ibidem. Religioſi non poſſunt ordinari ante legitimam ætatem: pag. 375. num. 94. Religioſorū obligatio gravior eſt, quam ordinati ordinis ſacri: p. 389 n 124.

Remedium ſpirituale aliquid addit ſuper myſterium: pag. 10. num.

num. 16. Quomodo comparentur remedium, myſterium, & Sacramentum: ibidem.

S.

Sacerdos, & Epiſcopus exiſtentes ſub mortali non peccant mortaliter exercentes Sacramentalia: pag. 99. n. 101. Quod etiam eſt verum, ſi prædictæ actiones longo tempore exercerentur ſub mortali p. 100. num. 102. Sacerdos ſimplex excommunicatus, non toleratus poſſet eligi in confeſſorem in articulo, & periculo mortis. p. 109. num. 122. Et etiam contradicente Parocho ibidem. Alia Sacramenta a Baptiſmo, & pœnitentia poſſunt licitè recipi in articulo, & periculo mortis ab excommunicato non tolerato pag. 110. n. 123. Licitè inſervio Miſſæ Sacerdoti celebranti in mortali: pag. 113. n. 128. Sacerdotes vocantur in Scriptura Angeli: pag. 69. num. 37.

Sacramentalia, quid ſint? p. 188. num. 1. Eorum vſus eſt licitus, & ſanctus. ibi. num. 3. Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi Sacramentalia: pag. 189. n. 4. Inſtituta ſunt ab Eccleſia: ibid. Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi miniſtros Sacramentalium. ibidem. Regulariter loquendo miniſter Sacramenti eſt etiam miniſter Sacramentalium, quæ in eius celebratione intercedunt, ibidem. Quomodo Sacramentalia cauſant veniàlia, nempe an ex opere operato, an ex opere operantis pag. 192. n. 10. Vide [illegible] benedictio.

Sacramentum eſſe [illegible] dans, aut [illegible] plurium [illegible] [illegible] pro [illegible] pag. 3. n. 1. [illegible], aut materia [illegible] vnum per accidens, [illegible] aggregatione in pluribus [illegible]. Sacramentum [illegible] poſſibile pag. [illegible] bile pag. [illegible] n. 2. [illegible] adducitur, & explicatur pag. 1. a num. 6 [illegible] cu: pag. 7. n. 7. & pag. 9. n. 12. Non requiritur neceſſario [illegible], ſit ſignum ſenſibile: pag. 7. n. 10. Sacramentum pro expiando originale in lege naturæ fuit ſignum ſenſibile: pag. [illegible] num. 11. Ly [illegible] in definitione Sacramenti non [illegible] eſſentiale, ſed connotatum: p. 6. num. [illegible] dicendum eſt de ly [illegible], aut [illegible] ibid. Quomodo comparetur Sacramentum, remedium, & myſterium, explicatur, pag. 10. [illegible] addit Sacramentum ſuper myſterium, & [illegible]. Sacramenta antiquæ legis dicuntur ab aliquibus conciliis, & Patribus non conferre, aut non cauſare gratiam; quomodo ſit intelligendum? pag. 11.

num.

num. 17 Sacramenta antiquæ legis vocat D. Paulus infirma, & egena elementa; quia gratia, quam conferebant non habebat efficaciam aperiendi ianuā cœlorū. Aut quia loquitur de illis poſt ſolemnem promulgationem Evangelij: p. 11. n. 17. Sacramenta concurrunt ad iuſtificationem, tamquam cauſa inſtrumentalis: pag. 12. n. 18. Sacramenta antiqua dicuntur vmbra: & quare? pag. 14. n. 22. Cuiuſcumque legis Sacramenta propriè dicta vnivocè conveniunt in ratione Sacramēti: pag. 15. n. 23. Sunt ſigna ſanctitatis præſentis: pag. 16. n. 25. Sacramenta ad producendum ſuos effectus non ſunt minoris efficaciæ; quam cauſæ naturales (ignis v. g.) ad producendū ſuos: pag. 16. n. 25. De per accidens Sacramentum eſt aliquādo ſignum prognoſticum gratiæ: pag. 16. n. 26. Sacramentū habet partes phyſicas, & materiales. & quales iſtæ ſunt? pag. 17. n. 26. Sacramenta novæ legis conſtant rebus, & verbis tamquam materia, & forma: ibi num. 27. Quam ſimilitudinem habent res cum materia, & verba cum forma, explicatur: pag. 18. num. 28. In ſingulis Sacramentis debent reperiri res, & verba proprie, & formaliter, aut per æquivalentiam: pag. 18. n. 29. Ad ſalvandum doctrinam illam Eugenij IIII. (in quocumque Sacramento legis gratiæ res ſe habent tamquam materia, & verba, tamquam forma) parum refert affirmare, vel negare, quod relatio ſigni ad gratiam fundetur in rebus, & verbis ſimul; dummodo affirmetur, res, & verba omninò neceſſario concurrere ex parte fundamenti, ſeu entitatis phyſicæ Sacramenti: pag. 20. num. 32. Quando relatio ſigni fundatur in rebus, & verbis ſimul, ibi eſt vna relatio tantum. pag. 21. n. 35. In Sacramento præter ſignificationem vocum, quam habet ex hominum inſtitutione; & præter aliqualem ſignificationem, aut ſimilitudinem naturalem rerū cum effectu Sacramenti, eſt alia ſignificatio Sacramentalis ex inſtitutione Chriſti Domini conveniens toti coniuncto, ſeu materiali Sacramenti, ſcilicèt materię, & formę ſimul ſumptis, & moraliter vnitis cum debita intentione miniſtri: p. 21. n. 36 Quare pater, & mater referantur ad filium diverſis, relationibus; nō vero res, & verba Sacramenti ad gratiā: p. 22. n. 37. Res, & verba, quibus Sacramenta novæ legis perficiūtur, debent eſſe determinata: pag. 25 n. 47. Sacramenta novæ lęgis perfici nō poſſunt alijs rebus ſubſtātialiter diverſis ab his, quę à Chriſto Domino ſunt præſcripta: pag. 25. n. 46. Quæ mutatio materiæ, aut formæ Sacramēti invalidet Sacramētum

tum? pag. 26. n. 48. & 49. Quale peccatum ſit mutare materias, aut formas Sacramentorum? pag. 27. n. 50. Quando variatio accidentalis verborum formæ cum intentione introducendi aliquem errorem invalidet Sacramentum? pag. 28. à n. 51. Sacramenta legis gratię continent gratiam ſanctificantem: & illam ſemper, & omnibus non ponentibus obicem, conferrunt ex opere operato: pag. 31. Conveniens fuit inſtituere Sacramenta: & quare? p. 31. num. 1. Sacramenta ſunt medicina contra morbos animæ. pag. 44. n. 30. Eſſentia Sacramenti ſalvatur præcisè in hoc quod ſit ſignum practicū efficaciter ſignificans gratiam ex inſtitutione divina: ibidem. Sacramentum datum ſub conditione de præterito, aut de pręſenti, quādo talis cōditio eſt in re adimpleta eſt validum. pag. 92. n. 85. Idem dicendum eſt de conditione quę ſolum apud Deum eſt certa. ibi. n. 86. Sacramentum vero ſub conditione de futuro contingenti eſt invalidum. p. 93. n. 88. Cōmune eſt omnibus Sacramentis legis gratiæ conferre gratiam ſanctificantem. p. 115. num. 4. Sacramenta mortuorum conferunt primā gratiam adulto, qui ad illa accedit cum attritione, de qua ſibi cōſtat. p. 115. n. 5.

Sacramenta. Quare baptiſmus, & pœnitentia dicantur Sacramēta mortuorum? pag. 116. n. 6. Sacramenta viuorum conferunt primam gratiam. p. 116. n. 8. Non tamen characterem ibidem; & n. 10. Quomodo conferant primam gratiam? p. 118. n. 11. Ad quod ſufficit attritio: ibi. num. 12. Ad Sacramēta mortuorū licitè accedit quis cognoſcēdo ſe eſſe in peccato mortali, dummodo accedat attritus. p. 119. n. 13. Non tamen licitè accedet ad Sacramenta vivorū: ibidem. Quodlibet Sacramētum per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis habet hoc, quod eſt eſſe cauſativum gratiæ ſanctificantis. p. 120. n. 16. Diverſa numero Sacramenta (duo baptiſmi v. g.) æqualem gratiam cōferunt diverſis ſubiectis æqualiter diſpoſitis. pag. 120. n. 17. Inæqualem tamen inæqualiter diſpoſitis. p. 121. n. 18. Sacramenta operantur, tāquam agentia naturalia, quomodo ſit intelligēdum? p. 124. n. 23. Sacramētum in voto nō confert eamdem gratiam ſanctificantem, ac confert realiter ſuſceptum. pag. 124. num. 24. De quo voto eſt intelligēdum? ibi a n. 24. Numquam eſt conſulenda receptio Sacramenti pœnitentię, aut Euchariſtię ſolùm in voto illi, qui realem ſuſceptionem poteſt ponere. p. 126. num 28. Sacramenta poſſunt cauſare poſtquam deſierunt eſſe, & antequam ſint: &

qua-

quare : pag 127.num.30.& n. 128.num.31.Sacramenta fictè ſuſcepta, recedente fictione non cauſant gratiam. p.128.n. 32.Quid ſi fictio ſit negativa? p. 130 num. 35. Probabile eſt quod tunc in ipſa receptione Sacramenti confertur gratia. ibi num. 36. Sacramenta antiquæ legis contulerunt gratiam ex opere operato : pag. 134.n. 42 Datur Sacramentum dignè ſuſceptũ ſine gratia Sacramentali.pag. 137. num. 48. Sacramentum ipſum dicitur ſignaculum, & character. pag.148. num. 54 & num 71. Sacramẽta non ſunt cauſa phyſica principalis gratiæ, aut characteris. pag.171. num. 2. Neque principalis moralis : ibidem. Quid dixerint Authores de cauſalitate Sacramẽtorum? pag.172. à n. 3. Non poſſunt eſſe cauſa inſtrumentalis phyſica : p. 177. num. 17. Sunt tantum cauſa moralis.pag. 180 num.22.Soli homines viatores ſunt proxime capaces recipiendi Sacramenta. pag. 181. num. 1. Requiritur ad valorem Sacramẽti conſenſus recipientis.p.182. num 2. Sufficit tamen ſimpliciter conſentire ; quamvis diſſentiat quis ſecundum quid. pag.183. num. 3. Item ſufficit conſenſus generalis : ibidem. Quis iſte ſit? ibidem. Item ſufficit habitualis ſumptus pro actu præterito non retractato. pag.184.n. 5. Item aliquando ſufficit conſenſus indirectus : ibi. num. 6. Quot ſint Sacramenta novæ legis? pag. 185. num. 1. Habent in ſe ordinem. pag. 186. num. 3. Iſte ordo eſt penes diverſos fines, aut ſecundum diverſa munera, quæ in vita ſpirituali exercent Sacramenta. pag 187. num. 4. Quoad ſuſceptionem Sacramentorum Baptiſmus eſt ita primus, vt nullum aliud Sacramentum validè ſuſcipitur a nõ baptizato. pag. 187. num. 6. Inter aliqua, nulla eſt neceſſaria præſuppoſitio per ſe loquendo: ibidem.

Sanctitas interna, ſeu ſimpliciter eſt gratia habitualis ; externa, aut ſecundum quid eſt remotio alicuius impedimenti ad dignè exercẽdum aliquod miniſterium: p. 14. num. 21. Sanctitas, aut fides non requiritur in miniſtro ad valorem Sacramenti. pag. 94. num 90. Bene tamen ad hoc, vt licitè adminiſtret : pag. 95. num. 91. Sivè ſit miniſter ſpecialiter deputatus, ſive non: p.96.n.94.

Scotus vixit ad annum 308. pag. 146 n 68. Quomodo ſit intelligendus quando videtur affirmare ; peccatum originale cõſiſtere in privatione iuſtitiæ originalis? pag 36.num.13. Quid ſenſerit de matrimonio in ſtatu innocentiæ? p 42.n.27.

Sermo de ablutione pedum non eſt D. Cipriani: p. 54.n.5.

Signum dividitur in rememora-

tivũ,

tivum; pronoſticum, & demō-ſtrativum. pag. 2. n. 1. Quid ſit: pag. 5. num. 7. Dividitur in practicum, & ſpeculativum: pag. 9. num. 13. Signo tàm practico, quàm ſpeculativo accidit, quod ſignatum ponatur ab illo met, qui inſtituit ſignum: pag. 60 n 20.

Status innocentiæ explicatur: p. 41. In illo non fuit aliquod Sacramentum: pag. 42. num. 24. In illo primi parentes potuerunt peccare venialiter ante peccatum mortale: ibi n. 25. Quid ſenſerit Scotus de matrimonio in ſtatu innocentiæ? p. 42. num 27. Si ſtatus ille perduraſſet, fuiſſent in illo Sacramēta. pag 43. n. 28. & aliquis cultus erga Deum. pag. 45. n. 31. Et aliquod ſacrificium: ibi. n. 32. Tripartitur ſtatus innocētiæ. pag. 45. num. 33. Si ſtatus innocentiæ conſideretur perdurans, & excludens a tota cōmunitate omne peccatum, nō ſolùm mortale, ſed etiam veniale; in illo eſſet Sacramentū Euchariſtiæ: & ordinis. pag. 45. num. 34 Et matrimonij. pag. 46. num. 34. Quid tunc operaretur? ibidem. Item eſſet tunc Sacramentū Confirmationis, & ad quid? ibi. num. 35. Tunc non eſſet Sacramenta Baptiſmi, & pœnitentiæ, & quare? pag 46. n. 36. Nec Sacramentum Extremæ vnctionis: ibi. n. 37. De ſtatu innocentię perdurante, & excludente mortalia tantum, & non venialia, ſimili modo eſt philoſophandum. p. 47. num. 38. In ſtatu innocētiæ perdurante, & excludēte omne peccatū tàm mortale, quā veniale in aliquib' hominibus, in alijs autem admittēdo omne peccatum tàm mortale, quàm veniale; forent omnia, & ſingula Sacramenta, quæ de facto ſunt. p. 47 n. 39. Innocentes illius ſtatus habentes veniale poſſent vti Sacramento pœnitentiæ: p. 48. n. 41. Si tamen eſſent omnino innocentes, (id eſt, qui nec mortale perſonale haberent, aut habuiſſent aliquando) non poſſent vti Sacramento pœnitentiæ. pag. 49 n. 42. Omnino innocentes (id eſt qui nullum peccatū adhuc originale haberēt, aut habuiſſent) poſſent vti Sacramento Baptiſmi: ibi. n. 43.

Subiectum quod, & quo explicantur: pag. 163. num. 110. Nō eſt inconveniens dari duplex ſubiectum proximum, & immediatum ſub diverſa ratione, ſeu in diverſo ordine: ibi num. 111.

Subſtantiæ ſolæ poſſunt definiri: p. 4. num 5. Sola ſubſtantia eſt ens ſimpliciter: ibidem.

T.

Tonſura, quando, & vbi poteſt conferri prima tonſura: p. 380. n. 105. Vnde ortum habuerit, clericos geſtare tonſuram: pag. 394 num. 137.

V.

V.

Verbum dividitur in concionale, & Sacramentale: & vtrumque explicatur: p.23.n 40.
Virgo Maria habuit ſummã gratiam, aut ſanctitatem: pag.5.n. 7. Non potuit vti Sacramento pœnitentiæ: pag.49.num.42. Recepit Sacramentum baptiſmi: ibi, num. 43. & pag. 280. num. 16. Non fuit inſignita charactere aliquo. & quare? p. 142 num 62. Fuit immediatè baptizata à Chriſto Domino. pag.204.num.21. Non fuit incapax recipiendi Baptiſmum, eo quod fuerit immunis ab originali culpa. p. 278.n.12.
Viva vocis oracula annullaſſe Gregorium XV. & Vrbanum VIII. dictitant: p. 376.n 94.
Votum explicitum, aut implicitum recipiendi Sacramentum (Euchariſtiæ, v g.) non confert gratiam ſanctificantem, quã cõferret realis ſuſceptio illius: pag. 124. à n.25. Poſt emiſsionem voti, verè, & realiter maneo obligatus Deo, non vi alicuius entitatis realis phyſicè in me manentis; ſed per quãdam moralitatem, ſeu denominationem extrinſecam: pag. 148. num. 74.
Vſus Sacramenti iam inſtituti faciliùs conceditur alicui, quàm inſtitutio illius: p.51.n.46.
Vſurarius: licitè petitur mutuum ab vſurario parato: pag. 106.n. 116.
Vviclef reprehenditur, quia dixit; quòd in ordinibus, & Sacramentis, quidã multiplicant characteres ſine fundamento. p. 147.n 71.

Z.

Zacharias Papa rexit Eccleſiã ad annos 742. Eius reſponſio de valore Baptiſmi facti cum variatione formæ, explicatur: ibi.

FINIS.

5-3-5